THEATRUM HISTORICUM DE VIRTUTIBUS ET VITIIS, ILLUSTRIUM...

Antonio Maria Graziani, Esprit Flechier

6
13-C
14

BIBLIOTECA NAZIONALE VITTORIO EMANUELE
6
13 I
36

6-H.D.57

THEATRUM
HISTORICUM
De
VIRTUTIBUS
Et
VITIIS,

Illuſtrium Virorum & Fœ-
[redacted]minarum [redacted]
Eorundemque
CASIBUS,
maximam partem funeſtis;

Auctore
ANTONIO. MARIA GRATIANO,
à Burgo Sancti Sepulcri.
Opera ac ſtudio
D. FLECHERII Abbatis S. Severini.

BIBL. DOM. PROF. ROM.

FRANCOFURTI,
Impenſis JOANN. JUSTI ERYTHROPILI.
M DC LXXXI.

LECTORI BENEVOLO.

NEſcio qua aut incuria temporum, aut fatorum injuria id evenerit, ut Gratiani Amerinæ Ecclesiæ Præſulis Opera, cæcis quaſi tenebris damnata, ægrè demum in lucem prodierint. Fefellit eum diu ſuus labor, & longo poſt obitum intervallo vix dum tota fama ſua fruitur. Sive incurioſa ſuorum ingeniorum ætas priſtina egregium alioqui Scriptorem neglexerit: ſive eruditi Viri, quibus manuſcripti codices obriguerant, privatis ſtudiis ſuis mallent conſulere, quam de univerſa Republica bene mereri; ſive quorundam animos Authoris libertas offenderit, bonos aut pravos cujusque mores, & parvas ingentium domorum origines ſimpliciter enarranti. Quidquid id eſt, uno prope ſæculo delituerat Gratianus, niſi quod de Bello Cyprio Commentarii ele-

gan-

DE

CASIBUS VIRORUM ILLUSTRIUM,

Auctore ANTONIO MARIA GRATIANO à Burgo S. Sepulcri.

RErum geſtarum memoriâ, haud ſcio, an ullum inventum regendæ vitæ utilius humana excogitaverit ratio. Nam quibus ævi breve curriculum natura præſcripſit, quæ multis antè ſæculis acciderunt, cognita explorataq; habere, id eſt ortus noſtri tempora induſtriâ præcurriſſe. Nec aliâ re magis animus inſtruitur, & ad imitandum cavendumque eruditur, quam aliorum factis conſiliisque ſpectandis.

Cæterum, noſcendæ antiquitatis ſtudium cum magnum atque ſalubrem, tum varium ac multiplicem fructum habet: ſive Regum arcanas artes excutias, ſeu tibi bellicis virtutibus, aut civilibus actionibus documenta ſeligas, ſeu rerum eventus conſideres. Mihi emolumentum vel maximum in contemplatione humanæ imbecillitatis ſitum videtur, quæ nos, & eſſe Deum, & ejus

Numine contineri, ac provideri omnia docet, & magnitudine opum temere ac immodice efferri non patitur, cum eas fluxas atque fragiles, & nihil in humanis rebus ſtabile firmumque præter bonam mentem fide ac religione conſtantem advertas. Hinc mihi ſuſceptum, mandare literis exitus caſusque clarorum Virorum, triſtem ac tragicam materiam, ſed utilem æſtimantibus & memoratu dignam. Nec eos tamen ex omni vetuſtate ac ſcriptorum turba colligere, quod immenſum ac prope infinitum eſſet, ſed recentes ac novos, noſtræ aut parentum noſtrorum ætatis. Qui quanquam aut celebrati ſermonibus, aut non obſcuris traditi auctoribus ſint, tamen fuſi diſperſique ſæpe vel non obſervati prætereuntur, vel non perinde ac meretur res, reputantur. In unum coactos volumen, ac veluti ſub uno aſpectu poſitos, rati ſumus legentium intentioribus animis exceptum iri; moturoſque eo magis, quo memoriæ noſtræ propiores fuerint. Orſi igitur ab anno M. D. in octuageſimo, quo hæc ſcribebamus, conſtitimus. Nec amplius unius hominis vitam complexi, majus tamen nobis, quam initio putaveramus, proceſſit volumen: adeo uberem hunc locum humanæ conditionis infirmitas, mille ſemper ſubjecta caſibus, atque omnibus fortunæ telis, quibus aſſidue inceſſimur, propoſita fecit. Niſi vanum fortunæ nomen belle commenta eſt mortalitas, ut habeant homines, in quod errorum ſuorum culpas conferant, ab ſeq; avertant

DE

De Roderico & Cæſare *Borgiis.*

INitium mihi operis a Borgiis, patre & filio, ſumatur, qui & tempore primi occurrunt, & novitate exempli maxime videntur memorabiles. Rodericum Lenzelium Caliſtus III. Pont. Max. ſorore ſua genitum ex Hiſpania in Italiam adduxit, inſtituitque honeſtis diſciplinis. Adoleſcentem adhuc ob ingenii indolem Archiepiſcopum Valentinorum deſignavit. Mox cooptatum in Cardinalium Collegium, gentili Borgiæ cognomento donavit, quo poſtea ſemper ipſe, poſterique ejus ſunt uſi: Mos enim hîc maximè Hiſpanis uſurpatur, claris ſe nominibus per affinitatem inferendi. Cardinalatum ſeptem & viginti annos ſecunda fama, magnaq; induſtriæ opinione geſſit: Niſi quod intemperans haud dubiè ac mulieroſus eſt habitus: Qui ut alias mittam, Vanozam Cataneam Romæ nobilem matronam impudicitia ac forma inſignem adeò palam dilexit, ut propè juſtæ uxoris loco habuerit, pluresque ex illa filios pene in exitiu Italiæ ſuſceperit. Sed hæc temporibus tum omni luxuria licentiaque immerſis excuſabantur; & ipſe ingentia vitia magnarum virtutum ſimulatione tegebat. Nam ingenio ...ax atq; avidus, profuſam in bonos liberalitatē, gra-

gratiæ atque ambitionis cauſa exercuit. Domeſtici quoque ſplendoris, ac prope regii cultus magnificus oſtentator, & crudelitate plusquam barbara, adeo moribus & oratione blandus comisque fuit, ut hominum animos, & ad ſe alliceret, & quo vellet, facile impelleret. Et ad hæc maximarum rerum uſu, & eloquentiæ laude reliquos Senatores facilè antecelluit. Unde ei aliquot ſummis de rebus mandatæ a Pontificibus Maximis Legationes, quæ illi gloriam prudenter adminiſtratæ Reipublicæ addiderunt. Pontificatum Maximum, jam planè ſenex non prehenſatione ſolùm, & cæteris officiis ac blandimentis, quibus hominum ſtudia captantur; ſed ambitu quoque ac largitione, adeptus creditur. In quo tamen patrator idem ac vindex nefariæ corruptelæ, Dei maximi inſtinctu fuit. Eos enim ipſos, quorum ſuffragia donis ſibi ac beneficiis conciliaſſe arguitur, non multo poſt adeo infeſte atque hoſtiliter eſt perſecutus, ut alios exilio, alios morte mulctaverit; non quidem odio flagitii, ſed quo eorum pecuniis potiretur, impenſasque Cæſari filio perpetuos exercitus alenti ſuppeditaret. Ab eâdem cauſa populos tributis, collationibusque fatigavit: ſed hos tamen ubertate annonæ, humanitate ac lenociniis verborum ita permulſit ſemper, ita vero jus ſevere atque æquabiliter dixit, ut in officio fideque egregio continuerit. Quo filios ad magnas proferret opes, Romanas familias divitiis ac multorum oppidorum dominatu nuda-

tas

tas evertendis ac ſpoliandas ſibi deſtinarat. In Arragonios, Neapolis Reges, quod eas tuerentur, Gallos initio incitavit. Mox lenitus ab iis ad ... amplis muneribus, quæ in filios contulere, ſpreta Gallorum amicitia, fœdus cum Arragonibus percuſſit: & Alfonſus Rex filiam cũ ... dominatu Gottfredo Pontifici ſi... o in matrimonium tradidit; & Franciſcum alterum filium, Gandiæ Ducem, magnis ſtipendiis ... adſcivit: & Lucretia Pontificis ... filia Sigiſmundo ... Principi, Alfonſi fi... nupſit. Quod fœdus illi ac Romanæ ... initio fuit, Carolo Rege Galliæ non multo poſt ... ore cum exercitu, quem ad Arragonios bello ... equendos ducebat, Urbem ingreſſo. Leges idem impetratæ pacis, arbitrio victoris acce... quibus poſtea nec ſtetit, & Venetos aliosque ... populos ad conſpirandum ſecum compu... qui ... Galliam Regi ad Tarum flu... occurrentes cum eo memorabili prælio pari ... utrinque clade conflixerunt. Arragonios quorum crexerat fortunam, non deſeruit ... o, ſed fœdere cum novo Galliæ Rege, ma... um totius Italiæ motu, juncto oppugnavit ... isque e... erit, ut Cæſari filio invidioſam & ... m, multisque Principibus viris exitialem ... pararet. Cui quidem Cæſari viam ... num imperium per cædes ac ... enti, usque eo indulſit, ut Romanæ ... iæ Provincias omnes ditioni ejus ſubjece...

 rit;

rit; cupiditate ac ſcelere graſſanti per fanda nefandaque ſit obſecutus, donec utrumque divina percuſſit ultio, quæ quo ſerior, eo ſæpe gravior mortalibus incidit. Cum immanibus ſumptibus ſuis filiique nullæ pecuniæ ſufficerent, ut quod recte nequiret, ſcelere atque injuria pararetur, aliquot è Cardinalium numero opulentos & bene nummatos homines veneno occiſurus, fortunasque eorum invaſurus, convivium tempeſtivum lautumque ad fontem Vaticani Horti parari juſſit, deſtinatosque cædi Patres ad cœnam invitavit, & cum his hilare jucundeque diſcubuit. Interea Cæſar ſuas vini lagenas veneno ſuffectas pocillatori aſſignat, ex iis, Cardinalibus convivis; ex aliis Pontifici ac ſibi miſceri jubet. Sed ille errore, ut credi par eſt, divinitus objecto, venenata pocula Pontifici Cæſarique miniſtravit. Ita Pontifex ſenio gravis lethali viru in venas transmiſſo, paulò poſt extinctus, interiit; opinionemque reliquit, nulli unquam ſceleri vindicando manifeſtius adfuiſſe cæleſte Numen: a præſenti enim Deo exactæ pœnæ, verſaque fraus in inſidiatores videri poteſt, ut qui cædibus graſſari & venena ſpargere didicerant, ea demum ſe morte ipſi mulctarent, qua tot innocentes indignè peremerant. Pontificatum, in quo Alexander VI. ſervato mutandi nominis more, eſt apellatus, decem ferme annos tenuit, adeo exitiabilis habitus, ut cum Romanæ Urbis deſtructoribus compararetur, jactarenturque hi verſus:

Sext-

Sextus Tarquinius, Sextus Nero, Sextus & iſte;
Semper & a Sextis diruta Roma fuit.

Martinum, quem nuper magnis quoque Principibus terribilem in tanto faſtigio poſitum venerabatur, avidis ac lætis admodum oculis aſpexit Pop. Rom. ac niſi Cæſaris armis timuiſſet, haud temperaturus manibus fuiſſe creditur, quin corpus ejus, ut erat ex veneni vi tabidum ac deforme, diſcerperet, ac diu occultati penitusque odii atque iræ ex tot cædibus atque flagitiis exorbitanti in illius laceratione exſaturaret. Cæſar inter cœnandum quibus ex lagenis ſibi paternum propinatum eſſet, forte percunctatus, cum errorem deprehendiſſet, venenum ab utroque hauſtum clamat, atque protinus repulſa menſa exiliens, ſe in ventrem ſubito exenteratæ mulæ injecit, ſeu magnitudine ac celeritate remedii, ſeu juventæ vi, morbum quidem ſuperavit, ſed ex eo graviter ac periculoſe ac diu cum adverſa atque afflicta valetudine eſt luctatus. Hunc Roderico ignotia concubina pepererat, ac ſacerdotali ve deſtinatus, Piſis diu literis ac juri civili magna cum ſpe operam dedit. Sed patre ad Pontificatum evecto, Romam cum accurriſſet, ſtatim ſacrarum legum jura, quibus non juſto matrimonio eo honore arcentur, Cardinalis eſt factus, adverſantibus moribus, ingenioque ejus ſæ ſævo, & bellicis artibus, quam legibus togatis magis lætante. Carolo VIII. Gallorum Rege viribus armis totam Italiam pervadenti, &

Neapolitanum Regnum ereptum Arragoniis Regibus eunti, Legatus quidem nomine, re autem ſuſpectæ Pontificis fidei obſes abductus, vix Velitras usque progreſſus, decepto Rege, Romam refugit. Nec multò poſt Franciſcum fratrem Gandiæ Ducem occidit, cum paulò antè Joannem Borgiam Cardinalem, Alexandri ſororis filium quod Franciſco impenſe faveret, veneno ſuſtuliſſet. Franciſcum verò militaribus honoribus præfulgentem ferre non poterat, ſeque à patre ſacerdotali veſte, veluti compedibus vinctum impeditumque teneri querebatur, gerendarum rerum & gloriæ materiam Franciſco, annis quidem majori, ſed ſibi haud quaquam magnitudine animi pari datam. Atque his invidiæ ſtimulis agitatus, in eum furoris impetum exarſit, ut fratrem, cum quo fortè apud Vannotiam matrem comiter jucundeque cœnaverat, noctu domum redeuntem, telo aggreſſus confoderit, & ne cædes palam fieret, in profluentem Tyberim projecerit. Cadaver merſum pondere lapidis, quæſitum ad ſepulturam, patris juſſu, ægrè ab natatoribus eſt inventum. Unde Sanazarius, nobilis ætatis ejus Poëta, ſæpè licentius, quam prudentem ac moderatum decet, in Pontifices invehi ſolitus, Alexandrum verſiculis perſtrinxit:

Piſcatorem hominum ne te non, Sexte, putemus,
Piſcaris natum retibus ecce tuum.

Cæterum Alexander, antequam cædis auctor pateſceret, cum ipſe Aſcanii Sfortiæ Cardinalis,

aut

aut Urſinorum inſidiis interceptum ſuſpicaretur, & dolore ac deſiderio ejus (fuit enim ſemper in filios perdite effuſus) & ab diuturna felicitate, perpetuaque a primis usque annis fortunæ in ſe indulgentia, nunquam ante quam acres morſus telique ejus eſſent, expertus, tanto ſimul eſt mœrore mollitieque victus, ut in Senatu, quem eadem re vocaverat, multis cum lacrymis, eam ſibi a Deo plagam merito inflictam, ſeque aliam poſthac morum atque conſiliorum viam initurum, profiteretur. Verum ubi haud dubie a Cæſare interfectum fratrem comperit, adeò immanis atque ſcelerati juvenis facinore eſt concuſſus conterrituſque, ut ſuperante dolorem metu, infandi parricidii ſcelus diſſimulandum ſibi obliterandumque ſtatuerit, ac paulatim ex oblivione amiſſi, prioris caritate filii redeunte mollitus, ei ſeſe velut captum & obnoxium tradens, totus inde augendis ejus opibus, nullo humani aut divini juris reſpectu incubuerit. Exinde Cæſar abjectâ purpura ſe Cardinalatu abdicat, & ad armorum exercitationes curasque converſus, Romanæ militiæ Imperator cum ſumma poteſtate dicitur. Qui ante omnia, promptiſſimorum juvenum ac delectorum Centurionem manu, quos tota Italia magnis undique ſtipendiis præmiisque adſciverat, ſe circumdedit. Cum his noctu per tenebras obire Urbem; ſi quos ſuſpectos aut inviſos haberet, exceptos inſidiis trucidare; omni flagitiorum genere graſſari, ac prorſus omnibus ma-

gno terrori eſſe. Poſt Neapolitanum bellum afflictasque Arragoniorum opes, ad illud occupandum Regnum animum ambitione & cupiditate flagrantem adjecit. Federicus enim Rex fracta potentia, & a pecunia & amicis inops, nec popularibus ſuis fidens, & Gallorum arma formidans, tum maxime auctoritate ac ſpe Pontificis niti videbatur. His fretus Cæſar, Tarentinorum urbem, & filiæ nuptias à Federico petiit, ſtatis credens eum neceſſitatibus compulſum nihil ſibi negare eo tempore auſurum. Quod ſi filiam Regis, uberrimamque Regni partem in poteſtate haberet, parvo inde negotio incertum tuto Regno exturbaturum. Hæc Federicum non fefellere. Itaque à Gallis vinci, quam Cæſaris inſidiis circumveniri, honeſtius duxit. Ab hac ſpe repulſus Cæſar ad Gallos ſe vertit, ac factis cum Carlotta Alibreta regii ſanguinis puella nuptiis, Valentinam urbem in Narbonenſi provincia dotem accepit; unde illi poſtea Valentini nomen fuit, qui totum ſe Aloyſio Regi tradidit, qui Carolo nuper mortuo in Regnum Galliæ ſucceſſerat. Ac cum in Galliam venit, attulit, quod ſummopere Aloyſius cupiebat, ex Alexandri auctoritate poteſtatem ſcilicet uxorem repudiandi, cum qua non juſtum ſibi matrimonium cenſebatur, & ni ejuſdem gratia inſignia Cardinalatus Archiepiſcopo Rhotomagenſium attulit, fœdusque cum eo percuſſet; quo fœdere, Pontifex auxilio eſſe Regi Mediolanũ ac Neapolim recipere pollicebatur.

Rex

Rex cenſuit, Cæſarem, pellendis Romanâ ditione Regulis, Tyrannisque, ac eorum urbes Cæſaris ipſius imperio ſubjiciendis, pecunia exercituque juvare teneretur. Hac Gallorum affinitate, ſocietateque ſuffultus, nullis jam mediocribus aut ordinariis opibus contentus, immenſa atque vaſta animo affectare cœpit, ſpemque ad magnam Italiæ partem dominatu occupandam adjecit, atque nominis ſui omen ſecutus, ſuperbum vexillis titulum, AUT CÆSAR, AUT NIHIL, inſcribi juſſit. Quod idem Sanazarius verſiculis haud vanis ſatis ſalſis redarguit:

Aut nihil, aut Cæſar vult dici Borgia, quidni?
Cum ſimul & Cæſar poſſit, & eſſe nihil.

Alii item, cum poſt mortem patris in vinculis haberetur, ſuppliciumque ejus cupidè à populo flagitaretur, in contumeliam ejus ferebant:

Borgia Cæſar erat factis, & nomine Cæſar:
Aut nihil: aut Cæſar dixit; utrumque fuit.

Verùm importunus & ipſe Aloyſii Regis conſiliis erat: is enim belli famæ, propagandique imperii avidus, atque validiſſimi Regis copiis ſubnixus non repetebat modò Neapolitanum Regnum, quod Carolus pari fortunæ flatu ſubegerat, reflatuque amiſerat; ſed Mediolanum quoque ſibi vindicabat, atque Italiæ totius Regnum ingenti animo affectabat, Cæſaremque aptum cogitatis ſuis imprimis rebatur, cui acerrimum ingenium, ingens animus, magna rei militaris

taris ſcientia, & ad quodvis facinus prompta au-
dacia inerat. Nec Aloyſii magnopere intererat,
exſcindi ab eo minores Italiæ Regulos Tyrannos-
que, dum ipſe Neapoli ac Mediolano, opulentiſ-
ſimis Regnis potiretur. Primus igitur inquieti &
cupidi animi impetus in Romanam nobilitatem
eſt illatus: in qua erant pleríque magna dignita-
tis atque potentiæ proceres, graves Urbi atque
Pontificibus Maximis, adverſus quos identidem
contumaces, neque legibus neque Magiſtratibus
parentes, interdum palam hoſtes, publicam quie-
tem Civitatis ſæpe turbabant. In duas diviſi fa-
ctiones erant, quarum altera Urſinos, altera Co-
lumnos ſequebatur. Hos antea Cæſar inter ſe
commiſerat, & Columnios Urbe ac Latii oppidis,
quibus imperitabant, ejecerat, ſuisque præſidiis
occuparat. Et cùm eâdem mox fraude Urſinos
quoque appeteret, ſublatisque aliquot eorum,
Bracianum infeſto exercitu oppugnaret, & pror-
ſus appareret, unum omnia omnium concupiſce-
re, omniumque exitio imminere, quicunque in
Romanæ Eccleſiæ provinciis aliqua fortuna emi-
nerent, coïerunt Peruſium de communibus re-
bus, Urſini, Balioni, Bentivoli, Vitellii aliique
proceres, initaque ſocietate, valida conducta manu
occurrentes Pontificis copiis fugarant, & Braccia-
num obſidione liberaverant. Sed Cæſar haud
minus vafer quàm violentus, quibus par viribus
non fuerat, arte aggreſſus, quibusdam eorum do-
nis promiſſisque corruptis, eâ diſſoluta ſocietate,
omnes

omnes demum fraude circumvenit. Et fuerunt ipſe paterque ad fallendum, & ad omne ſimulandi diſſimulandique artificium maximè compoſiti. Neque alia re minus falſi quàm quod fallaciſſimi ab omnibus haberentur; ferebaturque Romæ proverbii loco, Neque à patre unquam quæ dicerentur fieri; neque à filio, quæ fierent, unquam dici. Pellectis igitur fictâ pace Urſinis Vitelliisque, & in ſuam militiam adſcriptis, Cæſar circumſedens inde infeſta arma, Guidonem Feltriũ Urbino, Pandulphum Malateſtam Arimino, Sfortias Piſauro, Balionos Peruſio expulit. Aſtorem Manfredum Faventinum egregia forma atque indole adoleſcentem, deditum ſibi ſub fide, primo in ſuorum cohortem recepit, & palam in honore habitum, ſimulato etiam amore in conſuetudinem ſtupri pellexit; ac deductum inde Romam, cum Regni quam voluptatis libido in truculento animo plus polleret, jugulatum in Tyberim abjecit. Varanios, Camertes, Julium, Venantium, Annibalem, & Pyrrhum ſimul Regno vitaque privavit. Pari immanitate Caietanam familiam pernobilem Romæ ac potentem, Jacobo, Nicolao, Bernardino varie interfectis, pene funditus excidit, oppidaque eorum in ſuam poteſtatem redegit. Catharinam Sfortiam, quæ fuerat in matrimonio Hieronymi Carii, virili conſtantia Forum Livi & Forum Cornelii defendentem oppugnavit, victamque Romam tanquam in triumphum duxit, cuſtodiæque mandavit.

Dudo

Ducto deinde in Germaniam exercitu, Jacobum Appianum Plumbino, paternisque fortunis exturbavit; & Florentinos ipſos tanto terrore perfudit, ut prædatis eorum agris, inſuper eos injuriam ac vexationem pecunia redimere coegerit. Poſtremo Urſinos ipſos quorum opibus ac virtute multis bellis fuerat uſus, fraude ſuppreſſit. Nam Franciſcum Gravinæ Ducem, & Paulum Urſinum, & cum his Oliberotum Firmanum, & Vitellotium Vitellium, egregios copiarum Ductores apud Senogalliam nihil tale timentes cepit, ac fœde ſtrangulari juſſit: quo tempore pater ex compoſito reliquos Urſinæ familiæ Principes in Adriani arce in vincula conjecit, in quibus Baptiſtam Cardinalem veneno occidit. Nec interea urbanis abſtinebat cædibus. Jacobum Santacrucium Romanum primæ nobilitatis civem, in intimis amicorum antea habitum, quod magna eſſet in Urſina familia auctoritate, magnaque cum exulum ac facinoroſorum hominum manus ſequeretur, ad nutum ejus coiret, occidi juſſit. Item Joannem Cerbilionem virum militiæ clarum, quod mulieris cujuſdam pudicitiam arctius cuſtodiret, quam ut libidini ejus facile pateret. Ac Sigiſmundum Arragonium, Alfonſi Regis filium, Biſeliæ Principem appellatum, qui Lucretiam ſororem ſuam in matrimonio habebat, in atrio Vaticani Templi adortus, graviter vulneravit; & ubi ſpem eſſe vitæ, nec lethaliter ictum didicit, in ipſo thalamo nuptiali ſororis lecto eum confici imperavit.

Eutico-

Epiſcopum [illegible], quod Pontificis in Gallia Legatus Regi [illegible] contra voluntatem ſuam [illegible], veneno occidit. Multos præterea dites ac pecunioſos homines, alios dolo & fraude, alios vi ac ferro per ſicarios ſuos interfecit. Nec ullæ res, plures quam [illegible] ipſi omni fortunæ, ea [illegible] ſubvertere. Inter hos Ioannes Michaelius Cardinalis Venetus, homo [illegible]ſſimus, Pauli II. Pontificis [illegible], quod longe ditiſſimus haberetur, per miniſtrum, qui menſæ eius epulas inferre erat ſolitus, veneno eſt necatus. Raptas hoc modo per ſummam iniuriam pecunias profuſe militibus largiebatur, quò ſibi fidos obnoxiosque & imperiis ſuis impigrè parentes efficeret: facile populos contemnens, dum carus militibus acceptusque haberetur. Quibus circumſeptus, tot urbibus potitus, tam latè patente dominatu, tot ſublatis aut abſterritis Principibus, qui officere cœptis poſſe viderentur, urbis Romæ atque Italiæ imperio imminebat, niſi cum poſtea divinum avertiſſet numen, ipſeque artifex & miniſter exitium, ut ſupra traditū eſt, fuiſſet. Ferunt, cum poſt fortunæ ruinā dicere ſolitū, omnia ſibi meditata, proviſa comparataque fuiſſe in patris ſui mortem, ne quid ea magnopere rebus ſuis nocere poſſet, præterquā caſum illum, ut eodem tempore & pater decederet vita, & ipſe lethali implicitus morbo [illegible] rebus nequiret. Nec tamen unum egregiū ſtudium erga illum vel [illegible] milites, qui ad duodecim millia erant, [illegible]

Nam

Nam Vaticano atque Adriani arce occupata, tantum Cardinalibus terrorem injecere, ut Comitia habere præſente ipſo auſi non ſint. Qui quanquam vitæ anceps periculoſo morbo conflictaretur, ægre tamen, ac vix ſummis precibus Regum Galliæ atque Hiſpaniæ Legatorum ab eo impetrari eſt paſſus, ut ſecederet Urbe, militesque deduceret, ac liberam Senatui creandi Pontificis poteſtatem relinqueret. Qui ſi valens atque integer fuiſſet, haud dubie alium e ſuis Patribus & Pontificem ex ſui libidine conſtituturus, & cuncta in poteſtate habiturus videbatur. Sed impiis conatibus obſtitit Dei benignitas: & Cardinales fortiter habitis Comitiis ad Franciſcum Piccolhomineum, qui vir optimus inter eos eſt judicatus, quanquam contra nitente Cæſaris factione, Pontificatum detulere. Quo intra ſex & viginti dies inopinata morte ſubtracto, in ejus locum, Julianum Rovereum unum omnium Cæſari infenſiſſimum haud minus conſtanti decreto ſuffecerunt, cum ante Cæſar multos Cardinales, qui beneficio ejus adepti eum honorem fuerant, jurejurando adegiſſet, nunquam ſe Juliano ſuffragaturos. Sed nunquam [illegible] Comitia [illegible]: tantum [illegible] Julianus ad Cæſaris infringendas opes eſt delectus, ut pene [illegible] Pontificem cum ingenti omnium conſenſu Patres, quam Comitiorum [illegible] more legeretur. Ab eo Cæſar captus, atque in [illegible] Adriani arcem, [illegible]

[illegible]

muniverat, ipſe armis occupaverat, in quâ tam multos præſtantes atque inſontes viros necaverat, cuſtodiendus eſt traditus. Et quanquam omnia ſupplicia meritus, tamen oppidis omnibus, quæ præſidiis ejus tenebantur, cedere coactus, honoribus, pecunia, rebus omnibus ſpoliatus è carcere eſt dimiſſus. Vir crudelis ac ferox, cui Regni ac potentiæ cauſa, nulla humanitas, nulla lex, non fas, non jus ſanctum, qui nec dominationem ſine multorum pernicie parari poſſe, & ubi ea ageretur nulla honeſti cura, omnia ad utilitatẽ ſecuritatemque revocanda eſſe dictitabat. Sed ſtrenuus bello & æquè conſilio ac manu promtus fuit; & in eo haud dubiè uſui Reip. quod pluribus oppreſſis Tyrannis, viam Julio Pontifici ad pacandas Romanæ Eccleſiæ Provincias, ac in fidem Pontificum Maximorum redigendas, unus maximè ſtraviſſe eſt viſus. Satis conſtat, fuiſſe olim tempus quo ſingulæ civitates populi imperio regebantur: ſed brevi ex ea libertate ortam licentiam in ſectas ac ſtudia partium abiiſſe, execrataque illa & cruenta Guelforum & Ghibellinorum nomina peperiſſe, pro quibus plus quàm ab ulla unquam externâ vi, aut ullis barbarorum irruptionibus Italici ſanguinis eſt fuſum. Ab ea civili rabie multi Tyranni extitêre. Ut enim quisque Dux factionis adverſas oppreſſiſſet partes, ita, quem ferme exitum civiles diſcordiæ habent, dominatum invadebat, Regnaque vulgo a potentioribus occupabantur.

Id cùm paſſim totâ Italia, tum maximè in ſubje-
ctis Romanæ Eccleſiæ urbibus graſſatum eſt ma-
lum. Atque hinc Sfortiæ, Bentivoli, Var...
Feltrii, Malateſtæ; Manfredii, Balionii; Vitelli
atque item alii ſuæ quisque civitati, ſpretâ Ponti-
ficum auctoritate dominabantur. Nec latrociniis
cædibus, diſſenſionibus ullus finis fiebat. Et Itali
Principes atque exteros Reges, quibus hi...
Pontificum potentia videbatur, injuſtos alieni...
ris imperiique raptores tueri non pudebat. H...
Cæſar aut ſuſtulit, aut ita confregit, ut niſi ...
unus omnium vices crudelitate atque avari...
implevisſet, fateri neceſſe haberemus, quieti pu-
blicæ, pacandæq; Romanæ ditionis, & a Tyran-
nis liberandæ initium ab illo ortum. Sed nos, qu...
vitæ exitus illum habuerit, exequi pergamus.
Cuſtodia elapſus, Roma Neapolim conceſſi...
quò cùm ad eum militarium hominum conc...
ſus fieret, veritus Ferdinandus Rex Hiſpaniæ...
vir acer, turbulentus, callidus, res novan...
turbandi publicam pacem conſilia iniret, a...
nente Julio Pontifice, eum comprehendi, im...
ſitumque navibus deportari in Hiſpaniam juſſ...
ubi in Medinæ arce diligenti cuſtodia trienni...
aſſervatus, inde quoque vigilibus deceptis, cl...
fune demiſſus evaſit, & ad Joannem Albretu...
Navarræ Regem, affinem ſuum profugit. Ab...
cum finitimis Regulis bellum gerente liberali...
acceptus, regiis copiis præficitur. Nec ille di...
cunctatus, ſigna cum hoſte contulit, ſuaque ...
pri...

primis virtute adverſam fudit ac profligavit aciem; victorque erecturus jacentem fortunam videbatur, niſi infeſtum ac tetrum monſtrum terris tandem abſtuliſſet Deus. Dum enim fugientibus cupidius inſtat, ſclopeti glande trajectus, incertum an à ſuis, occiditur. Honeſtiore omnino morte cecidit, quàm ejus tot ſcelera merebantur. Siquidem ut fortem decuit, in ipſa acie victor occubuit. Cæterùm, ſi priſtinæ fortunæ ejus magnitudinem ſpectes, quâ tot urbium Dominus, tantis copiis ſuccinctus omnem Italiam nominis ſui famâ terroreque concuſſerat, miſerè pro aliena victoria pugnans, mercenarius Dux, ignobili prælio periiſſe videri poteſt. Cadaver ejus armis veſtimentisque ab ignaro milite detractis, ut revertum erat nudum, multo pulvere atque cruore fœdatum, in jumenti dorſo, pendentibus utrinque membris, miſerando ſpectaculo contemplantibus priſtinam fortunam ejus, relatum eſſe ad Regem ferunt; atque ejus juſſu, perhonorifico funere elatum, Pampelonæ marmoreo tumulo conditum fuiſſe, ac tumulo verſiculos Hiſpanicâ lingua inſculptos, quanta viri veneratio fuerit apud eam gentem, teſtantes.

De Arragoniis,

Regibus Neapolis.

TARACONENSIS Provinciæ partem Arragon Hiſpani appellant, unde profectus Alfonſus, Ferdinandi Regis filius, Arragoniorum Regnum apud Neapolitanos condidit, in multoſque annos, ut videbatur, domui ſuæ fundavit, niſi humanæ res & quod nos opes, vires, potentiam vocamus, infirmæ ac fragiles, maris inſtar affluerent ſemper atque refluerent. Is clarum nomen apud poſteritatem eſt adeptus, non bellicarum modo ſed etiam civilium virtutum. Inter ipſa bella, quæ prope continenter magno atque excelſo animo geſſit, literarum ſtudiis adeo dicitur eſſe delectatus, ut Julii Cæſaris rerum ab ſe geſtarum commentaria penes ſe ſemper haberet, legeretque fere quotidie, & ſuavitate, & genere ſermonis, & imperatoriâ ejus viri prudentia, ſingulariterque in re militari virtute ac vigilantia captus; perditumque ab ſe diem diceret, quo non aliquid legiſſet; & hiſtorias ſacris traditas libris quadragies ab ſe cum cura perlectas, memoraret. Quin ad ſignificandum propenſum ad doctrinam rerum, quæ lectione bonorum librorum

com-

comparatur, animum, pro argumento ſingularique ingenii ſui inſigni apertum librum geſtavit; & cùm quæſitum ab eo eſſet, utri ſtudio, armorum an literarum plus deberet, literas prætulit; à quibus etiam militiæ artes doctum ſe fatebatur. Nec in bellis, ſi qua direpta urbs eſſet, aliam ipſe prædam, quam librorum petiit. Atque accidiſſe præterea ferunt, ut cum in caſtris æger ex febri decumberet, moroſiusque curari ſe pateretur a Medicis, profeſſus Antonius Panormita, cujus ingenio atque eruditione plurimum Rex utebatur, aptiorem ſe Medicinam afferre, cum Quinti-Curtii libro de rebus Alexandri Macedonis ad Regem intravit: quo legere juſſo, ita delectatum & facultate peracuti Scriptoris, & Alexandri magnitudine Alfonſum, ut eodem die melius habere ac recreari cœperit, & libro per triduum avidè lectitato penitus convaluerit; ex eoque irridere magnopere Medicos ſolitum. Et cùm in obſidione Caietæ ſaxa, quæ tormentis excutiebantur, incommodè aliunde comportarentur, tamen vetuiſſe Regem, ea ex proximis ruinis peti, in quibus M. Tullii Ciceronis Villam fuiſſe incolæ affirmabant, abſceſſurum ſe potiùs obſidione profeſſum, quàm memoriam monumentumque viri literarum & eloquentiæ parentis violaret. Doctos ac literatos homines imprimis coluit fovitque, & magnis ad ſe præmiis allexit. Unde res ejus præclaris ingeniis celebratæ; nec facta ſolum,

ſed dicta quoque permulta mandata literis. De Corſicæ poſſeſſione armis cum Genuenſi Populo contendentem, egregiaque cum claſſe in Inſulam transvectum, Joanna Neapolitanorum Regina, cum gravi bello ab Aloyſio Andegavenſi, Sfortiaque urgeretur, Neapolim evocavit, adoptaturam ſe eum pollicita, ſi inſtans rebus ſuis periculum illius ope depuliſſet. Alfonſus, cui difficile cum dura & bellicoſa Ligurum gente, & maritimis viribus valida certamen erat, oblatam rei atque gloriæ majoris ſpem cupide arripuit; omiſſisque Genuenſibus, Neapolim claſſe delatus, felici eventu Reginam metu atque obſidione cum exemiſſet, filius adſciſcitur. Verum ut eſt nulla dominandi fida ſocietas, dum Alfonſus haud ſatis filii & conſortis appellatione contentus, opulenti Regni ſpem firmare ſibi properat, ne ex feminæ inconſtantis, impudicæ, & amatoribus ſemper obnoxiæ libidine penderet; & Joanna contra id egit, ut conceſſo Regis atque heredis nomine, jus Regni ſe penes maneat, ortæ graves ſuſpiciones in apertum bellum erupere. Alfonſo, ut ingrato atque inſidioſo, abrogata adoptio, & ad æmulum ejus Aloyſium Andegavenſem delata, contra quem nuper ipſe excitus fuerat. Hæc inde de Regno dimicatio, dum pars utraque ſpei & cupiditati ſuæ pertinaciſſimè hæret, viginti ferme annos tenuit, adeò variâ fortuna, ut Alfonſus, cùm proſperè fluentibus rebus, acerrimè cœptis inſiſteret, Caïetamque oppugnaret, à Blaſio Aſſareto Genu-

Genuenſium Præfecto navali pugna ſuperatus, cum duobus fratribus, & magno procerum numero in hoſtium poteſtatem pervenerit. Ferunt huic Blaſio homini novo, & ex humili Scriba per factionem ad eam Præfecturam evecto tantum animorum fiduciæque fuiſſe, ut cum Alfonſus per ſpeciem conquerendi de Genuenſibus, Legatum ad eum miſiſſet, qui numerum ac genus hoſtilium navium militumque exploraret, neque Regis aſtus Blaſium falleret, renunciari juſſiſſe Regi, illas eſſe naves omnes pretioſa merce onuſtas, opimam victori prædam, proinde ad prælium ſe ſtrenuè compararet. Nec Alfonſum numero navium ſuperiorem, & ſuperbâ provocatione hoſtis irritatum pugnam detrectaſſe, magisque artificio ac ſcientia navalis rei, quàm robore militum à Liguribus victum. Tanta clade contuſo, captoque, non modò præciſæ ſpes alieni adipiſcendi Regni, ſed vix retinendi ſui relictæ videbantur, cum Mediolanum ad Philippum Vicecomitem, in cujus tum fide Genuenſium civitas erat, perductus, adeo non pro hoſte & captivo eſt acceptus habitusque, ut pecunia, milite, rebus omnibus multo quàm antea inſtructior, effundente in id opes Regni ſui Philippo, ad perſequendum Neapolitanum bellum ſit remiſſus. Ita Alfonſus, ſive ea magnitudo animi Philippi, ſive maturioris conſilii ratio cautioque fuerit, ne Galli, Alpibus modò à finibus Regni ſui diſereti,

periculoſas ſibi in Italia opes pararent, calamitate ſua auctus, tandem capta Neapoli, in quam occulto ſub terram itinere reperto, miles penetravit, & procerum aliis vi atque armis domitis, aliis gratia & beneficio conciliatis, nobiliſſimum Regnum ditioni ſuæ ſubjecit. Quod cum inde illi Eugenii IV. Pontificis Maximi auctoritate confirmatum eſſet, juſſu ejus profectus cum exercitu in Picenum, quod occupatum impotentibus armis Franciſcus Sfortia tenebat, eum diſcedere multis Romanæ ditionis urbibus proſpera expeditione coëgit. Et filiabus, Maria Ferrarienſium, Leonora Sueſſanorum Principi in matrimonium collocatis, ſocietatibus ex uſu rerum ſuarum cum Italiæ populis junctis, non munivit modò affinitatibus & fœderibus novum Regnum, ſed ex occaſione inſerens ſe Italorum diſcordiis, recepta in fidem Senenſium civitate, ad Etruriæ imperium aſpiravit. Ex uxore, quam juvenis duxit, Caſtellæ Regis propinqui ſui filiâ liberos non tulit, eaque brevi amiſſa cœlebs inde permanſit; ſive gaudens ſolutæ vitæ libertate, ſeu Ferdinando filio conſulens, quem ei Hiſpana concubina pepererat. Huic moriens multis ſtabilitum munimentis Regnum reliquit; cui ne defuit quidem par fortunæ ſuæ indoles: Exceptus enim ingenti Principum defectione, qui captis armis, excitoque ex Gallia Andegavenſi Duce, pene omnes rebellarunt, tantum conſilio fortunaque enituit, ut Franciſci Sfortiæ & Pii II. Pontificis Maximi

ope

ope adjutus, rebellantium alios arte atque aſtu disjunxerit, alios ſecundis belli ſucceſſibus ita attriverit, ut ad officium tandem omnes redire coëgerit, in magnamque gloriam illi ceſſerit, traditum a Patre Regnum domeſticis exterisque viribus oppugnatum conſervaſſe. Nec ſervaſſe ſat fuit, etiam ornavit ac protulit; & multas reliquas inteſtini motus, quas Alfonſus nequivit, ipſe oppreſſit ac ſuſtulit. Et qui ad quadraginta annos poſt patris mortem regnavit, diuturno dominandi uſu tantum ſibi prudentiæ opinionem fecerat, ut inter Italiæ Principes, unus maximè ſagax & providus rerum haberetur. Et Alfonſus ejus filius tractandis ab ipſa adoleſcentia armis, ductandisque exercitibus, Dux evaſit in paucis peritus. Et juvenis acer & manu ſtrenuus, callidi ſenis conſiliis nixus, multas expeditiones proſpere fecerat, & ex eo terribilis aliis factus, magnum rebus ſtabilimen addiderat. Itaque Ferdinandus & foris proſpere geſtis, & domi optimè conſtitutis rebus, egregia filiorum ſobole, nepote etiam ſuum referente nomen, adulta jam ætate, & præſtanti ad omnia indole, & maximè Neapolitanis caro; multos præterea amicitia & affinitate complexus Principes, ita ſe Regnumque confirmaſſe, tantis undique præſidiis ſepſiſſe potentiam atque amplitudinem domus videbatur, ut unus maximè felix ac florens exiſtimaretur, ac nulla mutatio impēdere, nullus hoſtis metuendus illi eſſe videretur. Cum unde mi-

nus ſuſpicari poterat, atque adeo unde ſibi rebusque firmamentum quæſitum erat, tanta vi adverſæ tempeſtatis erupit, ut tanquam peſtiferum ſidus ac turbo ipſum, Domum, Regnum, continenti clade involverit, filios, nepotes, gentem à ſtirpe everterit. Iſabella neptis ejus Jo. Galeatio Sfortiæ, Mediolanenſium Duci, nupſerat. Pueri ejus parente orbati tutelam Ludovicus patruus invaſerat, nec, cum illi habilis jam ætas, exque Iſabella natus filius eſſet, dimittebat. Id illa inſolens contumeliæ, & cupidine dominandi virum anteiens, & ferebat atrociter, & Alfonſum patrem muliebri impotentia aſſiduis queſtibus obtundebat, qui erat ante ſua ſponte iratus infenſusque Ludovico, quanquam Hippolytam ſororem ejus in matrimonio haberet, & ingeniorum diſſimilitudine, & quia cum ipſe belli Dux adverſus Venetos a Sixto IV. Pontifice Maximo, fœderatisque lectus eſſet, Ludovicus ejus invidens gloriæ, neglecta fide à ſociis diſceſſerat, volensque interpellata ſociorum victoria, magnum Venetis periculum averterat. Et ipſum & Ferdinandum pariter Iſabellæ & Galeatii injuriæ movebant. Sed Alfonſus naturâ elatus ac ferox Ludovicum minis ac denuntiatione belli cogendum, alienum deponere imperium; atque hæc apud vecordem atque muliebrem animum plus ponderis habitura contendebat. Contrà Ferdinandus Ludovici vim atque ingenium timens, & ætate & uſu cunctatior, illum precibus & conditio-

ditionibus ad æqua deducendum diſſerebat, gnarus perinde timidos metu, atque audaces temeritate ad præcipitia compelli ſolere. Dum his ſententiis diſcrepant, neutram conſilii viam ſatis conſtanter tenuerunt, Sed Alfonſus, ubi parum legationibus ac verbis profici à patre intellexit, Ludovicum inſtitit armorum ac periculi metu terrere, occultaque conſilia cum Petro Medice, Florentinorum Principe, ad eum procuratione alieni Regni depellendum, agitare. Quâ ille formidine percitus, Gallos ad repetendum armis Neapolitanum Regnum concivit, brevique valentiſſimæ copiæ cum ipſo Rege ab Alpibus ſeſe in Italiam effudere. Ferdinandus haud neſcius virium atque impetus Gallorum, & quam multi inter ſuos Gallico nomini ex veterum factionum ſtudio addicti, & ab ſe filioque immiti ac duro imperio habiti, res novas cuperent, ubi Gallos, contrà quam omnium opinio fuerat, cum Hiſpanis Germaniſque controverſias compoſuiſſe, & Neapolitanum coquere bellum, eſt allatum, ita eſt iis nuntiis conſternatus, ut fruſtra per literas Ludovicum à præcipiti conſilio revocare conatus, ipſe ſeptuaginta natus annos, navi Genuam deferri, atque inde pedibus Mediolanum petere, placandi exorandique ejus cauſa, & ſi ita ei viſum eſſet, ipſam Iſabellam neptem Neapolim ſecum reducendi, decreverit. Sed dum filii ætati ejus timentes moram profectioni injiciunt, & à Gallis interea enixe parari bellum, ſuoſque

Le-

Legatos, quos impetrandæ aut paciſcendæ pacis cauſa ad Carolum in Galliam miſerat, rejectos, nec auditos Galliæ finibus excedere juſſos audivit; ſenex imminens domui ſuæ exitium mente præſagiens, ex cura ac dolore in morbum incidit, & paucis diebus eo confectus interiit. Alfonſus ſuſcepto Regno defenſioni ac bello ſtrenuè incubuit, & ante omnia, Pontificem omnibus obſequiis conciliare atque adjungere ſibi contendit, mutuaq; cura cum eo affinitate inita, nuru in domum ſuam accepta, dataque ad vicum Vari, quo per æſtatem ſeceſſerat Pontifex, venit, ut coram cum eo de bello conſultaret; magnificamque ac prudentem orationem de ſe, deque communibus Italiæ rebus, in conſilio, cui Cardinales omnes & amicorum Principum Legati ſunt adhibiti, habuit. Dictum erat Alfonſi, bella prævertendo avertendoque maximè ex ſententia confici. Igitur approbante Pontifice hoſtium conatus prævenire decernunt: & Alfonſus hinc claſſem quinque & triginta longarum navium, quantum ante illa ætas in eo mari non viderat, multorumque præterea omnis generis navigiorum cum Federico fratre ad tentandam Genuam miſit, cujus potiundæ ſpes ab exulibus, qui unà conſcenderant, magna. Hinc Ferdinandum filium cum terreſtribus copiis, juſtique exercitus robore è Campania in Umbriam, atque ibi convento ad Burgum Sancti Sepulcri Petro Medice, eoque omni ſtudio in amicitia confir-

firmato, in Æmiliam, ſi ita Petro viſum foret, tranſire, indeque Ludovici Regnum invadere, & populos ad reſtituendum Galeatio, vero Principi imperum, & Ludovicum injuſta dominatione dejiciendum ſollicitare juſſit, datis clariſſimis Ducibus Jo. Jacobo Trivultio, & Nicolao Urſino Petiliano, qui adoleſcentis ætatem regerent. Verum hæc conſilia ſalubriter cogitata, & Julianus Cardinalis qui paulò antè ab Hoſtia Savonam, atque inde in Galliam, odio metuque Pontificis profugerat, detexit: & Alfonſus multa Ludovici arte deceptus tamdiu diſtulit, donec â Gallis celeriter in Italiam ad tuendos ſocios, valida ſummiſſa ſunt auxilia. Quod ſi maturatum ab Alfonſo foret, diſturbari hoſtes imparati, & in eas conjici difficultates potuerunt, quibus Galli, ſponte ſua jam in ſententia nutantes, à tranſitu Alpium cohiberentur. Itaque & Federico & Ferdinando hoſtium occurſu ſe domum recipere, nulla proſpere geſta re coactis, & Florentinis ac Pontifice ipſo Gallorum vi ac felicitate oppreſſis, tantus Alfonſum ſimul terror ac deſperatio fortem ac impavidum antea habitum inceſſit, ut accito repente ab exercitu magna cum feſtinatione Ferdinando filio, coram amicis fratreque Regnum tradiderit; atque ipſe veluti humanis excedens rebus, inter proſequentium ad mare, & tanquam viventis funus ducentium lacrymas, conſcenſis navibus in Siciliam profugerit. Ferunt, Alfonſum non ſolum

ſolum Gallorum rebus, ſupra quam optare ipſi auſi eſſent ſecundis, exterritum, quos hiematuros in citeriori Gallia & progredi conantes, objectos Florentinos atque Pontificem facile moraturos, ſeque ſpatium interea multa moliendi ad eam declinandam tempeſtatem habiturum, ſibi perſuaſerat: ſed cum ipſe & pater ejus crudeliter atque ſuperbe imperitaſſent, multoque nobilium ſanguine ac cædibus manus ſævas imbuiſſent, & jam crebræ voces erumpentis in ſe odii indices auribus ejus acciderent, & interfectorum propinquos ad occaſionem ulciſcendi ſuorum neces, & multos præterea ad novas ſpes erectos ſentiret, inteſtini motus ac repentinæ alicujus ſeditionis pavore actum in fugam fuiſſe, & Regnum in noxio filio, & ob liberalem indolem accepto popularibus relinquere ſtatuiſſe. Sed nocturnis quoque viſis infeſtatum tradunt, quibus nunc vinciri ſe, nunc a circumſtantibus undique gladiis peti, nunc trahi, nunc atrocius diſcerpi cernebat, quas ſpecies facile inſidens animo timor, & conſcientia facinorum dormientibus ſubjicit. Quin & ei ab domeſticorum uno narratum ajunt, adſtitiſſe ſibi Ferdinandi patris umbram, præcepiſſeque minacibus verbis, nuntiaret filio, dimitteret defendendi Regni ſpem, obſtare fata, Deique decretum eſſe, ut ejus ſtirps variis agitata caſibus funditus interiret: id cum ob alia injuſta facta, tum maxime ob illud quod Alfonſo impulſore, Puteolis rediens, in Leonardi fano perpetraſſet.

Id

Id qualecunque fuerit, nec ille edidit, nec Alfonſus prodere neceſſe habuit. Qui delatus in Siciliam, apud Mazaram in Monachorum contubernio, gloria, quam multis rebus bello ſtrenuè geſtis antè pepererat, magnopere deformata, privatus vitæ ſuæ finem implevit. Nec tamen aſpectum inimicæ atque infenſæ fortunæ, cui ſe fuga ſubtrahere conatus erat, vitare potuit. Non enim multo poſt Ferdinandum filium Meſſanæ vidit, maximè miſerabili utrique congreſſu, cum alter patrem in regio nuper faſtigio viſum, majeſtatem regii nominis cultu vitæ atque omni luxu regiæ opulentiæ tuentem, bellatorem ætatis ſuæ longè clariſſimum acerrimumque, tum indutum ſacerdotali toga longa atque pannoſa, coma ſacerdotalem in morem tonſa, humilem, demiſſum atq; animo maximè ad cultum religionis compoſito cerneret; filium alter exactum Regno, extorrem, profugum, omnium egenum, ad alienam confugientem opem aſpiceret. Eum tamen conſilia repetendi Regni cum Gonſalvo Hiſpanorum Duce agitantem, opportune pecunia, quam ſecum domo extulerat, adjuvit. Proditum memoriæ eſt, Alfonſum, quamdiu dubiæ ac plane perditæ Ferdinandi res fuere, [illegible]no humanarum rerum contemptu, cœleſtiu[illegible]tui contemplationique intentum egiſſe: [illegible]am recuperato Regno, ſpem retinendæ [illegible]tatis filio affulſiſſe, accepit, revolutum iterum ad cupidinem, redeundi Neapolim: ſed reſpondiſſe ei Fer-

Ferdinandum, ſineret prius res ita ab ſe ſtabiliri, ut ne capeſſere inde iterum fugam neceſſe haberet. Atque hujus reſponſi aculeo deterritum, in inſtituta ratione perſeveraſſe, deditamque pietatis ſtudiis vitam caſte ac religioſe tranſegiſſe. Nimis profecto alte mortalium pectora fodit inſana dominandi cupido: quæ neque patrem ſenem, & curis quas immodicæ opes habent, ut ipſe ferebat, feſſum, & abditæ ac tranquillæ vitæ bona expertum, in abjecti ſemel & filio traditi Regni conſilio perſiſtere eſt paſſa; & filium ne partem quidem ejus admittere parentem ſivit, quod totum ab illo acceperat. Sed Ferdinandus profecto in Siciliam patre, cum in eo erectus animus, florens ætas, egregia in omnes humanitas comitasque, nihil ſævum, nihil atrox, nihil elatum, nihil quod e paternis avitisque moribus traxiſſet, cerneretur, admirabili omnium Ordinum lætitia a Neapolitanis Rex ſalutatus, in Caſinates ſaltus ad exercitum redierat, ubi munitis in caſtris opperiri hoſtes, primasque ingruentium impreſſiones anguſtis in locis excipere, atque eos aditu Regni arcere ſtatuerat. Et Galli Roma egreſſi Latina via, quacunque iter facerent, cuncta [illegible]tque armis aperientes adventabant: oppida aliquot, quæ fiducia virium locique potius cl[illegible] cauſa fuerant, perfracto vi tormentorum mur[illegible] expugnatis, & magna cum hominum cæde incenſis, tantum diffudere in omnes formidinis, ut & Ferdinandus milites que ejus relictis, qua

imm

invidebant ducibus, territi Capuam se receperint: & nulla inde civitas moratum impetum irruentium, aut experiri vim elegerit. Et Campani ipsi, dum Ferdinandus Neapolim ad ſedandum plebis tumultum excurrit, de tradenda Gallis urbe inter ſe agitant, recurrentemque ad eos mœnibus excludunt. Copiarum Duces ſibi quisque conſilium capiunt, & aliqui in caſtra hoſtium transgreſſi de ſuis rebus privatim paciſcuntur. Neapolitani, qui paulo antè inter fauſtas vulgi acclamationes victoriam illi, imperium, læta omnia ominantes, non ſalutaverant modo Regem, ſed certatim vitam facultatesque ſuas pro ejus ſalute obtulerant, audita Campanorum defectione, redeunti Neapolim portas claudunt, ac regium ſtabulum aggreſſi diripiunt. Ipſe perditis rebus, relicto ad cuſtodiam arcis Alfonſo Davalo, naves longas, quæ erant in portu ad viginti, conſcendit, atque in Ænariam inſulam, triginta inde millia paſſuum, (Iſclam nunc vocant) trajecit. In ea caſtellum tum natura, tum opere ita munitum, ut nulla vi expugnabilis habeatur. Haud minus ibi infelicem ruenti domui ſuæ fortunam invenit, quam in continenti reliquerat. Siquidem Præfectus arcis jam victoris Galli gratiam præmiaque proditionis reſpiciens, nulla Regis ſui miſericordia, in ſummam repente calamitatem delapſi permotus, egreſſum navibus prohibuit. Quo ille inopinato perfidiæ caſu, ita conturbatus animo eſt, ut nunquam antè ſævi-

ſævientis fortunæ faciem magis exhorruiſſe dicitur; & intentis in cœlum oculis, tanquam omni humana ope deſtitutus, divinum expoſcens auxilium, diu immotus ſteterit, fugereque illinc protinus in Siciliam decreverit. Sed ſubiens iterum arcem, repetitis precibus à Præfecto obtinuit, ut ipſe cum uno tantum comite intromitteretur. Quod illi quidem in meritam falſi animi pœnam vertit, Ferdinando præclari facinoris gloriam addidit. Vix enim immiſſo in limen pede, quanquam ſolus ab turba armatorum exciperetur, indignatione accenſus, ſtrinxit gladium, ac tanto impetu ſe in Præfectum ipſum intulit, tantoque majeſtas ac veneratio præſentis Regis pudore ac metu omnes perfudit, ut violare aut attingere eum nemine auſo, & proditorem & arcem in poteſtatem ſuam redegerit. Fit enim ferè, ut in ſcelere deprehenſis hebeſcat audacia, vindicantibus animus accreſcat. Galli non recepti modo à Neapolitanis ſunt omni apparatu magnificentiæ, & quibus ſignificari populorum ſtudia gaudiaque ſolent; ſed paucos poſt dies arx quoque ipſa regia gaza referta, proditione Germanorum qui in præſidio erant, eſt illis tradita: cunctaque inde viribus patuerunt. tanta fortunæ vi, ſive omnis, ſupra quam optare auſi eſſent, indulgentia, ſive Arragoniam domum profligare atque evertere properantis, ut Regnum armis, opibus longè firmiſſimum ſine ſanguine, ſine vul-

nere

ante, ſine labore ullo, veluti acciti in ſuum, non oppugnaturi alienum veniſſent, ſubegerint. Cujus victoriæ tanta fuit fama, tantumque ex ea gloriæ nominisque Gallorum genti acceſſit, ut ea ad Turcas perlata, in quos debellatis Neapolitanis verſurum arma Regem & rumor diſtulerat, & Galli nuncio prædicarant, formido ingens incuſſa barbaris ſit, multiq; per Illyrici, Macedoniæque & Græciæ oras ſe in interiora loca, tutioraque [illegible] receperint. Et cum Veneta claſſis cum Grimano Præfecto, Ætoliæ littora prætervehetur, Turcas claſſem eam eſſe Gallicā ratos, magna cum trepidatione ac tumultu fugam undique cepiſſe, multisque maritimis locis præſidio deceſſiſſe. Sed nimirum gens Gallorum pariter parandis atque amittendis imperiis eſt nata. Non celerius, aut minori negotio Neapolim ceperunt, quam inde expulſi ſunt: eo quidem [illegible] exitu, quod qui valentiſſimo exercitu [illegible] illam victoriam adepti erant, ab [illegible] victo, ex ipſa victoriæ ſede detracti ac dejecti ſunt. Ferdinandus Regno fortunisque ſpoliatus conſilii inops apud Ænariam, qua ubi perditas ſpes erigeret, agitabat, cum territus tam ſecundis Gallorum ſucceſſibus Alexandrum Pontificem Maximum, Maximilianum Cæſarem, Regem Hiſpaniæ, Venetos, & ipſum eumque Ludovicum Sfortiam, auctorem & con[illegible] hujus belli, ad coërcendam vim ſuperbæ & promptæ ad injuriam gentis, conſpiraſſe

au-

audivit. Excitusque eo nuntio ab Ænaria
Siciliam navigarat, atque ibi à patre pecunia a
jutus, parato exercitu, cum Gonſalvo Cord
benſi, qui poſtea Italicis bellis ita inclaruit, u
Magni cognomentum adeptus tenuerit, in con
tinentem claſſe revectus copias in terram exp
ſuit, & capto Rhegio, multisque populis ad f
mam ejus erectis atque ultro ſe dedentibus, & v
teribus amicis ad eum undique affluentibus, co
tento curſu ad redintegrandas res, repete
dumque Regnum ſpei bonæ plenus ferebat
Eratque conſilium, Brutiorum receptis urbib
ac præſidio firmatis, exercitum protinus Ne
polim claſſe trajicere, haud vana ſpe, feſſos j
ſuperbo Gallorum imperio Neapolitanos ſe
Urbem accepturos, cum eum veluti illudens fo
tuna novo & gravi vulnere iterum ad terram
flixit, quo videlicet & ademptum & reddit
Regnum ſuum unius faceret munus. Quanqua
nos quidem magis more ſcribentium, quam v
rè, hæc inani fortunæ nomini tribuimus, qu
divinæ mentis nutu, cauſis intelligentiæ noſt
occultis eveniunt. Sed Ferdinando infeſto a
mine ad ultima experienda vadenti, ad Semin
riam urbem, Galli Obegnino ac Perſivo Du
bus occurrunt. Avidè ab adoleſcente Rege,
cupidine ulciſcendi hoſtes, & teſtandæ virtu
committitur prælium; ipſeque ante omnes a
dacter in hoſtes invehitur. Sed celeriter Hiſpa
equites, leviter armati, & curſu eludere, qua
juſt

juſtis viribus congredi cum hoſte aſſueti, ab equitatu Gallico graviter incumbente pulſi ac protriti ſunt, omnisque verſa in fugam acies. Ferdinandus omnia expertus, tandem & ipſe capeſſit fugam; in qua ipſa labente equo ad terram datus, cum ſuperſtrati pondere equi explicare ſe nequiret, & inſtaret inſequens a tergo hoſtis, & fugæ & ſalutis ſpe abjecta, fatum ſuum opperiebatur. Animadvertere hic libet viciſſitudinem atque inconſtantiam humanarum rerum. Quis crederet, eum ab hoc periculo, ſolum, ac tam propinquo hoſte omni ſpe deſtitutum, evaſurum? Quis verò ab illa clade ac deſperatione protinus ad poſſeſſionem Regni perventurum? In ipſa prope morte verſanti Neapolitanus juvenis ſupervenit, ac præſenti peſte exempto, memorabili pietate equum tradidit, quo ipſe ad fugam utebatur. Ejus pernicitate equi ſe Rex in tutum proripuit, juvenis inſequentium hoſtium turba eſt oppreſſus. At Ferdinando, cui penè reliqui nihil eſſet, tantũ fiduciæ fuit, ut exemplo veluti ſi viciſſet, repetito priori conſilio, claſſem conſcenderit, quãquam milite atq; omni apparatu belli vacuam, ac numero navium, quæ ad ſexaginta omnis generis erant, magis quam navibus fretus, ad caput ipſum rerum Neapolim perrexit, adhibita celeritate, ut famam adverſi ad Seminariam prælii anteverteret. Nova atque admirabili prorſus audacia, profligatus ac victus victoris animum occupavit, & quibus egregio exercitu inſtructis in acie

par non fuerat, ad eos ex ipſa Regni arce pellen-
dos, ad quod vel integro ac victori aſpirare m-
gnificum fuiſſet, inermis ac ſpoliatus conte-
dit. Nec fortuna toties antè fruſtrata juvene-
tum ſibi ſe penitus permittentem fefellit. Qu-
quam tum quoque ex magna ſpe in ultimam d-
ſperationem conjectum, rurſumque erect-
mirè eluſit. Cum enim in conſpectum Neap-
lis claſſem dediſſet, ſatis credens, veteres amic-
quorum occultis nuntiis accerſebatur, aliqu-
moturos, quo ſibi aditus in oppidum patefier-
diem ipſum expectando moratus, ubi nemin-
ſe commovere animadvertit, claſſem in pro-
mam Niſitæ inſulam recepit, ac ſequenti die p-
tefacta evocantium ſe amicorum conſilia, eo-
que aut metu reſides factos, aut oppreſſos à G-
lis ratus, mœrens ac dolens, ſpe animoque a-
jecto, inde Ænariam petens abſceſſerat. A-
quitur parva ſcapha ex oppido elapſus quidam
plebe, nomine Monachus; eique Neapoli-
num populum cepiſſe arma, nomenque ejus a-
cribus ubique vocibus inclamari nunti-
Nam Neapolitani Gallorum jam arrogantiæ i-
ſolentiæque pertæſi, & direptæ paulò ante b-
bara ſævitia Caïetæ atrocitate, atque invi-
penitus alienati, etſi Galli ad conſpectum Ar-
goniæ claſſis urbem cum armatis cohortibus c-
cumeuntes cupidos novandi res metu contin-
rant; tamen nocturnis coitionibus confirm-
tumultu excitato Gallos in arces compellunt,

Regem Monachi nuntio propere regreſſum, applicantem littori ingenti lætitia ſuſcipiunt, impoſitumque equo tota Urbe ſpectandum circumducunt: tanto omnium favore, ut illuſtres quædam feminæ a feneſtris in viam deſcenderent, ac Regis dextram amplexantes, madentem ſudore linteis ſuis abſtergerent. Nec multo poſt Gallos in arce, magna ſpe obſidentium, novo vulnere cum fortuna, tanquam exagitandum vexandumque aſſidue hunc juvenem ſibi deſumpſiſſet, perculit. Cum enim Perſivum valida cum manu, ut auxilium obſeſſis ferret, adventare didiciſſet, ad arcendum eum delectas copias ac totius exercitus ſui robur cum Matalonæ Comite miſit. Is imperitia belli cum Perſivo apud Ebulum temere congreſſus, multis ſuorum aut cæſis, aut in fuga diſſipatis, omni prope amiſſo exercitu, cum paucis Neapolim eſt repulſus. Quod quidem Ferdinandum tanto dolore affecit, ut ad primum ejus renuntium de deſerenda Urbe, conſciſcendaque iterum fuga cogitaſſe dicatur. Verum collecto mox animo, ſumma adhibita cura, ne quid famæ ad obſeſſos permanaret, quod inchoatum antè erat cum iis, de deditione, tranſigere properavit, priuſquam de ſuorum adventu, ac ſecunda pugna illi ſuſpicarentur. Ita Perſivo quoque ipſo felici auſu ex Pauſylipi collibus Neapoli, atque aditu ad ſuos prohibito, arcem recepit, & ſecuta rerum inclinatione omnia fere circa oppida in fidem ejus redierunt. Adjutus

inde terra marique maxime Venetorum ope, quibus ipſe maritimas aliquot Urbes in pretium ſu-auxilii tradiderat, repreſſis ac demum ad Atellam compulſis obſeſſiſque hoſtibus, plenam de Gallis victoriam retulit, dum Carolus Rex in Galliam reverſus, amoribus ac voluptatibus irretitus, ſuos promiſſis ſæpe auxiliis fruſtratos deſeruit. Ferdinandus in certam jam ſpem ſtabilium rerum erectus, omnibus prope Urbibus, præter Tarentum & Caietam, aut reverſis in fidem, aut redactis, recuperaſſe dignitatem ſuam, certiuſque nomen egregie tueri videbatur, cum partim diuturnis belli laboribus, partim ex intemperantia, & novæ nuptæ amplexibus, quibus æquo plus indulſerat, morbum contraxit, cujus ſuſtinere vim non potuit. Sic juvenis omnibus artibus, & ad ampliſſimam fortunam decens, bellique pacisque ſtrenuiſſimus, nihil Regno ſuo præter antecedentem calamitatem, & recuperandi labores aſſecutus, paucis diebus poſt exactos ex eo hoſtes, recepta ſpe ſecundarum rerum ac benignioris fortunæ vultu, in medio juventæ flore, ſine liberis deceſſit. Eo mortuo, Federicus patruus Rex à Neapolitanis ſalutatur, vir natura & vitæ ſimplicis, ſi per eos licuiſſet, qui Regnum ejus inter nefaria pactione diviſerunt. Nam Aloyſius novus Galliæ Rex, eodem conſilio, quo paulo ante in Ludovico Sfortia Mediolani dominatu ſpoliendo, fuerat uſus, cujus partem Regni Venetis in præmium ſocietatis conceſſerat, Hiſpano-

rum

quoque pellexit, qui ſoli obſiſtere conatibus ejus, & tueri Federicum poſſe debereque videbantur. Compoſitis igitur controverſiis, de quibus Reges bello certabant, occultum adverſus Federicum fœdus percuſſerunt: ſic partito inter ſe ejus Regno, ut ipſa Neapolis cum Campania, Samnio, Marſis ac Pelignis Gallo; Brutii, Lucani atque Appulia omnis Hiſpano cederent. Tanto quidem majori Ferdinandi Hiſpani, quàm Aloyſii Galli infamia; quod hic palam hoſtis jus ſuum bello perſequebatur; nec ſcelere ſed errore labi eſt viſus, qui Regem aſtu ac viribus pariter ſuſpectandum victoriæ atque prædæ ſocium incautè adſcivit, primusque aditum Hiſpanis in Italiam patefecit, cujus tum ipſe unicus arbiter eſſe poterat. At Ferdinandus nulla laceſſitus injuria, propinquus & ſocius Federicum gentilem ſuum improbo cupidine aliena invadendi, perfidioſiſſimè circumvenit. Ac magnis comparatis copiis atque in Siciliam Italiamque veluti in auxilium ejus traductis per Gonſalvum, ſpe ſui ludificatum tam diu ſollicitavit, donec Gallorum exercitus in fines Regni irrumperet. Tum nudata perfidia, è Brutiis & ipſe imparatum deſtitutumque eſt adorſus. Horum igitur conſpirationi impar Federicus ab Caſſinatum ſaltibus Neapolim rediit, atque inde deſperata defenſione Ænariam in inſulam tranſmiſit. Et cùm tum cedere Regno dira neceſſitas cogeret, Ferdinandum deſertorem ac proditorē ſanguinis ſui ita eſt averſatus, ut potius,

circumſtantes ad naves deduxere. Nec ipſum Aloyſius inermem ac ſupplicem ad ſe venientem, regio animo accepit. Itaque Fredericus ingenti dolore concepto, non multo poſt morbo interiit. Nam Ferdinandus quidem liberalius filium ejus tractavit: quem Tarenti diu oppugnatum obſeſſumque, corruptis demum, qui adoleſcenti in conſilio erant, traduxit, ut inexpugnabilem Urbem ſibi dederet, ea conditione, ut cum rebus ſuis liberè, quo vellet, abire liceret. Nec tamen ſervata dedito fides: Nam Ferdinandus, ne dimiſſus juvenis renovandi belli repetendique Regni conſilia inveniret, cuſtodiâ circumdatum in Hiſpaniam deportari juſſit. Ubi primò honorificè ac prope regio cultu habitum, non multò poſt deprehenſum fugæ conſilia cum Gallis agitaſſe, Satinenſi in arce incluſit; occiſo prius in oculis ejus tetro ſupplicio Philippo Coppula Neapolitano, qui ab ipſo ad Regem Galliæ occultè commeaverat. Ita res variante fortunâ, ut Philippus pro nepote ejus vitam profunderet, à cujus avo pater ſuus, Sarnenſium Regulus, fuerat ſecuri percuſſus. Hunc inde Juvenem, cùm poſt Ferdinandi mortem, Hiſpaniæ populi arreptis armis à Carolo V. deſciviſſent, cuſtodiâ eductum, ac veram veterum Hiſpaniæ Regum progeniem, unicamque Hiſpanici Sanguinis reliquiam prædicantes, Regem facere conati ſunt: ſed ille diuturni carceris miſeria exuerat regium animum. Itaque pertinaci recuſatione, Hiſpanorum ſpem

ſtudi-

DE

Ludovico Sfortia,

Cognomento Moro,

Duce Mediolanenſium.

EOdem tempore, quo Hiſpania profectus Alfonſus Regnum ſibi Arragonioque nomini apud Neapolitanos moliebatur, alterius fundamenta Regni, haud firmiores radices habitura diutiusve duratura, Sfortiæ domui jaciebantur. Quæ antea obſcura atque humilis, virtute ac fortuna ad eam claritudinem pervenit, ut & Inſubriæ imperio ſit potita, & cum maximis Europæ Regibus, ipſisque ante omnes Arragoniis mutuis affinitatum vinculis annexa, poſtremum & eos in exitium impulerit, & eadem ruina præceps una & ipſa ierit. Mutius Avendolus Cotoniola, modico togatæ Galliæ oppido natus, ab violentis corporis viribus Sfortiæ cognomentum adeptus, clarum ad poſteros nomen familiæ ſuæ indidit. Hunc puerum propter humilitatem, Jacomuzzum ferunt vocitatum, poſt Muzzum, inde cum clareſcere cœpiſſet, honeſtiore vocabulo Mutium dictum. Sed quocunque feretur nomine, ex vili agreſtique, aut certe ex gregariæ militiæ uſque

adeo

cunctaque injuria ſubegerat. Itaque eo ad Aquilæ urbem, in cujus obſidione pertinaciter hærebat, a Franciſco, Sfortiæ filio acie ſuperato interfectoque, una omnis fortunæ amplitudo concidit; atque ipſe etiam ſepulturæ honore caruit, quod ob ſcelera contemptumque omnis humani ac divini juris, ſacris & rebus & locis a Pontifice Maximo eſſet prohibitus. Sfortia opes ſuas ad poſteros propagavit: ſed ipſum infelix admodum exitus vitæ tulit. Nam in hunc ipſum Bracium, ad liberandam Aquilam, Martini Pontificis Maximi juſſu ducens, in tranſitu Aterni amnis, cui Piſcario nunc eſt nomen, indigniſſimo caſu periit. Reſpectantibus enim equitum turmis, ac timide ſe prææalto flumini committentibus, quo exemplo ſuo animum adderet, Princeps ipſe impulſo equo flumen intravit; in adverſamque evaſerat ripam, cum ad opem ferendam armigero puero, qui forte in gurgite periclitabatur, reverſus, ſubſidente limoſo vado, deficientibusque equum poſterioribus cruribus delapſus, ac pondere armorum preſſus, merſusque amplius non apparuit; ac ne corpus quidem ejus ad ſepulturam quæſitum, toto explorato pertentatoque flumine, usquam eſt inventum. Egregiam filiorum ſobolem reliquit. Ex Antonia Salimbenia Seneſi Boſium, qui uxorem duxit Chryſidem Aldobrandeſcam, quæ ſeptem oppida prope Seneſium fines, in quibus Parſenium & Floreſunum in dotem ad maritum attulit, & ab eo Romani Sfortiæ profluxere.

Ex

que cælo ſpacio attritisque adverſarum partium viribus, ſcientia ac diſciplina militari & rerum geſtarum gloria, opibusque ac dignitate longè transgreſſus, vagam incertamque domus fortunam aliquando certa ſtabilique ſede collocavit. Diu enim vario bellorum eventu totam Italiam, ut antè pater, mercenariis armis venalis Dux peragratus, Picenique agri Urbibus, quas adverſus jus atque fas occuparat, a Pontifice Maximo adjuvante Alfonſo Rege pulſus, in Venetam, Ciſalpinamque Galliam redierat. Ubi enim multò antè Philippus Mediolanenſium Princeps ob ſpectatam bello virtutem, eximiamque apud milites auctoritatem, generum adſciverat, unica filia, quam non juſto matrimonio ſuſceptam habebat, cum Cremona nobili urbe illi tradita; neque magna, neque nulla ſpe, in ſoceri Regnum ſuccedendi, cum & Philippus integra ſibi omnia reliquiſſet, & ejus vario inconſtantique ingenio ſatis fidere nemo poſſet. Sed Franciſcus modò carus expetitusque & belli Dux, & arbiter apud ſocerum, modò rejectus & hoſtis, ſenio ejus ac tempori & occaſioni intentus imminebat. Quo demum mortuo, cum Mediolanenſes ad capeſſendam libertatem animos nequaquam ſatis firmis ad id civitatis viribus, extuliſſent, & a Venetis inſita libidine proferendi fines, acri bello premerentur, Franciſcus receptis Ticinenſibus, Pertonenſibusque, qui ſe ei urbesque ſuas ultro tradiderant, primò quidem

Senatui Mediolanenſi auxilio adverſus Venetos fuit: quos immoderatas & graves aliis opes colligentes, omnisq; citerioris Galliæ imperium impotenti ambitione affectantes, nobili ad Caravagium pugna, egregie contudit. Mox ut victoriæ ſuæ fructum unus interciperet, momentumque omne belli in ſe uno ſitum appareret, cum Venetis ipſis felicitate ac virtute ejus territis, ſocietatem junxit, pecuniaque eorum adjutus brevi Mediolanenſes, pari vi atque conſilio, in eas difficultates ac metum rerum ſuarum conjecit, ut quamquam Veneti deſerto Franciſco eos tueri conarentur, tamen magnis domiti malis deditionem ad eum fecerint. Atque ita Mediolano recepto, atque infeſtis Venetorum armis fortiter repulſis, reliquas omnes civitates parvo negotio pacavit, ac opulẽtiſſimæ Provinciæ regno eſt potitus; adeoque excelſo ac ſibi fidenti animo fuit, ut cum Federicum Cæſarem rogaſſet, ut imperium bello partum ſibi auctoritate ſua confirmaret, atque ille illiberali nundinatione pro eo juris additamento ingentem pecuniam poſceret, Franciſcus irriſa Cæſaris cupiditate munus ejus magnificè deſpexerit, regnumque quod inde ſexdecim annos tenuit rexitque, egregia non bellicæ modò gloriæ, ſed civilium quoque artium, & juſtitiæ & æquitas fama, decedens plane ſenex filiis reliquerit, firmum multisque munimentis domi forisque ſtabilitum; ipſamque Mediolanenſem arcem magnum & nominis ſui monumen-

mentum & regum, antè perfecerit: Cujus ea laxitas molesque habetur, ut quemvis maximorum Regum ab illa inchoanda deterrere ſumptuum atque operis magnitudo potuiſſe videatur; ea vero munitio, ut nulla vi expugnabilis eſſe exiſtimetur. Sed certa naturæ cuncta variantis lege, raro filios, ut dignitatis, ita diſciplinæ paternæ hæreditas ſequitur. Idque vitii magnæ etiam fortunæ inceſſe credi poteſt, cui innutriti filii, nec modum privatæ conditionis unquam experti, a parentum induſtria facile deficiunt. Hinc ab illis, ſummis ac diuturnis laboribus partæ conſtitutæque opes, peſſum horum ignavia ſæpè dantur. Franciſco filii quinque fuere: Joannes Galeatius, materni avi nomen referens, Ludovicus, Octavianus, Sfortia, & Aſcanius. Galeatio natu majori regius patris principatus obvenit; quem ille nequaquam paribus artibus geſſit, ac minime patris veſtigiis inſiſtens, & luxuria & incontinentia infamis, uno tantum profuſæ liberalitatis, & in cultu vitæ regio luxus & magnificentiæ nomine eſt commendatus; in quo excelluiſſe adeo reliquos gentis ſuæ Reges fertur, ut memoriæ prodiderint Scriptores portentoſi ſumptus apparatum atque pompam, qua Florentiam urbem eſt ingreſſus. Duo equitum millia non militarium, ſed qui tantum officii aut muniſterii cauſa eum ſequerentur, in comitatu habuiſſe, atque in his Principes Inſubrium, atque totius prope Ciſalpinæ Galliæ fuiſſe, quibus omni-

omnibus equisque eorum victum largè magnificeque ipſum præbuiſſe, ſingulosque aureis aut argenteis veſtibus donaſſe. Quinquaginta pueros in militaribus equis ſumptuoſiſſimè ſplendidiſſimeque ornatis eum anteiſſe; totidem Agaſones; ac ſervos à pedibus in equo eunti circumfuſos; alios argenteo, alios ſerico veſtitu fuiſſe. Qui menſæ cubiculoque ejus miniſtrabant, longè cæteros ornatu præſtitiſſe. Horum quadraginta præter veſtimenta acu picta, multoque auro atque argento intexta, torques aureos magni ponderis collo circumdatos geſtaſſe, & id quoque munus ab illo accepiſſe. Cataphractos centum, pretioſis laciniis equisque inſignes, pedites quingentos cuſtodiæ cauſa ſecutos, quorum nemo expers liberalitatis ejus fuerit. Parem Buonæ uxoris cultum, parem puerorum equorumque & Agaſonum numerum, ac duodecim præterea ſchedas auratas, aureaque veſte intextas in uſum feminarum adduxiſſe, quas jumentis impoſitas per Apennini juga tranſtulerit. Mulos ducentos impedimenta ac ſarcinas, & ipſas ſtrangulis ſericis ſuperſtratas, deportaſſe, ipſis quoque mulionibus ſerico ornatis. Tibicinum, Buccinatorum, Fidicinum, & ad hos Pumilionum, Mimorum, Scurrarum, cæterorumque Aulæ inquinamentorum magnam turbam: atque ex tanto numero neminem, ne ex infimis quidem coquinæ aut ſtabuli miniſtris fuiſſe, non argentea aut ſerica veſte indutum, quam dono ab illo

illo accepiſſet. Poſtremo hoc agmen, quo nihil ſpecioſius, aut adeo luxurioſius videri poterat, haud diſparem ſecutum venationis atque aucupii apparatum. Quinquaginta paria canum varii generis, ingentem falconum atque accipitrum numerum cum venatoribus, cuſtodibus, & aucupibus ſuis; & alitibus ipſis ſplendentes gemmis ac margaritis pileolos fuiſſe. Neque hunc luxum aliena in civitate majorem oſtentavit, quam quo vivebat in ſua. Quamquam Florentinis ſobriis ac frugi hominibus, tantus ac tam prodigioſus eſt viſus, ut tam immanibus ſumptibus ullas ſufficere divitias poſſe, mirarentur. Atque huc, tanta virtute Franciſci partæ opes pecuniæque ad imperii munimentum ſepoſitæ, prodigebantur. Tam profuſo luxui, quem ipſe aſſentatoresque ejus magnificentiam atque liberalitatem appellabant, opinionem ſævitiæ æque levibus ex cauſis quæſitam adjecit, etſi æquabilitatis & juſtitiæ cultor maxime exiſtimari vellet, curamque magnam intenderet, ne qui gratia aut pecunia corrupti judices à præſcripto Legum diſcederent. Sed ipſe, Mathematicum, quem quamdiu in principatu victurus eſſet, conſuluerat, quod ejus ſpe & cupidine breviorem diem præfiniens, decimum annum non exceſſurum reſpondiſſet, raptum in carcerem fame necavit. Agreſtem, qui leporem contra edictum ejus occiderat, ipſum cum pelle oſſibusq; leporem mandere & vorare coegit; ex quo ille miſerè periit.

 Alteri,

Alteri, quod Matronam, quam ipſe deperibat, percoleret, rivalem ſuſpicatus, falſo objecto crimine manum utramque præcidit. Item alium, qui ab eadem cauſa in ſuſpicionem illi venerat, concluſum lignea in arca, eaque clavis confixa ac pice illita, vivum effoſſa humo obrui ac ſepeliri imperavit. Et Veronenſi cuidam familiari ſuo imprimis caro, menſæ alligato, exſecari atque eximi teſtes juſſit. Tonſorem quoque ſuum equuleo torſit, & nihilominus radendum ſe illi præbere, & novaculæ ejus gutture committere, quem vinculis ac tormentis cruciaverat, ſuſtinuit. Solitum & mutata veſte ſumptoque mercatoris, aut gregarii militis habitu obire ditionis ſuæ oppida, & per diverſoria cauponasque explorare famam ſui, & dedita opera percunctari & expiſcari de ſe hominum ſenſus, & quosdam inde punitos ab eo, aut provectos præmiis, & quædam etiam ſancita, emendatave ex his vulgi ſermonibus ferunt. Sed nihil æque nomen ejus premere eſt viſum, pluriumque odium in eum accendere, quam effrenata, & per omnium domos errans, & vaga libido, cui nullius pudicitia ſatis clauſa ſeptaque erat, cuncta corruptelis ac muneribus, & ubi ea parum valerent, metu aperienti perrumpentique. Sed adeo omnia licentia laſciviaque depravaverat, ut jam matronæ honori ſibi, non pudori, ducerent, à Principe iniri, à pluribusque veluti orta æmulatione ultro appeteretur. Quarum ipſe fama ita abuſu-

uſus dicitur, ut etiam amicis eas proſtitueret & lenocinio ejus uſi plerique amatores ſua potirentur. Hi mores atque hæ contumeliæ claris quoque familiis inuſtæ tres nobiles juvenes ad conjurandum compulere: quorum unus Carolus Vicecomes, ſuper dolorem tranſlati a familia ſua in Sfortiam domum Principatus, incendebatur injuria probroque ſororis, quam non vitiaſſe ſolum Galeatium, ſed exoleto ſuo proſtraviſſe didicerat. Hic ſocios ſibi aſſumpſit Joannem Andream Lamponianum, & Hieronymum Olgiatum. Lamponianum quoque proprii ſtimuli ingens in Principem odium, quod litem ſecundum adverſarium judicaſſet, incitarunt. Sed Olgiatum vix dum pubeſcentem amor laudis ex cæde Tyranni traxit, impellente præceptore, & ſæpe gloriam memorante, quæ Tyrannorum interfectores manet, Caſſiumque & Brutum ſummis laudibus extollente. Hi Stephani templum, ut divinæ rei intereſſet, intrantem, nihil veriti tot militum ſtipatorumque corporis turbam, adeo efferaverant, & adverſus omne periculum obſtinaverant animos, aggrediuntur. Lamponianus literarum faſciculum manu præferens, propius cum acceſſiſſet, porrigentis dextram, primus femur gladio hauſit, atque iterum vulnus in lævum adegit latus. Carolus & Olgiatus a tergo invadentes crebris repetitis ictibus pene ante confodiunt, quam animadverti, quod fieret, a circumſtantibus poſſet. Et cadente demum Principe, cla-

more ac tumultu orto, dum majores conjurationis vires, nec aliter auſurum quemquam tot armatis hominibus circumſeptum adoriri ſuſpicantur, pro ſe quisque præripere fugam contendunt. Ante omnes mixti populo ac turbæ mulierum ſatellites aufugiunt, ac templum momento deſeritur. Galeatius ac penes eum unus è cuſtodibus corporis jacentes à Sacerdotibus inventi; nec procul inde Lamponianus, quem aſſecutus ſatelles Æthiops haſtili cuſpide transfixum occiderat. Atque talem Galeatius tantis modò deliciis voluptatibusque circumfluens, tantis conſpicuus opibus, tot militibus ad oſtentationem regiæ magnitudinis circumdatus, à tribus juvenibus in medio armatorum agmine, frequente inſpectanteque populo multis vulneribus fœdè laceratus, vitæ finem invenit. Corolus & Olgiatus cùm inter tumultum trepidationemque fugientium templo evaſiſſent, biduo poſt latebris ſe occultantes, inventi captique ſunt. Prætereundum hoc loco non videtur, quod de Olgiato ſcriptum Auctores reliquère. Hunc viginti annorum adoleſcentem facie ac pulchritudine muliebri, tenero mollique corpore, qui ante id facinus, telum aut arma nunquam attrectaſſet, primùm ad rem longè atrociſſimam, maximeque ancipitis periculi, necem Principis animum accommodare potuiſſe: mirum; mirabilius, nullo privato in eum odio, nulla injuria, ſed ut quem regium ob faſtum immoderatamque libidinem Tyran-

num

num rebatur, tolleret, adductum. Sat videri poterat, tam teneri corporis ſpiritum, tantæ audaciæ ac tanti diſcriminis facinus capere cogitatione potuiſſe, quod etiam ſtrenue eſt executus. Nec tamen hic admirationis terminus in hoc juvene fuerit. Ad exprimendos conjurationis ſocios, tortori traditus negavit alios pulcherrimi facti participes, præter eos qui in omnium conſpectu id eſſent auſi; neque enim, ſi qui forent, ſe quemquam merita laude fraudaturum. Quum non judicium ſolum ab eo, ſed etiam ultiò atque ſupplicium peteretur, atque ipſe irritaret contumaciâ tortorum iram, omnibus cruciatibus acerbiſſime laceratus, inter ipſa tormenta nullo edito unquam gemitu, conſtanti voce nihil aliud, quam ſe gloriâ egregii facinoris frui; neque eam ſibi à ſævientibus auferri poſſe, prædicabat. Ductus ad ſupplicium, quod erat futurum, ut vivus quatuor in partes ſecaretur, nihil eâ pœnæ atrocitate, aut aſpectu carnificis exterritus, animo vultuque immoto, ac propius lætanti Carolum hortabatur, dolorem fortiter ferre, quando mortem, quæ brevi ſenſu tranſigitur, immortalis fama ſecutura eſſet; oravitque carnificem, ut ante in ſe animadverteret, quò Caroli animus fractus ac debilitatus ſuo exemplo confirmaretur. Mox nudato corpore, ac palo alligatus, circumfuſam multitudinem avertentem miſeratione à tam tetro ſpectaculo oculos, conſtanter eſt allocutus, eſſe eos memores debere liberatorum

ſuorum dictitans. Poſtremo piâ oratione propitiato placatoque Deo, moriens quoque atque ultimum edens ſpiritum, eandem vultu ac ſermone conſtantiam retinuit: quin & in ipſis carceribus vinculiſque, membris per tormenta divulſis, verſus jactitaſſe dicitur, quorum pauci qui extant, quanquam ab adoleſcente, atque rudi adhuc ſæculo, & in ipſa prope morte compoſiti, ſubſcribere, non videtur eſſe, cui pigeat, quin magis imperterriti animi robur in tam molli corpore, immaturaque ætate advertatur.

Quem non mille acies, quem non potuêre phalanges
Sternere, privatâ Galeaz Dux Sfortia dextrâ
Concidit; atque illum minime juvêre cadentem
Aſtantes famuli, nec opes, nec Regna, nec Vrbes.
Hinc patet, humanis quæ ſit fiducia rebus;
Et patet hinc, ſævo tutum nil eſſe Tyranno

Interfecto Galeatio, certamen illico inter vindicantes ſibi unici filii tutelam eſt ortum. Et initio quidem omnibus ſtudio popularium prælata eſt mater, eique adjunctus Ciccus Simoneta, ipſi charæ vir induſtriæ atque fidei. Et Ludovicus occiſi Galeatii frater res novas moliri compertus, Piſas in exilium abire eſt coactus. Sed Buona, ut non ea pueri mater fuit, amoribus dedita, & quotidianis ſtupris probriſque fœdante domum, Ludovicus ab exilio revocatur. Is brevi dejecta matre procurationem pupilli regnique invaſit, ac ſtatim capitulum & ambitioſum animum ad Regnum ipſum occupandum adjecit. Quod etiam

præ-

præreptum ſibi iniquo patris judicio ajebat, qui etſi Galeatio minor ætate, primus tamen in lucem poſt partum Mediolanenſe Regnum fuiſſet editus, neque enim ordinem naſcendi, ſed conditionem ſpectari oportere. Et fratrem privato patre genitum, non immeritum, quam ubiqua natus eſſet, fortunam ſuccedere debuiſſe. Sed id quidem nihil neceſſe fuit ad cujusquam inquiſitionem vocare, cum brevi omnia ipſe ſuæ poteſtatis fecerit. Ad eam autem quam deſtinaverat animo dominationem, duplicem habuit perveniendi viam. Quicumque primum omnium fratris beneficia haberent, memoresque ejus ac fideles puero futuri videbantur omni publicâ adminiſtratione, alios alia cauſa removit. Mediolanenſi arci, cæterisque tota ditione, homines probos ſibi obnoxiosque imponit, item militares præfecturas amicis ſuis clientibusque impartitur, & publicis vectigalibus, ac ipſi denique jurisdictioni lectos ab ſe præeſſe jubet. Et ne quis poſthac obſiſtere aut objicere ſe conatibus juſſisque ſuis auderet, Ciccum Simonetam ex veteribus Galeatii fratris amicis egregia virtute civem, quique integra fide rem Mediolanenſem pro puero adminiſtrarat, unusque non defuturus illi, ac ſe Ludovici conſiliis oppoſiturus videbatur, falſis criminibus circumventum, palam medio in foro ſupplicio affecit. Sic hiſce re auſcente ſummo ingenio ne, cuncta ſimul illi, arces, arma, pecuniæ, poteſtas in omnes vitæ necisque, vera dominationis

inſtru

inſtrumenta in manus venêre. Deinde puerum ipſum ſponte ſuâ infirmo imbecilloque ingenio ita inſtituit, ut hebetiorem diſciplinâ redderet. Non literarum, non armorum, non militaris rei ſtudiis, non denique moribus, aut artibus ullis imbui ætatem ejus pati, quæ regiâ fortunâ atque adeo ingenuo atque honeſto loco natum decerent. Quin ſtudio quæſiti adhibitique corruptores, qui pueriles annos ad ludicra, ad voluptates, ad luxum ultro labentes, etiam adjuvarent atque impellerent, in otio ignaviaque aſſiduè haberent. Ita educato, ne poſtquam adultior quidem ac juvenis eſt factus, erigere animum ad capeſſendas magnarum rerum curas, & vindicandum repoſcendumque à patruo regnum facilè fuit; deſerto præſertim ac deſtituto paternis amicis, quos omnes, aut fictis cauſis everterat Ludovicus, aut ſpecie honoris amoverat; & præterea obſeſſo cuſtodibus ab eodem Ludovico appoſitis, qui omnia dicta factaque ejus exciperent, & ne quis torpentem excitaret, adverterent. Et qui dedita operâ animum ejus languore deſidiaque infecerat, ipſam hanc adoleſcentis inertiam ſocordiamque, retinendi imperii cauſam, dum illius eſſet confirmatior ætas, ne Regentis inſcitiâ detrimentum Reſpublica pateretur, cupiditati ſuæ fraudique prætendebat. Notis inde artibus conciliandi vulgi ſtudia, ipſe facilis aditu, blandus alloquio, in omni congreſſu perhumanus & comis, tenuiorum adeuntium, & interdum abuten-

tium

tium patientia ſua ineptias leni ferre animo, ex ore ejus nulla ſuperba vox excidere, nulla iracundia de conſtantia decedere, ingenuas artes fovere, doctos homines, & ingenio atque induſtria commendatos provehere pecunia, honoribus afficere, Urbem ædificiis privatim ac publicè exornare, plebi adverſus potentiorum injurias auxilio eſſe, jus æquabiliter dicere, vilem annonam præſtare, ſublatis latrociniis omnia pacata tranquillaque habere. Quibus rebus apud populares & invidiam ſuam, & Galeatii deſiderium ita lenibat, ut boni atque integri aut taciti mœrerent, aut metu diſſimularent; alii proſpicientes animo infelicis pueri exitum, ſpes ſuas præſentibus accommodarent, vulgus lætæ pacis atque otii bonis fruens, publici incurioſum ageret. Sed in magnis, quibus Ludovicus permiſtus fuit vitiis, virtutibusque longè altius animum ejus ambitio perruperat: qui cum Ducis modo vocabulo abſtinens, cætera non ut tutor ac procurator alieni Principatûs, ſed ut verus Princeps adminiſtraret, verique Principis auctoritas illi, & apud ſuos & apud exteros inesset, & Galeatius inani tantum nomine Ducis ferretur; tamen quieſcere non potuerit, donec quoque nomen Ducis ac jus in ſe transferret. Atque impium conſilium ſpecie pietatis obtexit. Neptem enim ſuam, Galeatii ſororem, nomine Blancam Maximiliano Cæſari in matrimonium tradidit, ut tanti Regis affinitate, & novum familiæ decus, & Galeatii rebus ſtabilimen
qua-

quæſitum videretur. Sed occultâ immanis pecuniæ pactione cum Maximiliano ejus rei cupido ſemper & prodigo transegit, ut Galeatio prætérito, tanquam pater avusque ejus, ſine Cæſaris auctoritate, Mediolanenſium imperium non jure poſſediſſent, ipſe, qui primus poſt partum cum dominatum Franciſco filius natus erat, Dux appellaretur, & Maximilianus quadraginta millia nummorum aureorum ſpecioſo dotis nomine, ab eo acciperet. Hujus appellationis diploma Ludovicus clam habuit, donec ſublato Galeatio minori cum invidia proferret. Galeatio adulto jam nupſit Iſabella, Alfonſi Arragonii filia, puella eximia formâ, excelſo ac virili animo, & regio ſpiritu imbuta. Vulgavit fama, Galeatium, ut uſu Veneris prohiberetur, nec coïre cum nova nupta poſſet, cantionibus ac veneficiis à Ludovico petitum; ſive liberos ne procrearet; ſive amore Iſabellæ, cujus ſpecie ita exarſiſſe illum primo aſpectu conſtat, ut de ea abducenda à Galeatio ſibique jungenda cogitaſſe dicatur. Verum hæc utrisque libentibus neceſſitudo eſt inita: Nam Arragonii Galeatium, ubi regni ſui potens eſſet factus, (id nimirum redditurum mox patruum rebantur) uxoris ſocerique conſiliis uſurum, & Ludovicus ſuſpicionem atque infamiam affectati Regni abſterſurum, & cogitata ſua altiùs abditurum, data fratris filio pernobili conjuge, ſperarũt. Utrosque ſpes fefellit: Illæ enim nuptiæ non ſolùm iis infauſtæ, qui junxerunt, ſed Regnis quoq;

ac familiis eorum funeſtæ atque exitiabiles, totique Italiæ calamitoſæ fuerunt. Jam Galeatius quartum & vigeſimum annum agebat, duorumque filiorum patrem eum Iſabella conjux fecerat, nec ſuſpicio deponendæ procurationis aut mentio ulla a Ludovico fiebat. Quin eò miſeriarum venerat infelix adoleſcens, ut cùm in patrui domo magnifica ac ſplendida omnia viſerentur, ei & familiæ numerus eſſet præfinitus, & ſumptibus modus à Ludovici quæſtoribus ſtatueretur. Quam indignitatem Galeatius ſtupore animi lente, Iſabella impatientius ferebat, quæ vix Dominationem modice toleratura, ſervituti certè ac ſordibus ſummittere animum neſciebat: & acuebat animos muliebris æmulatio, & Beatrix Ludovici conjux (ea Herculis Ateſtini Ferrarienſium Ducis erat filia) principali cultu habita, & faſtu & potentiâ multò quàm ipſa conſpectior. Omnia tamen vorare eam, & iram & dolorem premere caritas liberorum, & amor in virum ſubigebat: donec natus Ludovico filius diſtulit rumorem, eum Ticinenſium Principem deſignari, ut inde velut propinquo gradu ad imperium efferretur, quod Ludovicus abrupto demum pudore eſſet occupaturus, ſeque verum Ducem nuncupaturus. His incitata vocibus, metuque, cùm antea patrem crebris literis queſtibusque muliebriter fatigaſſet, hominem fidum ſibi clam Neapolim miſit, qui eum, avumque de omnibus rebus edoceret, oraretque ut fraude impiâ circumventis, oppreſſis-

que

que aliquando ſubvenirent; & quos miſeriæ non
moviſſent, pericula ſaltem inſidiæque moverent.
Infandæ ſpei atque cupiditati Ludovici unam
modò Galeatii filiisque vitam obſtare, eam ſeu
palam vi, ſeu clam dolo auferre malit, in manu
ſitam Tyranni eſſe. His accenſus Alfonſus, quæ
aliorum quoque ſermonibus famaque acceperat,
& veteri in Ludovicum odio, & inſitâ animo fe-
rociâ, bellum atque arma fremere. Sed Ferdi-
nando omnia priùs experiri, neque vim homin
metu atque ambitione præcipitis ullâ denuncia-
tione exagitare eſt viſum. Mittuntur Mediola-
num Legati, clari ac diſerti viri, qui multo cum
honore verborum Ludovici, ereptum fratris filio
regnum, conſervatum appellantes, maturæ jam
ætati ejus ut redderet, petierunt. Pari ſimula-
tione reſponſum ab illo: Jampridem ſe alien
regni procuratione feſſum, in qua pro officio erga
fratris filium, valetudinem curis ac vigiliis att
tam amiſiſſet. Itaque quando ille adoleviſſet,
penes quem manere ſemper veri Principis no-
men, ac jus voluerit, in eum jam perlibenter te-
gendi imperii ſui onus rejecturum, quod ad eam
diem ſummis cum laboribus, nec mediocri invi-
diâ, inter varios rerum ac bellorùm motus, ſuſti-
nuiſſet. Legati plures dies expectando Medio-
lani obverſati, verba dari Regibus ſuis intelligen-
tes, diſceſſerunt. Sed Ludovicus, qui antea Ar-
ragonios cum Petro Medice occulta conſilia
contra ſe miſcuiſſe, didicerat, ne ſimul duorum
præ-

præpotentium Principum viribus opprimeretur,
præmoliendum ſibi aliquid, quo conatus inimi-
corum refringeret, ſtatuit; ut præcipiti ac fatali
ambitioni animi decreto, atque adeo irati ei ſæ-
culo numinis inſtinctu, Legatos trans Alpes ad
ſollicitandos Gallos miſit, corruptiſque pecu-
niæ donis, quos apud Carolum VIII. (is tum
Gallis imperitabat) gratia atque auctoritate va-
lere intellexerat, adoleſcentem Regem ſtolida
ſpe occupandæ Italiæ, & magnæ invadendæ glo-
riæ elatum perpulit, Arragonios aggredi armis,
& regnum Neapolitanum, cujus ille ſe heredem
ferebat, bello repetere. Atque ignem illum ac-
cendit, cujus flammæ Italiam omnem ingenti
bellorum incendio multos annos depopulatæ,
Arragoniæ, Sfortiæque domus ampliſſimas opes
everterunt; & ipſi Ludovico maximè miſerabi-
lem & calamitoſum exitum vitæ attulerunt. Fue-
rit hoc loco operæ pretium memorare, quanta in-
ter ſe varietate hæ duæ familiæ egerunt: quarum
conditores fuerunt Alfonſus & Sfortia, longè
diſpares genere: quippe Rex ille antiquaque Re-
gum ſtirpe genitus; hic non privato ſolum, ſed
etiam humili atque obſcuro loco natus; ſed vir-
tute, fortuna ac rebus geſtis prope pares. Sfor-
tia Alfonſum Neapolim applicantem à Joanna
in præmium latæ opis adoptatum, pro Aloyſio
Andegavenſi contra arma tulit. Eundem à Re-
gina deſciſcentem nobili prælio pepulit, gravique
incommodo affecit. Franciſcum Sfortiæ filium
E Al-

Alfonſus Neapoli potitus acriter oppugnavit, nec ſolùm oppida, quæ in Neapolitano Regno multa habebat, ei ademit, ſed juſſu Pontificis Maximi cum exercitu profectus agri Piceni urbibus expulit. At Franciſcus parto Inſubrum imperio Ferdinandum Alfonſi filium gravi ac periculoſo bello ex ſæva omnium Principum ad Joannem Andegavenſem rebellione implicitum ac prope circumventum, enixè adjuvit, unusque maximè amittendi regni fortunâ liberavit. Vir enim prudens haud minùs quàm fortis, quanquam affinitate Andegavenſibus junctus, nec injuriarum Alfonſi oblitus; tamen nequaquam tutum fore Neapolim in Gallorum venire poteſtatem, ſeque medium ac veluti obſeſſum utrinque eorum regnis atque viribus teneri, eſt ratus. Hujus filius Ludovicus paternis ſpretis conſiliis Gallos ſibi haud vanas ob cauſas valde ſuſpectandos, contra Arragonios multis officiis atque neceſſitudinibus familiæ ſuæ illigatos in Italiam amens metu atque ambitione ac ſcelere præceps, ultro accerſivit: nec enim ſolùm Arragonios terrere aut implicare bello adventu Gallorum voluerat, ſed è medio tollere Galeatium, malâ ſtimulante cupidine meditabatur. Id & occultius fore in tanto rerum motu, & ſe minori cum invidia, jus atque nomen Ducis aſſumpturum exiſtimabat. Galli igitur hortatione ac promiſſis ejus exciti, Alpes ingenti peditum atque equitum numero tranſcendere. Italia omni externi ac novi hoſtis famâ atque expe-

expectatione concuſſa. Ludovicus deſcenden-
ti ab Alpibus Carolo Regi ad Aſtam occurrit, in-
de una Ticinum venere. Galeatius ſibi ſupremo
morbo, quo non multò poſt diſceſſum Regis in-
teriit, decumbebat. Viſit eum Rex, lectoque ejus
perhumaniter aſſedit, omni honore dignatus non
ſolùm quòd penes eum Ducis ac Principis adhuc
nomen maneret, verùm quod duabus genitis ſoro-
ribus propinqua affinitate attinebantur. Sermo,
quia Ludovicus aderat, nulla de re fuit. Tantùm
Rex eum bono eſſe animo, ac bene de ſalute ſua
ſperare, quæ fere dici ægrotantibus ſolent, juſſit,
& infelix juvenis apprehenſa Regis dextra, ad-
motiſque parvis liberis Franciſco & Benâ, eos,
quando ipſe jam fato ſuo cederet, voce, prægra-
vante vi morbi, fracta ac debilitata, multo cum
fletu illi commendavit. Eo majori miſeratione
commoto Regi, Principibuſque, qui cum eo ade-
rant, quò major ſuſpicio animis ſuberat, innoxium
adoleſcentem, nec aliud meritum, quàm quod eâ
fortuna eſſet natus, impii patrui fraude interire.
Tum Galeatii conjux Iſabella, & dolore viri, &
futura mox ſua filiorumque orbitate, & periculo
paternæ domûs afflicta quam Galli tantis ſuccin-
cti viribus oppugnatum ibant, nihil tot virorum
ac Principum conſpectum verita prodiit, ac ſeſe
ad Regis pedes projecit, effuſaque vi lacryma-
rum, crebris ſingultibus verba præpedientibus
per Chriſtianæ pietatis fidem, perque Regium
nomen oravit, ne ſævire in patrem gentemque

Alfonſus Neapoli potitus acriter oppugnavit, nec ſolùm oppida, quæ in Neapolitano Regno multa habebat, ei ademit, ſed juſſu Pontificis Maximi cum exercitu profectus agri Piceni urbibus expulit. At Franciſcus parto Inſubrum imperio Ferdinandum Alfonſi filium gravi ac periculoſo bello ex ſæva omnium Principum ad Joannem Andegavenſem rebellione implicitum ac propè circumventum, enixè adjuvit, unusque maximè amittendi regni fortunâ liberavit. Vir enim prudens haud minùs quàm fortis, quanquam affinitate Andegavenſibus junctus, nec injuriarum Alfonſi oblitus; tamen nequaquam tutum ſibi Neapolim in Gallorum venire poteſtatem, ſeque medium ac veluti obſeſſum utrinque eorum regnis atque viribus teneri, eſt ratus. Hujus filius Ludovicus paternis ſpretis conſiliis Gallos ſibi haud vanas ob cauſas valde ſuſpectandos, contra Arragonios multis officiis atque neceſſitudinibus familiæ ſuæ illigatos in Italiam amens metu atque ambitione ac ſcelere præceps, ultro accerſivit: nec enim ſolùm Arragonios terrere aut implicare bello adventu Gallorum voluerat, ſed è medio tollere Galeatium; malâ ſtimulante cupidine meditabatur. Id & occultius fore in tanto rerum motu, & ſe minori cum invidia, jus atque nomen Ducis aſſumpturum exiſtimabat. Galli igitur hortatione ac promiſſis ejus exciti, Alpes ingenti peditum atque equitum numero tranſcendere. Italia omni externi ac novi hoſtis famâ atque

expe

expectatione concuſſa. Ludovicus deſcendenti ab Alpibus Carolo Regi ad Aſtam occurrit, inde unà Ticinum venere. Galeatius ſibi ſupremo morbo, quo non multò poſt diſceſſum Regis interiit, decumbebat. Viſit eum Rex, lectoque ejus perhumaniter aſſedit, omni honore dignatus non ſolùm quod penes eum Ducis ac Principis adhuc nomen maneret, verum quod duabus genitis ſororibus propinqua affinitate attinebantur. Sermo, quo Ludovicus aderat, nulla de re fuit. Tantum Rex eum bono eſſe animo, ac bene de ſalute ſua ſperare, quæ fere dici ægrotantibus ſolent, juſſit, & infelix juvenis apprehenſa Regis dextra, admotiſque parvis liberis Franciſco & Benâ, eos, quando ipſe jam fato ſuo cederet, voce, prægravante vi morbi, fracta ac debilitatâ, multo cum fletu illi commendavit. Eo majori miſeratione commoto Rege, Principibusque, qui cum eo aderant, quo major ſuſpicio animis ſubierat, innoxium adoleſcentem, nec aliud meritum, quàm quod eâ fortuna eſſet natus, impii patrui fraude interire. Tum Galeatii conjux Iſabella, & dolore viri, & futura mox ſua filiorumque orbitate, & periculo paternæ domus afflicta quam Galli tantis ſuccincti viribus oppugnatum ibant, nihil tot virorum ac Principum conſpectum verita prodiit, ac ſeſe ad Regis pedes projecit, effuſaque vi lacrymarum, crebris ſingultibus verba præpedientibus per Chriſtianæ pietatis fidem, perque Regium numen oravit, ne ſævire in patrem gentemque

ſuam hoſtiliter vellet. Florens erat ætas,& for-
ma adeo inſignis, ut verteret omnium in ſe ocu-
los. Hæc, & lacrymæ & fortuna ejus, & piet[as]
pro patre deprecantis confudêre adeo juven[is]
Regis animum & ad miſericordiam flexere, [ut]
niſi pudore deterritus, ne tam levi ex cauſa ta[n]-
torum conſiliorum apparatum,curſumque int[er]-
cidere videretur, daturus eam Iſabellæ preci[bus]
veniam fuiſſe ſit creditus, ut inhibitis arm[is]
conditionibus cum Arragoniis transige[ret].
Tum allevatam omni honore verborum proſec[u]-
tus, multaque benignè pollicitus, eò progreſſi[s]
abſiſtere bello, ſibi nec integrum eſſe, nec lic[ere]
reſpondit. Ticino profectus Placentiam R[ex]
proſequente Ludovico venit. Hîc aſſecuti L[u]-
dovicum nuntii de Galeatii morte Mediolan[um]
magna celeritate revocarunt. Venenum e[i à]
patruo datum haud dubiis argumentis comp[er]-
tum Auctores tradidere; magnamque ab [illo]
adhibitam curam, ne ſtatim ſæviret, néve ſce[le]-
ris ſigna extarent,dilutum ita atque temperat[um],
ut ſenſim veluti morbus ac tabes abſumer[et].
Sub adventum ejus Mediolanum cogitur Se[na]-
tus, in quo referentibus quos ſæpè antea præp[a]-
raverat, ſententiasque dicentibus, non eſſe [in]
tanta temporum tempeſtate,motuque armoru[m]
quæ undique tota Italia circumſtreperent, Pri[n]-
cipatum puero committendum, conſenſu d[e]-
cernitur, ut rogetur cogaturque Ludovic[us]
amplecti Rempublicam & Ducis nomen, [&]

ex nato imperium accipere. Ita ille primò tenue precibus, mox etiam prolato Maximiliani diplomate Dux appellatur. Carolus progreſſus in Liguriam, atque inde Piſis, Florentiaque receptus, ac Romæ quoque Pontifice in contrarias in partes coacto, atque incredibili felicitatis curſu, nullo occurrente hoſte, Neapolitano Regno, pulſis Arragoniis, potitus, tantum univerſæ Italiæ, & inprimis Ludovico terrorem incuſſit, ut ipſo inſtigante Pontifex Maximilianum Cæſarem, & Regem Hiſpaniæ, & antea inprimis Venetos, quorum maxima & florentiſſimæ tum erant opes, ad conſpirandum, fœdusque ineundum ſecum, & cum Ludovico compulerit. Galli enim haud dubie victoria inſolentiores facti, & minitari his qui adverſati rebus eorum fuerant, & qui ſe medios eſſe, & in neutram partem inclinari voluerant, ſpernere jam cœperant. Sed haud minus Ludovicus præpotentib' ſe tectus ſociis efferri videbatur. Quippe Aloyſium Aurelianum Regis propinquum, virum ſummæ apud Gallos potentiæ eludens, iterum hortari non deſtitit, ut tradita ſibi Aſta (ea Aloyſii imperio continebatur) ſaluti conſideret, in tutumque ſe ultra Alpes reciperet, ignarus prorſus (adeo mortalium mentes futuri improvidæ ſunt) ab hoc ipſo Aloyſio, qui in Regno Galliæ Carolo ſucceſſit, ſe Principatu, libertate, ac denique fortunis omnib' ſpoliatum æterna in vincula tradi oportere. Itaque Aloyſius præcipuo certamine animi odioque in

Ludovicum accenſus, dum ille ſe ad oppugnan-
dam Aſtam ſegniter comparat, Novariam firmum
atque celebre oppidum in Ludovici Regno ca-
pit, ab Opiciis civibus, qui ſe injuria paterno
agro pulſos ab eo querebantur, noctu introdu-
ctus. Qua re Mediolanum nuntiatâ, ita per-
culſum animo Ludovicum ferunt, tantoque pa-
vore perfuſum, ut fletu non temperaverit, ſtatim-
que ab arce in domum Veneti Legati deſcen-
dens, eum ut ad Senatum ſcriberet, ſeque &
ſuum Regnum Patribus commendaret, ſupplici-
bus, & nequaquam Regi decoris verbis oraverit.
Nec Veneti illi defuerunt; cùm ut eo beneficio
hominem ſibi devincirent, tum quod Gallos, ſi
Ludovicum Mediolano expuliſſent, graves im-
perio ſuo accolas fore, prævidebant. Magna
brevi coactis copiis, lectoque earum imperatore
Franciſco Gonzaga Mantuanorum Regulo
acerrimi animi, magnæque virtutis adoleſcente,
non ſolùm Aloyſium Mediolano imminentem
averterunt, ſed redeunti in Galliam Carolo in-
genti animo ſe in itinere objecerunt. Atque
in Parmenſi agro ad Tarum flumen ſigna cum eo
contulerunt, eo eventu, ut ſe quidem utrique
viciſſe prædicarent, ſed utrique veriùs pro victis
ſe haberent. Rex in magno diſcrimine verſatus,
inclinatâ haud dubiè in ea parte, qua ipſe pugna-
bat, Gallorum acie, ægrè periculo eſt exemptus.
Mox accurſu undique ſuorum non reſtituit mo-
dò prope perditas res, ſed pepulit etiam hoſtes
atque

atque tempore ſe ultra flumen, magnâ trepidatione ac redire in caſtra coegit; avertiſſetque in non dubiam fugam, ſi eodem impetu tranſire flumen fuiſſet auſus. Sed iter quod hoſtes intercludere ſibi conati erant, vi atque armis aperuiſſe contentus, atque adeo non ex vano victorem ſe ferens, ſuos & ipſe in caſtra reduxit. Itali contra, & exutum ab ſe impedimentis Regem, & Gallos unâ modò die quieti data, nocte ſubſequenti, non conclamatis more militari vaſis, magno ſilentio abiiſſe, multis paſſim ſarcinis rebusque relictis, pro conceſſâ ſibi victoria interpretabantur. Cæterùm, ſicuti plurium opinio & communis fama tenuit, victores Gallos ea pugna diſceſſiſſe, ita ne ipſi quidem inficiebantur Galli, ſi omnes Italorum copiæ prælio interfuiſſent, quarum pars propè tertia abfuit; aut niſi milites prædæ cupido ad diripienda impedimenta, quæ Trivultius gnarus militaris avaritiæ dedita opera iis objecerat, à pugna abduxiſſet, magna ſe Gallos clade eam diem nobilitaturos fuiſſe. Pax inde inter Ludovicum & Regem eſt compoſita, magis quia feſſis afflictisque gravi atque ancipiti prælio, ſpatio ad reficiendas integrandasque vires opus erat, quàm odiis deterſis, aut minuta nocendi voluntate. Ludovico Novaria reſtituitur, ipſe legibus fœderis varie Gallis alligatur. Sed eas leges, regreſſo ultra Alpes Carolo, ipſe ad ſuas ſedens artes per varias fruſtrationes prope

omnes eluſit. Tum pacato undique regno, nullo hoſte metúve impendente, Ludovicus tam inflari proſperis, quàm frangi adverſis ſolitus, ingenti ſeſe gloriâ efferebat. Carolum Regem ſuo impulſu in Italiam deſcendiſſe, eamq; ab Alpibus ad Siciliæ fretum, quanta in longitudinem patet, victorem percurriſſe, eundem ubi ipſe ab ejus amicitiâ receſſiſſet, multis involutum difficultatibus excedere Italia atque in Galliam redire coactum. Arragonios bellum in ſe moliri auſos ab eodem ſe ſtratos afflictosque, & mox ad ſpem prioris fortunæ erectos fuiſſe. Petrum Medicem, quod ſuam auctoritatem conſiliaque ſprevisſet, principatu dejectum, patriâ quoque exulare. Florentinis ob eandem cauſam aliquot in Liguria arces, imperii ſui clauſtra cum ipſis Piſis adempta eſſe; tantum denique in ſe uno ad omnia momenti fuiſſe, ut unde ipſe ſtetiſſet, eò ſe victoria inclinâſſe videretur. Et pòſt paulò cum Carolum majoribus, quàm ante copiis in Italiam rediturum, bellumque ipſi Ludovico facturum, & magnos armorum apparatus in Gallia fieri, nec unquam intentiùs rem militarem adminiſtratam eſſe percrebuiſſet, Maximilianum Cæſarem, cum quo in colloquium ad Larium lacum venerat, auctoritate ſuâ perduxit, ut accepta à ſe Venetisque pecunia cum exercitu in Italiam ad propulſandum Gallicum bellum tranſiret. Sed & fama de Gallis brevi refrixit, Carolo ab armorum ſtudiis ad amores voluptatesque delapſo, & Cæ-

& Caroli adventum, qui expectatione quam re plus ponderis habuit, æque levis ignobiliſque in Germaniam reditus dedecoravit. Cæterum, hæc Ludovico magnam gloriam addebant, cui tantum ingenii artiſque in explicandis, dirigendiſque maximarum rerum conſiliis, tractandiſque Regum animis ineſſe videretur. Et fuit ſanè Ludovicus ſummo ac perspicaci ingenio, & magnarum rerum non capax ſolum, ſed etiam appetens, ni ſæpe ingenti animo ſuſceptas, propter timiditatem atque inconſtantiam omiſiſſet: intentus, vigilans, nullius rei negligens, laudis atque famæ avidiſſimus, quam & conſequi potuit ſummam, ſi bonam quam malam maluiſſet. Sibi certe tantam ingenii ac prudentiæ opinionem apud omnes fecit, ut ejus nomen inter Europæ Reges inprimis clarum ac celebre haberetur, diuque arbitrum belli paciſque inter Italiæ Principes egerit. Cognomentum illi Moro fuit, ſive à fuſcedine oris, ſive ab arbore, quam ipſe per ambages, maturi cautique ingenii ſui naturam indicans, pro ſingulari inſigni atque argumento geſtavit; quod Mori eam vim cautionemque eſſe ferunt, ut nunquam niſi exacta hieme veluti ex tuto fruticet. Sed Morum Itali Æthiopem appellant, & ille gnarus eo ſe nomine ab omnibus vocitari, quo ſuum in Italiæ pace ac tranquillitate colenda ſtudium atq; curam expromeret, magna in tabula regio aſpectu ac regio cultu

mulierem pingi juſſit, cujus purpuream veſtem Æthiops ſetis verrebat: quam tabulam cum Florentini Legati fortè ſpectarent, unus eorum, ut eſt ea natio acuta imprimis, ac dicax, Videat, inquit, ſedulus ille Æthiops, ne pulverem omnem, & purgamenta quæ regia veſte excutit, in ſe ipſum converrat. Excellenti eloquentiâ cum à natura erat præditus, tum ad eam excolendam ne doctrinæ quidem, ac literarum ſtudio deſtituebatur. Solertia atque induſtria tanta fuit, ut ægrè pati videretur, quemquam ea ſibi laude præferri. Cùm Carolus Rex in apparatu Neapolitani belli Petro Mediceo, quod cum Arragoniis ſtudere didicerat, vehementer iraſceretur, eſſetque propterea Florentinos negotiatores omnes diſcedere Gallia, & maximè Lugduno juſſurus, Ludovici admonitu ipſius tantùm Petri menſarios ejecit. Quæ res & dignitatem Petri apud cives minuit, & qui illi in Republica adverſabantur, intellecta Regis voluntate privatim Petro, non publicæ civitati infenſa, animos ſuſtulerunt: unde evenit, ut ſub adventum Gallorum auſi in Petrum palam concionari, concitata plebe, eum Florentia expulerint. Et cùm ipſo auctore fœdus inter ſe ac Ferdinandum Regem Neapolis & Florentinos, tuendæ pacis Italiæ cauſa, frenumque cupiditati ac potentiæ Venetorum injiciendi eſſet junctum, id quo firmius arctiusque conſtrictum, omnibus ſimul populis Regibusque oſtentaretur; ſuaſit Ludovicus, ut ad

ad deferendum de more Alexandro VI. novo Pontifici Maximo obedientiæ atq; fidei officium omnium ſimul ſociorum Legati Urbem inirent, ſimul Senatum dari ſibi à Pontifice poſtularent, unusque omnium nomine ad eum verba faceret. Qui alios in ſuam ſententiam perduceret, aptosq; ſibi ac ſuis rebus faceret, miris aggredi, verſare, circumagere, ac demum evincere artibus, erat [illegible]. Maximilianus Cæſar multas & graves cum ſuas tum familiæ ſuæ odii ac inimicitiarum cauſas cum Gallis habebat: quarum illa recens cum Carolo ipſo erat, quod Margaretam Maximiliani filiam, vivo adhuc Aloyſio patre ſibi deſponſam, adoleſcentulamque admodum, necdum nubilem aliquot annos in Gallia habitam repudiaverat, intactamque ad patrem in Germaniam remiſerat; atque Annam citerioris Britanniæ Reginam, dotale Regnum afferentem duxerat, Maximiliano ipſi, qui eam ſibi paulò antè deſponderat, præreptam. Cujus geminæ contumeliæ indignitate incenſus Maximilianus moverat magis in Gallos arma, quam geſſerat bellum, à quo eum abſtinere, & pecuniæ inopia, & Belgarum conſenſus pacem præoptantium cogebat. Retinebat tamen iram, & ſi fortuna daretur, ad ultionem animum. Huic, ut oſtendimus, Ludovicus neptem ſuam collocaverat; eaque affinitas Ferdinando Arragonio ſpem prope certam attulerat, Ludovicum ab Gallorum amicitia diductum iri, quando iis Maximilianus implacabi-

lis

lis fore videretur. Quod contrà accidit: nam Ludovicus ſuis artibus hominem aggreſſus, multis rationibus, quas acutiſſime invenire & comminiſci erat ſolitus, victum ad paciſcendam pacem cum Gallis perduxit. Maxime autem ſimulandi diſſimulandique callidus fuit, atque has veras Regum eſſe artes dictitabat: labi, errare decipi ac circumveniri ſæpe, qui ſtultè ingenuitatis famam appetens, ſeque resque ſuas inco- lectioribus aperiret, aut vano honeſti decorique ſtudio ſuas opportunitates utilitatesque relinqueret. Hinc fides ei nulla, nullum fœderis jus, nulla ſtabilis ſocietas aut amicitia, niſi ex commodo fuit. Et hæc quidem communis videtur eſſe potentium macula, res omnes utilitate metiri, & ad eam, recto honeſtoque poſthabito, cuncta dirigere. Quo uno nullus mortalium vitam deteſtabilior exagitat ac perturbat error, nullus religionis ſanctitatem, unicum humanæ ſocietatis vinculum infirmat magis, ac reſolvit, nullius denique graviores atrocioresque pœnas pendentes homines, juſtioraque piacula, ipſi nimis ſæpè Regnorum interitu, exigentem Deum cernimus, in quibus rarum exemplum is ipſe Ludovicus fuit, qui quidem nulla re magis quam artificio fallendi placere ſibi videbatur: quo tantum præpolluit, ut uno tempore & Carolum Regem ad Neapolitanum bellum promiſſis ac pollicitationibus ſollicitaret, & cum Maximiliano Cæſare, Caroli & Gallorum gen-

[illegible] ue an[illegible] jun-
geret, & Ferdinando Aragonio, & Italiæ Prin-
cipibus magnam ſui ſpem faceret, & apud omnes
auctoritatem & fidem retineret. Sed Alfonſum
quoque ipſum, & Petrum Medicem inſenſiſſi
mos [illegible] ſuos in ipſis erumpentis belli initiis
[illegible]. Qui cum Gallorum adventum an-
teverteret, & hinc claſſe in Liguriam, hinc terre-
[illegible] copiis in Parmenſem agrum impetum fa-
cere, & Ludovicum [illegible] duplici periculo
urgente, & ante opprimere, quam Gallicum au-
xilijs confirmaretur, decrevisset, idque Gala-
[illegible] Iuliano Card. proditum didiciſſet, diſſe-
rendo apud eos, atque Pontificem quam pertu-
[illegible] Italiæ, quam vero ſibi imprimis,
ac [illegible] rei periculoſius (nec erat aliter)
Gallorum [illegible] eſſet futurus; nec ſe adeo
[illegible] ſalutem ſuam Regnique, alieni
gena [illegible] crederet, tantum-
que arma[illegible] reciperet, ac bre-
vi ſe hanc omnem quæ impendere videretur
tempeſtatem, diſcuſſurum, [illegible] ſtu-
[illegible] tuenda Italiæ pace, [illegible] documentum
[illegible], vere ſancteque affirmando; Alfonſi
hac ſe iactati celeritatem in apparandis rebus
[illegible] temporatus, ut ſpatium ſibi ad accerſenda
Gallorum auxilia, ſeq; ab hoſtili vi muniendum,
[illegible]. Et quod videri mirabilius poteſt, cum [illegible]
[illegible] hac ipſa de arcēdis Italia Gallis apud P[illegible]
[illegible] Medicē per Legatum ſui profiteretur, [illegible]

[illegible]

minus quemquam, potiri eo Neapolitano Regno velle, quam ſe prædicaret, & ei præterea magnopere auctor eſſet, ne a ſocietate Arragoniorum diſcederet. Petrus ſuadente Alfonſo, quo omnem ei fidem apud Carolum abrogaret, hæc conſilia ejus omnia Legato Gallorum, qui Florentiæ erat, aperuit: qui ne fingi ea invidiæ cauſa exiſtimaret, illum domi ſuæ aulæo inter & lectum abdidit, ac ſimulata valetudine, accerſiri Ludovici Legatum juſſit. Ibi repetitum ab utroque de omnibus rebus ſermonem ut acceperat, Gallus ad Regem ſuum perſcripſit; etiam atque etiam monens, ut a Ludovici fallacis ac perfidioſi hominis fraude caveret. Nec tamen inde minuta Ludovico auctoritas, qui hæc dicta ab ſe ſopiendi hoſtis, moramque apparatibus eorum inferendi cauſa, facile probavit. Quod & conſecutum cum fuiſſet, ridere poſtea inſcitiam & credulitatem, ac ſtuporem eorum erat ſolitus. At ſolers quidem fuit Ludovicus, qui quemadmodum his artibus magnam ſibi potentiam, magnumque fecerat nomen, ita fluxa fides eum, & infamia per ſcelus occupati regni, omnium invidiæ atque odio ſubjecit. Duæ deinde res maturum in exitium ejus tempus accelerarunt. Caroli Regis repentina morte interitus, in cujus locum Aloyſius Aurelianus peculiaris hoſtis ejus ſucceſſit, & Venetorum non alienatio ſolum ab eo, ſed ira ingens noſtris ipſius in eam Rempublicam contumeliis ac maleficiis irritata. Cum enim adhortante

ipſo

maximè illo. Piſas quæ inſtinctu ejus rebellave-
rant, quumque à Florentinorum armis Veneti ſuſ-
cepiſſent, & grave ac ſumptuoſum multorum
annorum bellum ejus rei cauſa ſuſtinuiſſent, ſæpè
abrepta ſpe adjiciendi eam imperio ſuo Urbem,
Ludovici aſtu ac livore fuerant dejecti. Hinc
ortum diſſidium, Gallos iterum in Italiam addu-
xit: quæ res & Ludovicum præcipitem dedit, &
Venetos ipſos magnis cladibus calamitatibusque
involvit. Aloyſius præter inſitam cupiditatem
proferendi fines, ſingulare in Ludovicum odium
ex ſuperioribus bellis conceptum habebat, &
Mediolanenſis regni hereditatem haud vano jure
ad ſe pertinere ajebat, in quam avia ejus Valentina
à Galeatio Vicecomite patre vocata eſſet. Ita-
que ſtatim cœpto regno, & infenſum ſe Ludovi-
co non obſcure tulit, & ejus Mediolano extur-
bandi conſilia habuit; quod quidem expeditiſſi-
mum fore ſibi exiſtimabat, ſi Venetos Ludovico
belli ſocios ſibi adjunxiſſet, quos ſatis ſciebat,
magis quia finitimos Gallos reformidarent, quam
ſtudio Ludovici in amicitia ejus manere. Quod
ſi partem aliquam de Ludovici regno iis obtuliſ-
ſet, cupidos imperii, & magna affectantes, pellici
non diſſidebat poſſe. Legatos eorum, qui gra-
tulatum in Galliam ad ſe venerant, delinitos o-
mnibus humanitatis officiis, multa de Ludovici
perfidia odioque præfatus, de ſocietate appellare
Senatum juſſit. Et Veneti Patres hinc Aloyſii vi-
[illegible] Ludovici ingenio [illegible], ac veriti, ne tra-
hi-

herent in ſeſe bellum, quod ab infido ſocio pro-
pulſaturi eſſent, ac ſimul ira cupidineque mali
conſultoribus incitati, ſocietatem Regis accepe-
runt, pacti ut Cremona cum adjacentibus oppi-
dis, agroque qui citra Abduam flumen fines eo-
rum attingeret, ſibi ex fœdere traderentur. [illegible]
Urbe ditioni ſuæ adjecta, ſatis ſe tutos fore [illegible]
atque injuria Gallorum arbitrabantur. Ludo-
vico nihil in vita tam inſperatum, aut nec opina-
tum accidit, qui morte Caroli veluti gravi hoſte
metuque liberatus ſuſtulerat animos, & palam
ipſos ſpernere Venetos cœperat. Quorum le-
gato cum militibus Piſas iter habenti tranſitum
per ſuum regnum negaverat, atque eos contume-
cibus verbis impotentiæ ambitionisque incuſans,
nec unquam ſe vivo potituros Piſis denuntians
reſciſſo quod cum iis habebat, fœdere, auxilia
Florentinis miſerat. Nec poſtquam Aloyſium
Mediolanenſe bellum moliri ſenſit, propterea
diſceſſuros ab ſe Venetos ſuſpicabatur; neque
enim eorum, quam ſua minus intereſſe, Gallos
prohiberi Italia, ne gens bellicoſa atque avida, &
Italico nomini inimica, ſedes ſibi in Ciſalpinis ur-
bibus, fertilibusq; ac maxime frumentariis agris
caperet, inquieto ac bellatore ſub Rege, qui ſem-
per libertati eorum inde imminerer; nec it [illegible]
cipi quemquam, ut ſi ea loca Galli tenerent, [illegible]
ſurum quidquam in eodem ſtatu ſperaret. Le
qui Neapolim in Gallorum ditione eſſe periculo-
ſum rebus ſuis duxerant, & Carolum vanū ac [illegible]

lem

lem juvenem tanto nuper conatu gloriaque Italia pepulerant, eos certè Aloyſium, ætate, ingenio, exercitatione armorum, ſtudio magnarum rerum, rebus omnibus præſtantem Mediolano potiri, laterique eorum prævalidum æmulum hærere paſſuros, credibile non videri. Vera hæc erant: eò plus fiduciæ Ludovico offerebant, facilem ſibi cum iis, quanquam læſis, reditum in gratiam fore. Quin dicere erat ſolitus, licere ſibi, quos vellet, eos ludos facere; ſe enim vel inviſum, & ſæpè eorum libidini adverſantem, quam Galliæ Regem quovis fœdere obſtrictum, habere illos finitimum malle. Magis hæc eum de Venetis ſpes, quam de Gallis judicium fefellit. Perculſus igitur tanta periculi mole, & ab ipſo quoque Maximiliano Cæſare, quem magnis ſemper muneribus pecuniisque coluerat, deſertus, primum Venetos ſupplici deprecatione placare ac reſtituere ſibi, deinde cum ipſis pacisci Gallis, ſeque Aloyſii ſtipendiarium facere eſt conatus. Poſtremò ab utriſque rejectus, ad Turcarum Regem confugit, eumque in Venetos concitavit, eam cum Gallis ſocietatem ad Turcas Græcia expellendos initam eſſe oſtendens. Et Barbarus quidem occaſioni non defuit. Cæterum, Ludovicus, quanquam deſertus ab amicis, haud negligendas copias peditum equitumque hoſtibus objecerat: quæ ſi non repellere, ſuſtinere certè impetum eorum aut remorari poſſe, dum validiora ſibi e Germania auxilia venirent, videbantur, ſi

F Du-

Ducem peritum belli habuiſſent. In quo Ludovici ipſius magnopere deſiderata prudentia eſt, qui ut Galeatii Sanſeverini generi ſui ad Franciſcum Gonzagam Mantuæ Regulum militare imperium deferri, ſeque ditioni ejus ſubjici nullo ferentis intempeſtivæ ambitioni obſequeretur, Franciſci ipſius fortis & experientis Ducis opera ſummè neceſſario tempore caruit. Nam Galeatius ne in conſpectum quidem ſe ingruentium dare Gallorum auſus, cum Alexandriæ ſe mœnibus incluſiſſet, paulo poſt ea quoque Urbe prædæ hoſtibus relicta, in cujus oppugnatione plurimum laboris temporisque inſumendum fore ipſi exiſtimaverant Galli, Medioanum ſe recepit. Ad ejus deſertæ & mox captæ urbis nuntium Ludovicus rebus jam diffidens ſuis, motumque in ſe civium timens, cum concubina ac liberis (nam conjux mortem obierat) & Aſcanio Cardinale fratre, alteroque Cardinale Galeatii generi ſui item fratre, Mediolano exceſſit, & Comum profectus, inde per Larium lacum, & loca quibus paulo ante Maximilianum Cæſarem, ſuis Venetorum ſtipendiis in Italiam accitum magnificentiſſimo apparatu ac regio ſplendore acceperat, deformi ac miſerabili agmine puerorum, feminarum, patriam, propinquos, amicos, cum lacrimis fletuque relinquentium in Germaniam profugit. Mediolanenſes ſecutæque eos reliquæ civitates Aloyſio Ducibusque ejus portas aperuerunt. Cremona cum Legatos de dedi-

tione

tione ad Regem miſiſſet, ex auctoritate ejus cui fœderis leges in ipſa victoria ſervare non eſt viſum, Venetos in Urbem accepit. Nec fuit toto Regno & Præfectis arcium ullus, qui fidem Ludovico præſtaret. Omnes nulla expectata vi, acceptis, quæ pacti erant proditionis præmiis, arces victoribus tradiderunt: quorum qui Mediolanenſem cuſtodiebat, educatus a Ludovico, atque ex humili loco ad magnam fortunam evectus, & Aſcanio Cardinali qui ſe cuſtodem ejus arcis, in qua retinenda tantum ab omnibus momentum eſſet, fratri obtulerat, prælatus, tria millia optimorum militum, ingentem tormentorum atque omnium rerum apparatum ad ſe defendendum, magnamque commeatus copiam, ad tolerandam vel longiſſimam obſidionem, in arce habebat. Ita qui fidem nulli unquam promiſſi religione conſtantemque habuerat, ne in ſe quidem fidelem ſuorum quemquam invenit. Ad Maximilianum Cæſarem Oenipontem cum veniſſet, ab eo hoſpitaliter accipitur, non dolorem ſolum ex amici ac propinqui calamitate præferente, ſed ipſum ſe ac Regni vires ad reſtituendam fortunam liberaliter pollicente. Verum illo tardius ac cunctantius, quam res ac tempus Ludovici patiebatur, ſe commovente, Sfortii fratres conſilium ſibi ceperunt, conductis mercede octo Helvetiorum millibus, & ſexcentis equitibus in Italia, eodem quo fugerant itinere, redierunt. Aloyſius Rex non diu Mediolani moratus relicto

ad cuſtodiam ejus Joanne Jacobo Trivultio, in Galliam redierat, adeo de Ludovico ſecutus, in Cæſari Borgiæ magnam exercitus partem in Æmiliam Flaminiamque ducendam tradiderat. Et Trivultius Dux alioquin egregius & belli inſignis, nimio partium ſtudio provectus a [illegible] ſam Gibellinorum fortunam varie preſſerat. Quod Gallorum inſolentiæ additum, in omnium domibus licentius quam mos Civitatis ferebat, agentium, ut Ludovici deſiderium omnibus rediret, effecit. Qui occultis multorum nuntiis ſollicitatus, tantam in omnibus rebus diligentiam ac celeritatem adhibuit, ut priusquam Trivultius præſidia cogeret, copiæque, quæ Borgiæ ſub Alegrio Duce militabant, reverterentur, Comum cum quinque Helvetiorum millibus ſequi aliis juſſis, deſcenderit, magnaque Comenſium voluntate in oppidum ſit receptus. Quod ubi Mediolanum eſt nuntiatum, tanta concitatio populi Sfortiæ nomen inclamantis fuit [illegible] Trivultius cum Gallis fugere in arcem ſit coactus. Et Ludovicus, & Aſcanius inter lætantium acclamationes, manantibus præ gaudio lacrymis, Urbem ſunt ingreſſi. Ac reliquis quoque civitatibus certatim ſe dedentibus, pene facilius quam amiſerant, Regnum receperunt: magno prorſus fortunæ ludibrio, tollente eos, ut mox iterum faſtigio detractos, gravius terræ affligeret illideretque. Mediolano, Novariam, quæ hoſtium præſidio tenebatur, ([illegible]

ſeu

lem exitio ejus Urbem) cum iisdem Helvetiis, Italicis cohortibus circiter viginti, quas ſcribi ſtatim juſſerat, aut non expectatis, abit cum fratre ad obſidendam Mediolani arcem relictis, Ludovicus contendit, quâ, dedentibus ſeſe qui in præſidio erant, ſine certamine recepta, in obſidione arcis conſedit. Aloyſius interea ad amiſſi Mediolani nuntium pudore atque ira incitatus, ſummo ſtudio conatuque novas copias, in quibus decem Helvetiorum millia fuere, Duce Tramolia in Italiam miſerat, cui ſe Trivultius, Ligninus, & Allegrius Galli Duces ad Mortariam conjunxerant, atque inde protinus motis caſtris Novariam appropinquarunt. Qui cum Ludovico erant Helvetii primo ejus ad Novariam acceſſu, aliquot gentis ſuæ cohortes, quæ cum Allegrio è Flaminia redierant, corruptas impulerant, ut ſigna ad ſe transferrent. Hinc Ludovicus haud tuto ſalutem ſuam credi tam fluxæ Helvetiorum fidei ratus, quorum tantum eſſe numerum in hoſtium caſtris didicerat, magnopere multis literisque urgebat, ut octo Italorum peditum millia, & equites quadringenti Mediolano ad ſe venirent. Sed prævertit barbarorum perfidia providi atque cauti hominis diligentiam; datum poſteris utile documentum, nunquam ſe exterorum atque alienigenarum auxiliis, mercedem & quæſtum ex militia, non famam quærentium ita committendi, ut non plus habeant propriarum virium, quibus ſe tutari ac ſpes ſuas poſſint.

Nam Helvetiorum primi, qui Gallis militabant, per idoneos homines, occultaque colloquia, ſtatim magna pollicitis præmiis, ut Ludovicum proderent, populares ſuos perpulerunt. Qui primo ſtipendium, cuius vix dum exierat dies, contumaciter flagitare, deinde negare ſe in fratres & conſanguineos ſuos pugnaturos, poſtremo tanquam abituri domum rapiunt ſigna. Ludovicus, cum ad eos prodiiſſet, argenteis vaſis, quæ in uno abaci penes ſe habebat, dono illis datis, tum atque humili oratione non nihil ad miſericordiam flexerat: ſed veriti Duces, ne ſi Italorum cohortes Mediolano ad eum ſupervenirent, ampliſſimo ad perfidiam nihil relinqueretur, Gallos monuerunt, copias propius admoverent, caſtriſque circumfunderent. Ludovicus precibus, obteſtationibus, lacrymis, promiſſis geſtis leniter atque impetrare ab iis conatus, ut ſaltem ſe aliquo tutum in locum deducerent, poſtremo omni præcluſa ſpe eo deſcendit, ut ſe cum cæterum ordinibus abditumque fortunam fugæ tentare paterentur. Id vero etiam negare barbaris pudori fuit. Ita Ludovicus [illegible] dum humanæ ſortis ſpectaculum editurus, ſumptis Helvetii gregarii peditis armis, militari [illegible] gentis more braccatus, prælongam humero haſtam ferens, oppido, militum vulgo immixtus, egreditur. Sed ab his obſervatus, quibus id mandatum ab Helvetiis fuerat, per medias hoſtium acies cum aliis incedens agnoſcitur, capi-

[illegible]

que ſtatim ad Duces totius exercitus concurſu perducitur, ne ipſis quidem hoſtibus ad tam indignæ ac tam deformis rei ſpeciem lacrymas tenentibus, miſeratione viri potentiæ, atque ingenii fama nuper omnibus ætatis ſuæ principibus excellentis. Quibus ſe abdiderat armis, ornatuque exuto, ſuus redditur cultus, atque cuſtodiæ traditur, & paucos poſt dies in Galliam ad Regem mittitur, qui Lugduni, ut ex propinquo Italicis rebus adeſſet, ſubſtiterat. Ludovicus diei medio, valida ſeptus peditum atque equitum manu Lugdunum, omni civitate atque Regia aula ad ſpectandum effuſa, eſt ingreſſus. Sed ipſe quoque Aloyſius ſtudio videndi veterem atque inviſum hoſtem, fruendique oculis fortuna ejus, & victoria ſua, ignotus prætoriani equitis habitu dicitur illi occurriſſe, avideque eum atque intentè contemplatum eſſe. Ut cum inde in conſpectum admitteret ſuum, quamvis impensè id expetierit, & ſummis precibus contenderit Ludovicus, impetrari a ſe non eſt paſſus: ſed inexorabili decreto in Locenſem turrim conjectum illis arctiſſimis carceribus mandavit, ita ut ab immiti Rege ad miſeriæ ſolatium, fallendumque diræ ſolitudinis atque otii tempus, legendi ac ſcribendi facultate privaretur. Ad decimum annum in eo carcere ingratam vitam produxit, ut non ſolum magna, ſed etiam diuturna illa calamitas ei eſſet: & quo ærumnis ſimul omnibus cumularetur, atque infeli-

felicem animam ſine ulla ſpe traheret, Aſcanii uni fratrem, cujus liberati nuntio ſuſtuliſſe caput ille, & aliquam ſpei melioris lucem aſpexiſſe videbatur, Romæ diem ſuum obiiſſe audivit, decimo tandem anno & ipſe ærumnoſæ fortunæ finem morte invenit. Aſcanius a Sixto IV, commendatione Ludovici, qui Catharinam fratris filiam Hieronymo Riario Pontificis propinquo in matrimonium collocarat, Cardinalis eſt creatus: Quem ille honorem ab ſe primum in familiam ſuam illatum, ob ingentes, quas & a Patre acceperat, opes, & prima illi ſacerdotia ſuppeditabant, ita geſſit, ut ampliſſimæ dignitatis ſplendorem, cultu vitæ, & planè regia in omni genere magnificentia longe anteirit, ſic, ut vel habitandi laxitate, vel ædium ornamentis, vel omnis domeſticæ ſupellectilis pretio, vel apparatibus conviviorum, vel equorum ſtudio, vel denique canum atque venationis & aucupii ſumptibus, nullus ætatis ſuæ Principum antecelleretur: quæ in Aſcanio conſpectoria gravioraque in vulgus erant, quod ſine faſtu ac ſuperbia habebantur; atque ipſe officiis in bonos, humanitate in omnes pariter excellens, Senatorii muneris partes egregiè mereretur; niſi hæc in ſacrato viro, ſacratique honoris inſignibus fulgente, nimiæ atque invidioſæ luxuriæ notam revocare poſſe viderentur. Aſcanius quidem in Romana Aula, atque inter ordinis ſui Principes eminentiſſimæ amplitudinis atque potentiæ fuit. Quam

tamen

tamen potentiam male retinuiſſe eſt viſus iis Comitiis, quæ poſt Innocentii VIII. mortem ſunt habita, in quibus, haud dubiè magnis præmiis pollicitationibusque corruptus, omnibus ſtudiis connixus, ut Rodericus Borgia Pontifex Maximus renuntiaretur, tenuit, exitiabili cum Chriſtianæ Reipublicæ, tum domui ſuæ errore; cum poſtea Rodericus in Ludovici fratris perniciem cum Aloyſio atque Venetis conſpiraret, ut Cæſari filio magna fortuna ac dominatio, cujuſvis ſtrage ac ruina pararetur. Cujus belli impendente tempeſtate, Aſcanius Mediolanum venit, ut fratri potentibus undique hoſtibus petito adeſſet. Sed eo ad Novariam miſerabiliter deſtituto captoque, cum omnis inde fortuna verteret ad Gallos, ipſe Mediolano multis Gibellinæ factionis Principibus comitatus profugit. At Ripaltam, Placentini agri caſtellum, ubi viæ labore feſſus noctem eam conquieſceret, ad Corradum Landum, veterem hoſpitem, ac neceſſarium ſuum divertit. Ab eo (ut raro quicquam tutum eſt a fortuna deſertis) victorum gratiam fide, officioque potiorem ducente, accitis Placentia Carolo Urſino & Lonzino Benzonio, Venetorum Præfectis eſt proditus: quem Venetias deductum flagitanti inde & magnopere contendenti Aloyſio, ut ſibi dederetur, & precibus minis ac denunciationes miſcenti; Veneti, ne Regem haud magnâ de re a ſe alienarent, Mediolanum tranſmiſere. Ab Aloyſio in Galliam eſt perductus,

& colente cum multis officiis Georgio Amboiſio Cardinali Rhotomagenſi, qui ſummum gratiæ atque auctoritatis locum apud Aloyſium tenebat, honeſtiori quidem cuſtodiæ, quàm frater, ſed libertatis ſpe nihilo meliori eſt traditus. Verum viam illi ad libertatem, poſt toleratum forti ac patienti animo triennii carcerem, Alexandri Pontificis mors aperuit. Nam Rhotomagenſis Cardinalis tantis ſuis & Gallorum fretus opibus in magnam ſpem adipiſcendi ſummi honoris (ut quæ homines impenſe cupiunt, etiam facile ſibi fingunt) elatus, Aſcanii operam ambitioni ſuæ magno uſui fore arbitratus, eum ſecum ad Comitia Romam duxit, accepta fide, rediturum in Galliam, ſi Rex ita juſſiſſet. Sed Julius novus Pontifex indignum ferens Romanæ Eccleſiæ Cardinalem nullo ſuo merito captivum in alterius poteſtate haberi, eum fruſtra querente & repoſcente Rege, manere Romæ ac liberum eſſe juſſit. Nec tamen ea diuturna lætitia Aſcanio fuit, qui non multo poſt, dum ad recuperandam patriam, pellendosque Mediolano Gallos, cum Gonſalvo atque Hiſpanis, adjutore Liviano, bellum moliretur, in ipſo conſiliorum apparatu veneno interceptus moritur.

DE
Petro Medice,
Florentinorum Principe.

MEdiceorum gentem, ſeu vetus ac nobilis, ſeu nova atque humilis origo ejus fuit, duo Coſmi maximè illuſtrarunt: Quorum prior futuræ magnitudini fundamentum jecit; poſterior etiam faſtigium impoſuit: nec anni plus centum ab uno ad alterum interceſsêre. Sed de poſteriori Coſmo alibi, ſi locus dabitur, dicemus. Prior ex mercaturæ, quanquam honeſtæ ac liberalis quæſtibus tantas congeſſit opes, ut majores vix publicè civitas poſſideret. Quippe quadringenta aureorum nummorum millia ab eo privatis publicisque ſubſtructionibus impenſa dicuntur. Quæ ſumma, tempeſtate illa immanis prorſus atque maxima eſt habita, nondum Indiæ atque ultimis Occidentis plagis inventis, unde magna auri atque argenti vis ab Hiſpanis in Europam continenter conjecta, & numerum pecuniæ nobis & libidinem auxit. Tantis Coſmus opibus ſapienter opportuneque utendo, atque in loco largiendo, ac ipſam interdum annonam privato ſumptu ſublevando, non plebem ſolùm atque egentes, quibus certo ſubſidio liberalitas ejus erat, ad ſtudium ſui illexit,

ſed

ſed reliquorum quoque civium magnam partem
ære ſibi ac beneficio obſtrinxit: Quibus tamen
non dono, ſed mutuo dicitur pecuniam tribuere
ſolitus fuiſſe, caverique ſibi ſyngraphis & chiro-
graphis eorum voluiſſe. Qua ratione duo conſe-
quebatur, & ne res in criminis atque ambitus
ſuſpicionem vocari poſſet, & ut cives illâ pecuniæ
debitione obligatos obnoxioſque teneret, a qui-
bus repetere, cùm libuiſſet, licebat. Ipſe autem
cùm non villas modò atque hortos, & ædes regia
magnificentia ædificaret, ſed templis quoque pu-
blicisque operibus Urbem exornaret, cæteroqui
cultu victuque vel mediocribus civibus ſeſe ad-
æquabat, nihil à more ac diſciplina civitatis diſ-
cedens, quæ maximè diligentia atque parſimo-
niâ, & frugalibus munditiis delectari, lautitiarum
copiam atque omnem luxum aſpernari videbatur.
His Coſmi artibus & eximiæ in omnes benefi-
centiæ cùm ingentes animi atque ingenii virtutes
accederent, & in ſingulis Reipublicæ muneribus
obeundis parem, & prudentiæ & integritatis lau-
dem, apud omnes mereretur, brevi civitatis Prin-
ceps, & arbiter ac Dominus publici conſilii evaſit,
ſit, ut jam in Magiſtratibus atque in imperiis do-
mi foriſque non alii ferè quàm traditi commen-
datique ab eo, quique cuncta ſtudio ac ſuffraga-
tioni ipſius accepta referrent, conſpicerentur.
Quo quidem docuit Coſmus, privatorum divi-
tias, cum modum exceſſerunt, periculoſas liberæ
civitati eſſe; & ubi æquo jure vivendum ſit, nemo-

nem

nem unum, quantumvis egregium excellere nimio plus debere. Neque reprehenſione, ſed imitatione dignum illum Athenienſium morem fuiſſe, quicumque civis, ſeu bonis ſeu malis artibus parta dignitate communis juris æquabilitatem tranſire, nimiumque inter omnes eminere cœpiſſet, Urbe expellendi. Quod non invidiâ, ſed provido peramicæ & cautæ civitatis judicio factum exiſtimare licet, ut ne virtus quidem ita cujusque extolleret opes, ut officere publicæ libertati poſſent, cui cuſtodiendæ expedit e, innoxios quoque interdum multare, ut callidis atque ambitioſis ſpes atque aditus præcluderetur. Quanquam ipſe quidem Coſinus Principum conſpiratione, qui regnum ejus ultra ferre non poterant, & præreptum ejus gratia, potentiaque æquabilitatis jus, indignabantur, excedere patria, & abire in exilium eſt coactus: cùm ante in vincula traditus ſummum capitis periculum ab inimicis, qui tum in Magiſtratu erant, adiiſſet, à quo ipſe inſigni induſtria gratioſi ſcurræ miniſterio, corrupto præſenti pecunia Vexillifero, (hic erat ſummus in civitate Magiſtratus) ſe proripuit. Sed ea res, quod ſæpè gratioſis & popularibus uſu venit, in amplitudinem ac ſtabilimen dominationis illi vertit. Ita enim eâ calamitate, quæ ab invidis & obtrectatoribus immerenti inflicta putabatur, accenſus eſt in eum civitatis favor, ut ab exilio reducto parum abfuerit, quin nomen quoque, nō ſolùm jus regni poteſtatemq; detulerint.

Succe-

Suſcepit inde rexitque Rempublicam Coſmus, quamdiu vixit: vixit autem ad ultimam ſenectam, tantâ æquitatis & moderationis gloriâ, ut & publico populi decreto moriens, pater patriæ ſit appellatus, & potentiæ hereditatem filio tradiderit. Hunc nequaquam patri virtute atque induſtria parem, corpore inſuper ab perpetuis articulorum doloribus inhabilem, ſæva excepit conjuratio, Nicolao Soderino homine acri ac vehementi Duce. Cum enim in mercaturæ negotiis haud negligendas jacturas feciſſet, ne laboraret inde fides, quâ maxime omnis trapezitarum nititur ratio, exigere a civibus pecunias, quas iis commodaverat pater, inſtituit. Quæ res multorum ab eo animos alienavit, conſpirandique audaciam inimicis addidit. * Sed cum inſidias, quæ e villa redeunti poſitæ erant, parvo caſu declinaſſet, vocato ad concionem populo, ac patefacta fraude, atque omni ordine conjurationis expoſito, magno omnium conſenſu damnati facinoris ejus auctores; & quia ſponte profugerant urbe, proſcripti atque hoſtes judicati ſunt. Sic fortiter vindicata dignitate, conſervatoque civitatis Principatu, octavo poſt exceſſum patris anno, morbo extinctus interiit, duobus filiis, Laurentio & Juliano, præſtantiſſimæ indolis adoleſcentibus, relictis. Qui cum cæteris rebus memorabiles fuere, tum ſingulari in eo fortuna, quod uterque filium Pontificem Maximum genuit: Joannem Laurentius, qui Leo X. eſt appellatus;

Julia-

Julianus filium, qui Clemens VII. eſt dictus. Laurentius natu major gubernaculis Reipublicæ eſt admotus, in quo magnum ingenium, & quantumvis magnæ rei capax ſtatim reſplenduit. Is avo quam patri ſimilior, nec eo ulla inferior laude: artes quoque ipſius, quæ in patria obſoleverant, juvenis retulit. Tantumque illi ſive induſtriæ, ſive nativæ ad promerendam hominum gratiam fuit, ut illic pares cum omnibus, etiam tenuioribus civibus ex æquo officia, & auctoritatem in ſumma comitate retineret, & potentiam ſine invidia tueretur. Et quidem nullæ ei civiles virtutes videntur defuiſſe. Literas non coluit modò, ſed viros ætatis ejus famâ eruditionis clariſſimos penes ſe habuit; & Bibliothecam à Coſmo avo inſtitutam copiâ, delectuque optimorum librorum locupletavit; quos tota Græciâ per idoneos homines magno ſumptu ſtudioque conquiſitos Florentiam comportandos, multosque eorum in Latinum a doctiſſimis hominibus vertendos, edendosque publico bono curavit. Atque ipſe cùm omnes attigit liberales doctrinas, tum Græcæ Latinæque, & maxime Etruſcæ linguæ ſtudio excelluit; in qua extant ab eo ſcripta poëmata egregie culta, plenaque acuminis & ſuavitatis. Et quanquam domi quam militiæ, in toga quam in armis clarior ſit habitus, tamen non hujus quidem expers gloriæ fuit. Liguſtico bello cum ignavia atque inſcitia Prætorum res parum proſpere adminiſtrarentur, veniens ipſe in

castra,

caſtra, Petroſanctenſes, qui cum Liguribus ſentiebant, egregiè perdomuit, & Sergianum præmunitum oppidum de Genuenſibus recepit, & Volaterranos, qui occiſo Florentinorum Prætore, atque armis ſumptis ſuperbe rebellarant, ducto ad obſidendam eorum urbem exercitu, omnibus belli cladibus affectos expugnavit, punitis ſeverè auctoribus, multaque civitate, reddita in imperium ſubegit; & in conventu, qui propè omnium Italiæ Principum, ad Venetorum reprimendam vim, Cremonæ eſt habitus, ita diſerte de tota ordiendi gerendique belli ratione ſcienter apteque diſſeruiſſe, ut à peritiſſimis Ducibus, qui in conſilio aderant, unus præcipuam bellicæ prudentiæ laudem tulerit. Verum magna ingenii atque omnium virtutum famâ florentem, quæ rerum humanarum inconſtantia eſt, fortuna gravi perculit vulnere, in ſummumque dignitatis ac vitæ diſcrimen adduxit; ut inde ereptus, dominatum patriæ firmiori ſuorum gratia ſtabiliret. Huic fortunæ duabus maximè rebus ortæ cauſæ traduntur. Altera, quod Claricem ex Urſina familia, nobili Romæ & ſuis & factionis opibus præpotente, uxorem duxit, quò faſtidire civium ſuorum nuptias, ut imparium, & externis præſidiis munire filii regnum viſus, multorum animos offendit. Altera, quod Sixtum IV. Pontificem Maximum in ſe magnopere irritavit, cum in petitione Cardinalatus pro Juliano fratre ſummâ ope contendens, repulſam paſſus, Vitellios, Tiferna-

tum

tum tyrannide invadentes, atque ob id hoſtes à Pontifice judicatos, veluti in ultionem pecuniâ auxiliisque juviſſet, atque omnibus inde Sixti conſiliis ſe objeciſſet. Hinc conjuratio in cædem ipſius fratriſque erupit, tanto cæteris atrocior, quanto validiores auctores atque Duces eſt nacta. In qua non Principes modo civitatis, Paetii, Salviati, Bandinique fuerunt, ſed Hieronymus quoque Riarius, ſororis filius Pontificis, qui cùm ſummâ eſſet apud avunculum gratia, vim quoque ac pondus ipſius in partes trahere videbatur. Ad facinus ſuâ ſponte ſævum, addidêre contemptum ſacrorum, ipſo in templo atq; ante aras, cùm maxime res divina fieret, peragendæ rei delecto tempore, atque ipſa hoſtia, cùm potiſſimum eam Sacerdos ſupra caput attollens, adorandam populo præbet, ſigno exſurgendi aggrediendique juvenis conſtituto. Et Franciſcus quidem Paetius, ac Bernardus Bandinus, quibus Juliani cædes mandata fuerat, edito ſigno infeſtis ſicis intentum myſteriis, ac genibus nixum adorti, celeriter confecerunt: Laurentius, vulnere in cervice accepto, protegentibus, & corpora ſua objicientibus amicis, in proximum ſacrarium evaſit: quo incolumi nuntiato, pollutæ religionis ſcelus omne in inſidiatores recidit. Neque enim illa hoſtia cui vis divini numinis ineſt, quam Deus, & ſuæ erga homines, & hominum inter ſe caritatis & conjunctionis pignus ſtatuit, ſanguinis atque cædis teſſeram factam ſe

non gravi piaculo luere auctores voluit. Nam populus jacentis ac fœde trucidati Juliani aſpectu, contra quam conjurati ſperaverant, miſericordiâ atque ira concitatus, libertatis nomen ingeminantes aſpernatur; eoque eventu pro Medicæis arma cepit, ut conjurati omnes variè comprehenſi extemplo injectis gulæ laqueis e curiæ feneſtris ſuſpenſi, turpiſſimo ſupplicio necati fuerint; eoque indignantium furor proveheretur, ut ne ipſi quidem Franciſco Salviato Piſano Archiepiſcopo parcerent, quem, ut erat in lintea ſacerdotali veſte, fractis cervicibus e feneſtris ſuſpenderunt. Tantaque ſævientium, & ſumende ſontibus pœnas feſtinantium aviditas fuit, ut cùm non caperent feneſtræ ipſæ pendentium numerum, reſtes præciderent præcipitarentque nondum exanimes in forum, quo locus dignior ſuppliciis, qui ſubinde rapiebantur, foret, ac decidentes excipiens veſana plebs laniaret, undeque tractos in profluentem Arnum projiceret. Unus evaſit Bernardus Bandinus, Juliani interfector, qui cùm ſe tam adverſis partium rebus nunquam ſatis tutum exiſtimaret, ad Turcas Conſtantinopolim profugerat: ſed ne quid ſanciendæ Medicæis dominationi, aut vindicandæ Juliani cædi deeſſet, inde quoque retractus, iiſdem feneſtris pari ſupplicio eſt interfectus: ſive eum Turcæ dediderint, ſive Florentinus mercator fraude interceperit, quem ferunt, dedita opera, per ſpeciem ferendarum mercium eò appu-

liſſe

liſſe, Bandinumque pro veteri amicitia benignè in navim invitatum clam cepiſſe, ac protinus ſolutis inde anchoris aſportaſſe. Laurentius, poſt ſedatum tumultum, obligato vulnere in forum atque curiam progreſſus magno populi clamore ſalutem illi gratulantis accipitur. Atque ipſe accenſa in ſe hominum ſtudia gravi aptaque oratione adeo inflammavit, de ſua modeſtia atque innocentia vere magnificeque prædicando, ac de inſidiis & crudelitate inimicorum moderatè querendo, ut dubiis quoque civibus in partes traductis conciliatisque, potentiam firmiſſima omniũ benevolentia ſibi communierit; bellumque ipſum, quod inde ſævum atque atrox eſt ſecutum, uno maximè memorabili facinore in gloriam ſuam verterit, & civitatem ipſam ſingulari beneficio devinxerit. Sixtus enim Pontifex ob violatum, atque indicta cauſa tetro ſupplicio affectum Archiepiſcopum, Laurentio Florentinoque populo ſacris interdixerat, & ſocio belli aſſumpto Ferdinando Neapolitanorum Rege, æquè Florentinis infenſo, ac proferendi imperii cupido, eos armis proſequebatur. Qui improſpero icti prælio, pulſis fugatisque eorum Ducibus, hinc Sixti copiis, hinc Alfonſo Ferdinandi filio, acerrimo juvene, cum infeſto exercitu irrumpente, gravi & periculoſo bello premebantur. Et Sixtus Ferdinandusque ad conflandam Laurentio apud cives invidiam, diſcordiamque ſerendam, non Rempubl. ab ſe, ſed injuſtam unius dominationẽ

oppugnari prædicabant, veroque in eum damno ferri videbantur. Laurentius omnibus ſimul difficultatibus circumveniebatur; & cum adverſam pugnæ caſum paſſus, æque & infeſtos foris hoſtes timeret, & donu civium conſtantiæ diffideret, conſilium à neceſſitate anceps, & famam grandem amque ex eventu habiturum, cepit. Profectus Piſas conſcendit naves, & Florentiam renuntiari Magiſtratibus jubet, quò omnibus conſtaret, incolumitatem civitatis ſua ſibi ſalute cariorem eſſe, ire ſe ad hoſtem, aut pacem domum relaturum aut bellum ſuo unius capite redempturum. Direxit inde duabus cum triremibus Neapolim, præmiſſo, qui fidem acciperet, tutò venturum, inopinato Regem adiit: A quo primum ut hoſtis, nequaquam placatè acceptus, tanta dicitur gravitate atque eloquentiâ de ſtatu Italiæ, de liberorum civitatum Regulorumq; ſtudiis, ac de Regis ipſius utilitatibus ex Florentinorum amicitia orationem habuiſſe, ut Ferdinandus ab ira atque hoſtili animo in admirationem ingenii virtutisque ejus converſus, pacem fœdusque cum eo Florentinoque populo, ex uſu utriusque compoſuerit, ſtatimque miſerit, qui Alfonſum filium deducere ex Etruria exercitum juberet. Et Laurentius Florentiam rediens exoptatæ pacis auctor, ſummis omnium ſtudiis pietatem ejus erga patriæ ſalutem, induſtriam virtutemq; prædicantium, acceptus: tantaque inde auctoritate atq; opinione prudentiæ inter omnes Europæ Reges vixit,

cauſam turbatæ in Italia pacis, adventusq; Gallorum, ex quo orta bella, continuataque multos per annos non Italiam modo, ſed orbem terrarum magnis cladibus involverāt, in mortem ejus conferant rerum Scriptores; adeo cura illius vigilantiaque in exæquandis Principum Italiæ viribus, ne quis ſupra cæteros ſeſe efferret, enituit. Mortuus eſt tertium & quadrageſimum agens annum, magno nomine ac deſiderio ſui apud omnes relicto. Ex tribus filiis, quos e Clarice ſuſcepit, Petrus ætate prior in Principatu ſucceſſit, ita confirmato ſtabilitoque bonis patris artibus, ut opulentiſſimam civitatem multis imperitantem urbibus, ac præcipuas in Italiâ dignitates in poteſtate ac ditione haberet, ſi paternis veſtigiis, diſciplinæque in qua edoctus erat, inſiſtere aut voluiſſet, aut adeo per ingenium, nequaquam tantæ moli par potuiſſet. Verùm enimverò primis ſtatim initiis, quām omnia diſparia diſſimiliaque in ſe eſſent, oſtendit; & cui ne moderato quidem ac diligenti facilis futura apud Florentinos gratia & auctoritas fuerat, ſuccedendi in tanta caritate virtuteque Laurentii, ipſe publici privatique juxta contemptor, inanibus armorum ludis ſpectaculiſque, & matronarum amoribus animo curiſque occuparetur. Igitur contra quàm inſtituerat pater, rarò in Senatum publicaque conſilia venire, non obire Magiſtratus, non publicis fungi muneribus, denique nihil pro civili more, nihil quo civium ſtudia retineret, agere.

Et cùm pater vim dominationis ſtrenuè occupans, ſpeciem invidiamque egregia moderatione declinaret, Petrus oſtentare, quam habere regnum, videbatur malle; ſpretiſque Senatoribus, Rempublicam domeſtico paucorum conſilio adminiſtrabat, nova fœdera, novas ſocietates amicitiaſque ex ſua libidine, nihil conſultis Magiſtratibus inſtituebat; cumque offendi eâ re Principes civitatis ſenſiſſet, de abolendo omni libertatis ac Reipublicæ nomine, inducendaque veri Regni forma, indita ſibi Ducis appellatione, cogitaſſe eum ferunt: atque in hanc cogitationem ſe arctiſſimo fœdere Arragoniis Regibus Neapolis conjunxerat, peregrinis quoque opibus ſe contra cives firmans. Laurentii conſilia in id ſemper excubarunt, ut pax inter Principes Italiæ conſervaretur, libratiſque viribus, mutuo metu omnes continerentur; ideoque medium ſe inter Ferdinandum Regem Neapolis, & Ludovicum Sfortiam Mediolanenſium Principem gerens, qui ea tempeſtate & opibus, & calliditate ingenii, & imperandi cupiditate pares habebantur, utriuſque amicitiam ex æquo coluit, & ſæpe diſſidentium iras controverſiaſque compoſuit: ex quo pari & ipſe in honore, ac exiſtimatione apud utrumque fuit. At Petrus hoc aut neglecto, aut non ſatis percepto patris conſilio, Virginii Urſini propinqui ſui, qui in Ferdinandi fide atque clientela erat, ſuaſu inſtinctuque totum ſe ad ejus amicitiam applicavit: quæ parva dictu res maximum momenti

mentum ad ſtatum Italiæ labefactandum habuit. Hinc enim incuſſa Ludovico ſuſpicio, ne illa Ferdinandi Alfonſique filii cum Petro conjunctio ad ſe opprimendum conflata eſſet, eum transverſum egit, & ad præceps & calamitoſum illud conſiliũ impulit, Gallos in Italiam evocandi: quod inde & ipſum, & Petrum, & Arragonios Reges continenti ruina pervertit. Hujus conjunctionis ſtudiosè diſſimulatæ, & clam habitæ ſigna Ludovicus haud minori ſtudio indagavit, collegitque. Cùm mortuo Innocentio Pontifice Max. in ejus locũ crearetur Alexander VI. ad hunc de more venerandũ, debitumque illi obedientiæ atque fidei officium perſolvendum omnes Reges, liberæque civitates Legationes adornabant. Ludovicus quia junctus fœdere ac ſocietate cum Petro Ferdinandoque erat, ac magnopere lætabatur non proviſa aliis conſilia in medium afferre, auctor ſociis fuerat, ut omnium ſimul Legati urbem intrarẽt, ſimul Pontificem in Senatu adirent, unusque eorum pro omnibus oraret, quò cunctæ Italiæ civitates apparerent ita animis conſiliisque conſentire, ut unâ veluti mente voluntateque regi moderarique crederentur; id ad ſingulorum augendam exiſtimationem magnopere pertinere. Et Ferdinandus quidem, ne Ludovicum novis inventis maximè ſibi placentem redarguere in re parva videretur, facilè ei eſt aſſenſus: Sed Petrus, qui juvenili ſtudio elatus, ut ſuas copias atque amplitudinem in Romana Aula, illoque Principum conventu oſten-

oſtentaret, pro Florentina Republica ſumpto Legati nomine, Romam magnificentiſſimo ac plane regio comitatu cultuque parabat proficiſci, Ludovici ſententiam magnopere animo aſpernabatur, ſuam pompam ac ſplendorem in aliorum turba Legatorum minùs fore conſpicuum dolens. Sed palam eam refellere, ne Florentiæ quidem auſus, a Ferdinando clam petiit, ut rem diſcutiendam ſuſciperet. Qui quanquam invitus faceret, tamen indulgens in eo juvenis levitati, egit cum Ludovico, ut conſilium conjungendarum Legationum omitteretur, cauſſatus fieri vix poſſe, in multitudine tot Legatorum res ordine ac ſine tumultu adminiſtrarentur. Ferenti ægriùs Ludovico, & cujus rei auctor ipſe Romæ ac per Italiam ferretur, eam mutari, in ſuam contumeliam accipienti, Ferdinandus ſimpliciter eſt faſſus, Petri rogatu ſe à priori ſententia receſſiſſe. Id verò Ludovici animum multo altius pupugit, qui quod antea ſuſpicari cœperat, Petrum & Ferdinandum intimè conſentire, ex ea re planiùs intellexit. Et acceſſit, quod inter Pontificem & Ferdinandum, ob caſtella quæ Virginius de Franciſco Cybo emerat, gravi exorta contentione, Petrus à Ferdinando ſtare, nihil reveritus Pontificis majeſtatem, eſt viſus. Enimvero Ludovicus hanc conjunctionem in ſe ſuſceptam, imperitumque juvenem vaferrimi ſenis artibus illectum, haud ineptè exiſtimans, hinc ambitione, hinc metu ſtimulante, Carolum Octavum, Gallorum Regem, ad inferendum

Arma

Arragoniis bellum, Regnumque Neapolitanum armis repetendum, in Italiam adduxit. Et Petrum quidem perpetui Laurentii patris inſtituti, in neutrius ſe partem dimittendi, & communem concordiam tuendi admonens, ab Arragoniis avertere, nequicquam eſt conatus. Qui usque adeo nihil ſapere eſt viſus, ut in conſilio temerè ſuſcepto etiam inconſultæ conſtantiæ laudem appetierit. Aſſentiente Ferdinando, Legatos in Galliam ad Carolum miſerat, ſimul purgatum civitatem de eo quod ſtudere Arragoniis diceretur; ſimul ad tentandos de compoſitione Gallorum animos. Sed Rex, commemoratis majorum ſuorum, ac patris imprimis ſui multis in Florentinam Rempublicam Medicæosque ipſos officiis difficilibus eorum temporibus, poſtulavit ab iis ut ſibi per eorum fines exercitum ducenti commeatus copiam præſtarent, & ad ſpeciem initæ amicitiæ, centum gravis armaturæ equites darent; minitans, niſi fœdus in has conditiones ferrent, Petrum ſe Florentinoſque pro hoſtibus habiturum, ac protinus omnibus Regno ſuo excedere juſſis, Galliæ commerciis negotiisque interdicturum. Id fieri ſine maximis civitatis jacturis non videbatur poſſe, cujus opes unius mercaturæ compendiis continentur; nec cives usquam alibi quam in Gallia plures negotiabantur, nec ulli genti pluribus impliciti rationibus erant. Unde illud Florentino populo inſitum erga Reges Galliæ ſtudiũ, cujus eſt apud vulgus

una conciliatrix utilitas, exiſtere putatur. Nemini civium hæ fœderis leges non accipiendæ videbantur, quibus tanta belli tempeſtas tam parvo impendio declinaretur; & Petrus ipſe ſuorum conſenſu motus, oſtendit Ferdinando, neque id magnopere ad belli ſummam pertinere; & ſibi ex ea ſocietate aditum, cum opus foret, ad conciliandam pacem futurum. Sed Ferdinandus, quanquam pacificatorem Petrum non aſpernaretur, haud tamen eam tanti ſpem æſtimabat, ac quod ad opinionem famamque hominum plurimum referret, Petrum Florentinosque amicitia ſua detractos, hoſtibus acceſſiſſe credi vellet: querendo itaque nulla cauſa labare apud Petrum conjunctæ benevolentiæ atque fœderis fidem, eum in amicitia retinuit; tametſi, & amici deterrerent, & civitas Caroli denuntiatione minisque & detrimentis ceſſaturi ex dirempta Gallorum ſocietate quæſtus magnopere commoveretur. Sed Petro rebus omnibus prior antiquiorque ſocietas cum Arragoniis fuit; ſive ea hominis fuit rebus ſemel cupitis pertinacia; ſive ut plerique tum exiſtimarunt, ab intimo amicorum, quem Arragonii magnis donis promiſſisque corrumperant, eſt inductus; ſive eum Gallorum motum rumore ac fama, quam re terribiliorem fore, brevique incaſſum evaſurum, ſibi perſuaſerat; nec facilè Carolum ab Aloyſii XI. patris ſui conſilio abſceſſurum, qui ſæpè a noſtris Principibus ſollicitatus, Italicis rebus cōſtantiſſimè ſe abſtinuit.

ſo

In quo Petrus ipſe parum memor paternæ ſententiæ fuiſſe eſt viſus, quem ad ſignificandum opulentiſſimi Regni robur, dicere ſolitum accepimus, Ingens Italiæ impendere malum, ſi ſe Galli ſuasque vires noſſent. Ludovicus ſub ipſum Gallorum tranſitum, ſive tantam bellicoſæ gentis vim, vel ab ſe concitatæ metuens, impeditum difficilemque ad victoriam curſum efficere Gallis cuperet; ſive Petrum Arragoniosque conſopire, ne quod parari intellexerat, antè impetum in ſe facerent, quam Gallorum auxiliis muniretur, Petrum, veluti mutato animo, ne ſe ab Arragoniis disjungeret, hortabatur; ſeque operam daturum ut aut non transmitterent Alpes Galli, aut domum non multa re geſta redirent: Neque enim adeo furere ſe, ut Neapolitanum Regnum ab alienigenis feriſque nationibus, & ſibi maximè imminentibus occupari, quam teneri ab Arragoniis malit, cum quibus controverſiæ ad tempus & ſumi ſine periculo, ac deponi poſſent; cum externis atque barbaris, linguaque & moribus haud minus quam ſpatio Alpium differentibus de libertate ac ſalute certamen eſſe. Se quidem ſatis habere, Alfonſi Regis ferociam, & minitari ſibi auſi arrogantiam, gallico metu retuſam cohibuiſſe. Petrus nihil Arragoniis non gratificans, nec quantum in ſe virum irritaret ſatis expendens, hortante Alfonſo hæc omnia prodidit Gallis: quæ ne fingi ab ſe ad invidiam inimici crederentur, Caroli Legatum poſt aulæa, quibus orna-

tum

tum cubiculum habebat, occultavit; & Ludovici accerſito Legato, omnia quæ ille ſecum Ludovici verbis ante egerat, ita ut à Gallo audiretur, repetivit, ac magnopere eſt conqueſtus, quod cum ipſe auctoritate & cohortationibus ejus inductus, ne fœdus a Florentinis cum Carolo feriretur, ad eum diem conſtanter obſtitiſſet, certior nunc fieret, Gallos ad Neapolitanum bellum, maturandumque tranſitum in Italiam aſſidue à Ludovico ipſo ſollicitari. Itaque ſe ſibi verba dari diutius non paſſurum, & cum Carolo de ſuis rebus tranſacturum. Tum Mediolanenſis, ignarus fraudis, quo & placaret commotum Petrum, & ab ea ſuſpicione removeret, multo quam antea vehementius accuratiusque eadē illa diſſeruit, affirmavitque. Gallus Legatus, qui ſub eo tectus latebat, cuncta, ut audierat, ad Carolum, multum Ludovici perfidiam incuſans, perſcripſit. Quæ tamen non tam ad fidem illi apud Regem abrogandam, propter hominis ſingularem in rebus ſolertiam valuerunt, quam ut exinde ad Petri exitium incumberet, incitamento fuerunt. Erant Medicæi juvenes duo, Laurentius & Joannes, ampliſſimis præditi fortunis, ſed ab levitate ingeniorum turbidi inquietique, & Petri potentiæ occulto livore adverſi, quanquam ei ſanguine imprimis conjuncti. Hos nactus Ludovicus magna ſpe ac cupidine inflat incitatque: atque ipſi adjuvante eo, cum Gallis de Petro principatu movendo, conſilio habent:

ſed indicio eius rei ad Magiſtratus Florentiæ delato, non tam ab illis eam injuriam, quam à Ludovico inflictam ſibi Petrus exiſtimans, eò ſe arctius Arragoniis adjunxit; juvenibus, ne ſævire in propinquos ſuos videretur, parci juſſit: nec ultra in eos eſt animadverſum, quam ut in villas ſuas relegarentur. Verum illi cum inde profugiſſent, multa criminando, Regem proceresque Gallos à Petro magopere abalienârunt. Cæterum, Carolus per varias de fœdere moras à Petro ductus diu ac deluſus, poſtremo, monente eodem Ludovico, Florentinorum quidem Legatos abire Regni ſui finibus juſſit, ſed negotiari privatim nemine prohibito, Petri ipſius menſarios Lugduno omnique Galliâ ejecit: ut non tam publicè Florentinis iraſci ſe, quam Petro ipſi, appareret, à quo civitas, Gallici nominis alioquin perſtudioſa dominatu oppreſſa teneretur. Quod quidem callidum Ludovici conſilium non fefellit, qui magnæ invidiæ incendium Petro apud cives ſuos conflatum iri ex ea re exiſtimavit, quo ſanè incendio ipſe, domusque ejus haud multò poſt conflagravit. Etenim migraverant inde ſecundiſſimo rerum curſu in Italiam cum Rege Galli, valentiſſimis ſuccincti copiis magnoque ac terribili æneorum tormentorum apparatu: quorum ab antecurſoribus cum Arragonii, qua Liguria, qua Æmilia repulſi ſe in Regnum receptiſſent, Petrus & fortuna territus Regis, & celeritate adventus ejus oppreſſus, quanquam ſuſpectus

& in

& invisus præpropera deſperatione ad eum in caſtra venit, ultro ſe ei permittens, cujus paulò antè fœdus pene ex æquo reſpuerat. Juſſus itaque Sergiani, Petroſanctæ, Piſarum ac Liburni arces dedere, (hæ erant urbes, quibus ab ea parte Florentinæ ditionis fines terra marique claudebantur) imperata fecit, atque ita in fidem ipſe domusque eſt receptus; mirantibus Gallis, tam facilem graviſſimis Regis poſtulatis ſe præbuiſſe, a quo paulò antè & Rex & gens Gallorum ſperni ac deſpectui haberi eſſet viſa, præſertim qui ſcirent Carolum mitioribus conditionibus, ac vel unius traditione arcis, contentum fuiſſe futurum, dum civitatem in partes traduceret, hoſtibusque ſuis averteret. Sed Florentinorum Legati civitatis Principes, qui cum eo ad Regem venerant, fœdè proditam ea pactione Rempublicam à Petro, privati commodi ac rationis cauſa indigne ferentes, accendentibus præterea eos Laurentio ac Joanne, qui in Gallorum caſtris atque in honore apud Regem erant, magno conſenſu literas liberæ indignationis plenas Florentiam publicè miſerunt, imperii clauſtra à Petro, non expectata Senatus auctoritate, ac ne cum collegis quidem re communicata, in poteſtatem Gallorum privato conſilio tradita querentes. Cum his allatæ & privatim ad multos literæ nuntiique multo licentius in abſentem Petrum invehebantur. Quæ delata in vulgus, & ſuperioribus addita erratis, ex quibus Petrus adverſo rumore erat, magnopere animo-

mos hominum commoverunt, incuſantium haud minus inconſtantiam ejus, ignaviamque primo ſtatim diſcrimine fatiſcentis, quam temeritatem ab amicitia Gallorum civitatem avellendi, pertinaciamque in ſtudio Arragoniarum partium perſiſtendi. Et veteres Medicæorum inimici locum res novandi, ac premendi adverſarios nacti, rei jam planè inclinatæ non defuerunt. Veniſſe tempus, veram ac ſolidam libertatem repetendi, ac Rempublicam impotenti unius familiæ regno liberandi admonebant. Petrum in pace arrogantem, in periculo timidum appellabant, & Rempublicam atque ipſam urbem Florentiam nullo milite nullis præſidiis munitam bellicoſiſſimæ genti, unius inſcitia ſocordiaque ad prædam objectam, atque in caſum ultimæ calamitatis datam increpabant. Ita omnibus ſe circulis congreſſibusque inſerentes, & qua cupidis atque audacibus animum, qua infirmis atque imbellibus metum addentes, tantum irarum atque tumultus conciverunt, ut amici etiam & beneficiarii Medicæorum, eo veluti æſtu commotæ multitudinis abriperentur, nec quiſquam ſurdis atque concitatis ire obviam aut omnino hiſcere auderet. Petro Florentiam, ut advenientem Regem domi ſuæ hoſpitio quam magnificentiſſimè acciperet, antecedenti alii ſuper aliis nuntii occurrerunt, maturaret iter, rem ad tumultum atque ſeditionem ſpectare. Ingreſſus Urbem, ubi contumacibus ſe vultibus aſpici, atque amicorum alios de-

clinare

declinare congreſſum, alios dilabi ab ſe videt, pergit in curiam, allocuturus Magiſtratum, iſtorumque cum Rege rationem expoſiturus, & publica auctoritate, quando in ſe parum ponderis jam eſſet, hominum ſermones, & motum populi ſedaturus. Sed qui convenerant, haud ignari, majori periculo omitti defectiones, quam incipi, à publico quoq; conſilio prohibere cum parant, delectosque juvenes obſervare januam, atque aſſiſtere ad cuſtodiam jubent: Quorum Jacobus Nerlius, nobilitate atque audacia cæteros anteiens aſcendenti Petro fores objecit, multiſque cum ignominia Curiæ aditu excluſit. Ad id facinus, veluti ſigno accepto, populus paſſim ad capienda arma diſcurrit, Petrumque recipientem ſe domum ſibilis ac maledictis, & quidam etiam lapidum conjectu, inceſſerunt. Petrus tam perditis rebus, tantis violatus contumeliis, omiſſa dignitatis cura, ſaluti jam ſuæ magnopere timens, paucorum equitum præſidio protinus ſe in fugam conjecit, ac per devios Apennini colles Bononiam evaſit, regno, domo, patria, bonis fortunis, rebus omnibus uno temporis momento ſpoliatus. Idem fecere Joannes Cardinalis & Julianus fratres, & Julius patruelis, adeo magno periculo, ut Joannes depoſita purpura Franciſcani ſodalis cucullo ſeſe occultans, eminentiæ perſonæ beneficio elaberetur. Hi ſunt Joannes & Julius, qui poſtea ad ſummum rerum humanarum faſtigium, alius poſt alium, Romæ pervenerunt.

Ado-

Atque hoc modo Medices poſt ſexaginta annos, quam patriæ dominatum occupaverant, Florentia ſunt exacti. Tyrannorum ſane nomine indigni, a quibus manente Magiſtratuum, & publici conſilii forma auctoritateque, nec ullo invidioſo imperii vocabulo aſſumpto, imperium ipſum æquabiliter, moderate ac prope civiliter ſit habitum, ſi libertatis & communis juris oppreſſoribus nomen uſquam honeſtum ullum poſſet. Ferunt Laurentium Petri patrem perſpectis ejus moribus, a civili æquabilitate ac majorum ſuorum manſuetudine abhorrentibus, ingenioque ſæpe ſe contumacia atque contemptu aliorum efferente, cum lacrymis ſolitum inter ſuos dicere, eum aliquando ſibi familiæque exitio futurum. Nec ſanè excuſari vanitas Petri atque imprudentia poteſt, qui adeo pertinaciter Arragoniis adhæſit, ut eos non ſolum Ludovici, ſed etiam Gallorum amicitiæ exitiali errore antetulerit, & per quos regnum ſe Florentiæ, liberamque rerum omnium poteſtatem, abolito Reipublicæ ac libertatis jure adepturum ſperavit, eorum adverſæ fortunæ primus occurrit, primusque ſævo ejus impetu afflictus profligatusque, etiam traditam a majoribus ſuis regno proximam potentiam amiſit. Quem errorem quod præterire hoc loco non eſt viſum, coram illi objeciſſe aliquando Petro Ludovicus perhibetur. Cum enim uterque ad Regem caſtra ad Sergianum habentem veniſſent, & Petrus adventanti Ludovico obviam honoris gratia egredi-

egreſſus, & tamen, quod devio itinere venienti non occurriſſet, in primo inde congreſſu, ... ſancti Petro, ideo ſe obvium ei non factum, ... recta via Ludovicus deerraſſet, arguente ille ... ſane, inquit ſubridens, erratum ab alterutro ... ſtrum eſt; ſed ego vereor ne regia via ipſe dece... ſeris. Cæterum, Florentini cum Petrum ... treſque ejus hoſtes judicaſſent, interfectoribus... que eorum præmia ſtatuiſſent, ut mos ... ni, ubi vi ac ſeditione agitata, metum legum ... cuſſit, ab ira ac ferocia ad rapiendi licentiam ... ctendi, poſt evulſa omnibus publicis privatiſque locis Medicæorum inſignia monumentaque, ... petum in domus eorum omni veteri recentique opulentia refertas fecerunt. Erat magna ... auri argentique vis, multa antiqui operis ... ſtatuæque, & nobilium artificum manu pictæ ta... bulæ, & Aulæorum, ſtragularum, ac cæterorum ... ædium ornamentorum, veſtiſque omnis generis omniſque pretioſæ ſupellectilis, ad explendum cujusvis Regiæ luxum, ingens copia. Quæ om... nia, aut direpta cupidæ plebis avaritiæ ceſſerunt, aut poſita haſta, præconis ſubjecta voci ... ribus, vili pretio ſunt addicta, arte ... ut populus illa auctione prædaque ... nunquam poſtea ad voluntatem eos redire ... flecteretur. Sed quo die ejecti, ut ipſi prædi... cabant, Tyranni, Florentini libertatem ... runt, qui fuit XV. Kal. Dec. M. CCCC XC ... Piſæ, vetuſta ac nobilis Etruriæ urbs, ...

exemplique viciſſitudine annis deſciverunt. Piſani enim occultis Ludovici Sfortiæ inſtincti cohortationibus, ad occaſionem præſentium faventiumque Gallorum, captis repente armis, atque cum ipſo Prætore omnibus Florentinis civibus expulſis, ſeſe in libertatem vindicarunt, & ab diuturna ſervitute ex inſperato emerſerunt. Quam libertatem ſexdecim inde per annos continenti bello a Florentinis oppugnati, magis virtute atque conſtantia, quam viribus conſervarunt. Carolus Piſis profectus Florentiam venit, & ut victoris ſpeciem præferret, inſignibus tectus armis, militari inſidens equo, equeſtremque lanceam manu tenens urbem eſt invectus, exercitu quoque ſub armis introducto, vehementer quidem ſollicita ſuſpenſaque civitate non metu ſolum tot millium armatorum, quos intra mœnia receperat, tantique tormentorum, quæ curribus agebantur, apparatus; ſed multò magis rumore, qui non ex vano emanarat, Regem Medicæos Florentiam reducturum, atque in priſtinum dignitatis ac potentiæ gradum, reſtituturum. Nam proceres Gallorum erant aliquot viri ſummæ apud Carolum auctoritatis, & ante omnes, Philippus Sabaudiæ Ducis frater, qui Petri indigno caſu permoti, cauſæ ejus impenſe favebant, facinusque Florentinorum, à quibus, poſtquam in amicitiam atque fidem a Rege fuiſſet receptus, arceſque tradidiſſet, patria exactus foret, fortunæq; ejus crudeliter & avarè direptæ,

 ad

ad ipſius contumeliam Regis revocabant, violatamque majeſtatem victoris atque unici controverſiarum ac rerum omnium diſceptatoris ac arbitri, ferebant; & rationibus ejus, rem Florentinam in unius manu eſſe, quam popularibus agi fluctibus, magis conducere, diſſerentes, Regem adduxerunt, ut Petrum, datis ad eum literis, accerſitum mitteret: Carolum enim præter ſuorum cohortationes, haud mediocriter commoverunt Alfonſinæ, Petri conjugis lacrymæ, quæ in Medicæa domo diverſantem adiens, pedibusque ejus parvum filium advolvens, ut dignitate ac fortunis omnibus procerum malignitate ac perfidia indigne ſpoliatum miſereretur, obteſtata erat. Sed rem plane ſperatæ obſtitit fortuna Petri, qui Bononiæ, quo quæſitum eum regii nuntii venerant, non eſt inventus; & Florentini hoc perculſi metu, ſe ſuis rebus cum Rege tranſigere properarunt, ſeque ingenti pecunia, cujus tum maxime egens ob immanes belli ſumptus Rex erat, redemerunt, fœdusque cum eo percuſſerunt. Sed & fœdus, & pacem & cuncta prope turbavit, atque civitatem in ſummum ſalutis diſcrimen conjecit, unius Senatoris temerarium auſum, quod tamen illi, ut pleraque eventus tollit, in maximam conſtantiæ atque virtutis gloriam vertit. Is fuit Petrus Capponius, primæ nobilitatis atque dignitatis civis, vir ingenii atque animi magni antea que, & juxta ſuis Gallisque ſpectatus, & qui cum

ſorte

forte Rege coram de conditionibus fœderis diſceptaretur, & regius Scriba fœderis leges ex ſcripto recitaret, in quibus viſæ pleræque intolerabiles ſunt, atque Galli inſolentius abnuentibus imminitarentur; Capponius indignatione accenſus, abreptum e Scribæ manibus libellum, Rege inſpectante, concerpit. Et quando res, inquit, impotenter ac per vim agitur, & nobis non ferendum imponitur iugum, veſtras vos buccinas Galli inflatotis, nos e turribus noſtris campanarum ſonitum dabimus; protinusque abrupto colloquio, diſceſſit. Vir erat notæ integritatis atq; conſtantiæ, & ex eo auctoritate ſumma; eo minus Galli temere quicquam, aut præfractè ab eo in re tanta dici agique ſuſpicari poterant. Itaque quod irritaturum feroces atque indomitos animos videbatur, mitigavit. Nam enim non ex vano fiduciam rati, cum publicè privatimque magnum armatorum numerum ſui quemque præſidii cauſa conduxiſſe in urbem Florentinos ſcirent, ne more mœnia validæ urbis de ſumma rerum periclitari cogerentur, revocato Capponio, æquioribus conditionibus fœdus percuſſerunt. Namque qui præſidium relinquere Florentiæ, ac Præſidem publice conſtituendum, atque oppidum in poteſtate ſua habere contenderant, contenti eo fuerunt, ut Florentini ad [illegible] imperatorem neminem niſi ex auctoritate Regis legerent, & Gallorum Legati duo quamdiu bellum atq; Rex in Italia maneret, Florentiæ omnibus publicis bellíq; conſiliis intereſſent.

At Petrus, ut ad eum revertamur, Bononiæ [illegible] moratus, Venetias infelici feſtinatione contende-ſerat. Cauſa properandi fuit, quod Joannes Bentivolus, qui eo tempore patriæ libertate oppreſſa tyrannidem Bononiæ tenebat, advenientem, ut erat ſubagreſtis ac ferox, inclementius acceperat, exprobrans, quod per muliebrem metum ac formidinem, nullo nudato gladio, nullius ſanguine effuſo, ſolo populi clamore agi ſe præcipitem e patria dominatuque eſſet paſſus; nec ſe ſolum magnis incommodis difficultatibusque implicaſſet, ſed morem pellendi Dominos ſinendo multum aliis quoque par periculum creaſſet, omniumque civitatum cupidinem ad idem audendum ſollicitaſſet. Sed Petrus Venetiis quoque repetendæ patriæ occaſionem elabi eſt paſſus, quo miſſæ ad eum à Joanne fratre, qui Bononiæ ſubſtiterat, Regis literæ fuerant; ac poterat [illegible] in tempore, priusquam pactiones cum Florentinis conficerentur, ſi maturatum ab illo [illegible] audacter arrepta fortuna foret. Sed rem maxime in celeritate ſitam ſegni conſultatione corrupit. Nam diſtractus ancipiti cura, ac ſpem inter metumque fluctuans, nec ipſe ſe ſatis expediens, conſilium à Senatu Veneto petiit: qui auctor illi fuit, Regis ſe fidei non committendi, ne Galli Florentinorum pecunia depravati, aut adverſariis eum ſuis proderent, aut ipſi inde ludibrio fortunam ejus haberent. Ferunt, Venetos parum ſincera fide id Petro conſilium dediſſe, quod arce-

[illegible]

jam tum ſucceſſibus proſperisque in Etruria Gallorum rebus, veriti ſunt ne Petrus beneficio Regis, patriæ dignitatique reſtitutus, ejus quoque arbitrio imperioque obnoxius & ipſe eſſet, & rem Florentinam haberet. Adeo in magnis rebus & ſe diſpicere, ac ſtatuere quid optimum factu ſit, eſt difficile; aliorum conſilio uti periculoſum, cum plerumque homines in eo dando ſuum ipſorum commodum magis ſpectare, quam fidei rationem ducere conſueverint. Erravit inde in exilio Petrus decem annos; & qui ultro oblatum tempus locumque redeundi in patriam adire, atque uti neſciverat, omnia inde tentanti molientique proſpere nihil ſucceſſit. Primus conatus ejus non irritus modò illi, ſed ſumptuoſus etiam, pro præſenti inopia atque gravis fuit. Virginius Urſinus affinitate conjunctus Petro, cujus mater uxorque ex Urſina gente erant, Tarrenſi pugna, quæ inter Gallos Venetosque in Parmenſi agro pugnata eſt, cuſtodia elapſus (Neapolitano enim bello apud Nolam captus, in Galliam ducebatur,) Mediolano Romam redierat, & Ludovico, qui Florentinos diſtrahere, & à Piſano bello avertere cupiebat, magnopere cohortante, Petrum Florentiam reducendum ſuſceperat, & veteres Præfectos, militesque, qui adverſa Ducis fortuna varie dilapſi fuerant, ad novã ſpem excitos, data à Petro pecunia, evocaverat, conſcriptisque aliquot equitum turmis, [illegible] cohortibus, profectus Tuderto, Gualdum petiit, ut

Perusinus id oppidum oppugnantibus [illegible] [illegible], eoque [illegible] civitatem ad omnia [illegible] tam Florentinis invadentibus reconciliare. Sed à Guardavento incœpto in Senensem agrum [illegible] cedere, atque inde adjuncto Petro ad C[illegible] rum tentandam Florentinorum fines [illegible], nulla ſuccedente re, Clusium rediere. Nam Florentini ex eorum motu in magnum [illegible] terrorem, omnibus aliis poſthabitis, ubique huic conatui objecerant. Et contra neque Joannes Bentivolus è Bononia, neque Catharina Sfortia è Flaminia, ut conſtitutum erat, & Veneti Ludovicusque receperant, quidquam moverant, & pecunia in ſtipendium, & [illegible] ſe Petrum ac Virginium ceperat. Quibus impediti difficultatibus cum [illegible] ad Virginium à Rege Galliæ miſſi ſupervenere Camillus Vitellius & Gemellus Galli, cum mandatis, literis, præſtantique pecunia ad eum in Regis militiam parteſque traducendum. Virginius rebus ſuis penſitatis, ſperans ſe per Gal[illegible] amiſſa Neapolitano bello oppida quæ Colonnen[illegible] æterni familiæ ſuæ æmuli tenebant, recuperaturum, conditionem accepit, noviſque delectibus large præſtita à Gallis pecunia, auctoque equitum peditumque numero, confirmato promiſſis Petro, & ſe ea confecta expeditione, multo valentiorem, longeque apparatu ac ſpe certiore ad eum in patriam reducendum reverſurum pollicitus, in Apuliam tranſiit. Sed Virginius quidem tum

par-

rum proſtratus eum exitum habuit, ut captus, & in arce ſua Neapoli in cuſtodiam traditus, in vinculis periret. At Petrus fratreſque magnis incaſſum ſumptibus factis, ac præſenti ſpe deſtituti Etruria exceſſere. Dum nova daretur fortuna, id interea agebant, ut per fideles atque idoneos homines varia arte civium animos allicerent, ac veteres amicos maxime occultis nuntiis ſollicitarent, & creatis ex eorum numero magiſtratibus ipſi in patriam aliqua conditione revocarentur. Nam quod fere in nova libertate commutataque Republica uſu venire ſolet, plerique qui dignitate honoribusque floruerant, repulſi depreſſique jacebant; multi tollebantur, qui nullo ante numero aut nomine fuerant. Etenim omni jure ad plebem translato, cui communi civitatum malo ſuſpectæ inviſæque nobilium opes erant, homines non novi ſolum, ſed ſordidi etiam atque pudendi in primis Magiſtratibus conſpiciebantur, ut ipſi ſæpè ſellularii ab opere atque officinis ſuis, fuligine ac ſordibus male detersis, ſumptâ ad tempus toga aſcenderent curiam, publicis conſiliis intereſſent, & interdum ad ipſa gubernacula ſederent. Et ut ſunt acuta perſpicaciaque Florentinorum ingenia, homineſque prompti lingua, & ſui æſtimatores, nemo ex opificibus ipſis erat, qui adminiſtrandæ Reipublicæ ſcientiâ ulli Nobiliũ concederet, docerique ſe ab altero vellet. Unde neceſſe erat, præpoſterè multa ac perperam fieri, ut pleroſque Patricii generis,

qui & Rempublicam regentium temeritate ar-
rogantiaque labare, brevique caſuram præſentie-
bant, & ſe ſpretos abjectosque ab infimis ac de-
ſpectiſſimis hominibus indignabantur, magno-
pere jam præſentium tæderet, ac Medicæorum
imperium, in quo ſuus optimatibus locus erat,
ſæpe requirerent. Nam & Hieronymus Savo-
narola Dominicanus civitatem in partes dedu-
xerat: is multâ dicendi facultate, arteque & quo-
tidianis concionibus, quas à Religione ad civiles
quoque res converterat, multitudinem tanta ſancti-
tis, & prudentiæ opinione ita tenebat, ut unus au-
diretur, ex unius ſententia Magiſtratus manda-
rentur, ab uno denique publicæ privatæque res
pendere, uni parere cuncta viderentur. Quæ res
etiam Nobilium multos ad eum attraxerat, atque quip-
pe ab hac factione qui diſſentiebant, [illegible] in ſu-
ſpicione atque odio apud plebem erant: ſed &
ipſi haud minus Savonarolam ſectatoresque ejus,
atque eam Reipublicæ formam oderant. Erant-
que ex his qui Petrum aſſiduè hortarentur, ne de-
ſereret ſeſe, ſtatumque diviſæ, perturbatæque confu-
ſæ civitatis ſuam occaſionem haberet. In his
erant ex optimatum numero Laurentius Torna-
bonius, a quo etiam pecuniâ adjutus Petrus dice-
batur, Nicolaus Ridolfius, Janotius Puccius, Jo-
annes Cambius. Hi magno telorum numero clam
in ſuas domos ad familias clientesque [illegible]
poſceret, armandos, compoſitato, Petrum, ut
compoſitum inter illos erat, ſe manè ſummo cum

[illegible]

expeditis militibus ex inopinato portæ inferentem, accepturi in urbem erant, eo majori ſpe patrandi negotii, quod tum in ſummo Magiſtratu eſſet Bernardus Nerius, gnarus conſilii, & in tempore ſocius futurus. Nec rei defuit Petrus, per Bartholomæum Livianum ex diſciplina Virginii magnæ hominem virtutis, maximeque pugnacem atque impigrum, qui poſtea ad ſummos militaris imperii gradus pervenit, ſexcentis equitibus ac totidem militibus celeriter atque occulte conſcriptis, nocturnis itineribus Tabernulas (id vico eſt nomen Senenſi viæ impoſito) venit. Inde nuntios Florentiam ad conjuratos miſit, qui ſe poſtera die ſub lucem ad portam acceſſurum, eamque occupaturum docerent. Habuiſſetque effectum haud dubiè res, niſi eadem quæ Petrum perſequebatur fortuna, huic quoque conatui ejus ſe objeciſſet. Eâdem nocte tantus ſeſe imber cœlo effudit, ut equis viriſque vexatis, ægrè ad multum diei Florentiam pervenerint, ſpatiumque inimicis ad ſe colligendos, claudendaſque portas atque omnes aditus præſidiis firmandos fuerit. Ita Petrus & Livianus paucas horas ad ſagittæ jactum ante portam morati, cum undique armatos affluere in mœnibusque conſiſtere, nec ullum à conjuratis motum adverterint, veriti ne adventu equitatus, quem Florentini celeriter è Piſanis caſtris accitum miſerant, impeditum receptum, erumpentibus hoſtibus, haberent, converſis equis ordinibuſque ſervatis abiere. At Florentini

tum id quod res erat, ſuſpicati, non fuiſſe Petrum auſurum rem tantam, niſi eſſent in ipſa urbe patriæ ac libertatis proditores, quorum ille ſpe actusque veniſſet, diligentia atque ſtudio [illegible] inimicorum Medicæi nominis, quod latebat inveſtigarunt, editoque indicio, cum alios multum ipſos Cambium, Rodolphum, Tornabonium, Pucium, & cum iis Nerum in vincula conjecerunt, a quibus quæſtione habita, cauſa Petri, totiusque conſilii confeſſionem [illegible] elicuerunt, & criminis manifeſtos Octoviri capitalium rerum judices capite damnarunt. A damnatis ad populum eſt provocatum [illegible] nova lege, quam poſt expulſos Medicæos fautores plebis, ſuadente Savonarola, pertulerant cum alia re magis ſancita communem libertatem, populoque ſuam ſummi imperii rationem, quam [illegible] ſingulis Magiſtratibus ad eum provocatio eſſet. Sed adverſarii accuſatoresque, in quibus eminebat Franciſcus Valorius, vir acer audacior, & amicitia Savonarolæ factioneque illius gravior, quibusque maxime tum in civitate florens [illegible] que verentur ne multitudo facile preſentatione lacrymis propinquorum & calamitate nobiliſſimorum civium commota ad miſericordiam [illegible] deretur, negarunt, præſidium eſſe in legem firmandam libertatem latam, qui libertatem ipſam prodere Tyrannis in animum induxiſſent; ſolosque expertes populi auxilii eſſe

deco-

debere eos, qui omnia jura populi pervertere, & omnium opem legum tollere, & ipſam in hoſtium poteſtatem tradere patriam impiè conati eſſent. Damnatorum propinqui populi fidem implorabant, neminem auxilio legum excludi debere contendentes, nec cuiquam provocationis jus præſidio futurum, ſi tales cives experiundi populi judicium facultate privarentur. Ad ipſius autem Savonarolæ genua provoluti, ipſum Valeriumque deprecabantur, ne tantam ignominiæ notam tam claris familiis inuſtam vellent, contentique mitiori pœna, ea dignitate homines atrocitate tam fœdæ mortis liberarent. Exorari Valerius non potuit, qui Nerio privatim inimicus adeo inexpiabili in illum odio ferebatur, ut & popularem legem infirmari, & una quatuor primarios cives ſibi veteri amicitia & familiaritate conjunctos, tetro ſupplicio perire, quam inimico parci maluerit, ignarus ſe in ultionem tam implacabilis iræ, ab iis aliquando mactatum iri, quorum preces humileſque deprecationes ſuperbus tum deſpiciebat. De damnatis ſupplicium in carcere ſumptum, corpore ad ſepulturam ſuis conceſſo. Quæ cum abſciſſa cervice efferrentur, tanta populum miſeratio dicitur cepiſſe cum aliorum, tum Nerii ipſius, quem nuper in ſumma poteſtate conſpexerunt, ut haud minus hanc pœnæ acerbitatem damnarent, ut eſt

ad

ad omnia leve & commutabile vulgus, quæ antea facinus eorum execrati fuerant. At Me-dicæi fratres, quanquam & dolore bis jam in irritum delapſæ ſpei, & tot amicorum indignis ca-de angerentur, quâ difficiliorem ſibi reditum fu-ri intelligebant, tamen cupiditati ſuæ inſervien-tes ad omnem occaſionem excubabant. Venetis cum Florentino populo, propter Piſanos, quos in fidem ſuſceperant, bellum gerentibus, Petrus certo ſe fœdere adjunxit; & ut Florentinos ab op-pugnandis Piſis ad ſua tuenda averterent, [illegible] minia per Appennini juga validam in [illegible] egreſſus Ducibus Guidobaldo Feltrio, Liviano ac poſtremo etiam ipſo Petiliano, Veneti in Ca-ſentinates immiſerant, Bibienaque, frequenti in illis ſaltibus oppido, a Liviano capto [illegible] Puppio, magnum Florentinis terrorem [illegible] mœnia ipſa Florentiæ pervaderet bellum, [illegible] ſerant. Sed Pauli Vitelli Florentinorum Du-cis, quem a Piſano bello evocatum hoſtibus [illegible] rant, virtute induſtriaque ille eſt omnis [illegible] atque oppreſſus motus: cautibus [illegible] cacuminibus per diſpoſita præſidia, [illegible] militari peritia occupatis, interclu[illegible] omnibus itineribus hoſtem duriſſimo anni tem-pore frigidis in jugis, ac præalta tectis nive [illegible] conſiſtentem, in eas neceſſitates compulit, ut nullo accepto incommodo, multis illatis det-rimentis, atque hoſtes [illegible] is locis excedere [illegible] bellum confecerit. Et paulo poſt, [illegible]

[illegible]

atque arbitro Hercule Ferrarienſium Duce, pax inter Venetos & Florentinos eſt compoſita. Hæc quoque ſpes Petrum cùm feſelliſſet, ad Cæſarem Borgiam, qui Pontificis nixus opibus, & Gallorum affinitate auxiliisque ſuffultus, circumferens infeſta arma, immani cupiditate omnium Italiæ Principum, liberarumque civitatum fortunis, aut inſidias, aut vim allaturus videbatur, ſe contulit, ejusque ſe fidei commendavit. Irruperat tum Cæſar ab expugnata Faventia in Bononienſem agrum, Joanni Bentivolo Bononienſium Tyranno imminens. Sed eo ex Regis Galliæ auctoritate omiſſo, pecuniaque multato, per ejus fines exercitum in Tuſciam induxit; ac ſpeciem reducendi Petri ferens, Florentinos magnopere conterruit: ſed ipſe aliud ſævo atque ambitioſo animo volvebat. Cum enim Florentiæ alii Savonarolæ ſectam in Republica ſequerentur, alii ab his diſſentirent, alii optimatum, alii populi imperium præferrent, alii Medicæis ſtudere crederentur, ex tot inteſtinis civitatis odiis diſcordiisque occaſionem locumque invadendi regnum, in quod reducere Petrum videri volebat, aut aliquam urbem de illorum imperio in ſuam ditionem redigendi captabat; aut certe oſtentando Petrum, ad neceſſitatem paciſcendi ſecum adducturum ſe eos, magnamque ab iis pecuniam expreſſurum ſperabat, quanquam Petro, ut Urſinos & Vitellios qui in ſuo exercitu militabant, in amicitia atque officio contineret, liberaliter omnia

pelli

pollicerentur. Sed Petrus fallacis ac perfidioſi hominis artes execratus, ne quod ſenſerat [illegible] ipſe ultro [illegible] accepto [illegible] diſceſſit. Et Cæſar rebus cum Florentinis compoſitis, ad oppugnandum Plumbinum pertendens, copias ex eorum finibus deduxit. Petrus quum tum jam conatu redeundi in patriam dejectus, quanto fortunam infeliciorem experiebatur, tanto pertinacius nova ſemper [illegible] cumbens, qua ſe cunque via aperuiſſet, eo ſe inferebat. Conſpirarunt cum Urſinis [illegible] propinquis, Pandulphus Petrucius Senenſis, Joannes-Paulus Ballionus Peruſinus, & Vitellotius Vitellius Tyfernas. Hi [illegible] rannidem occupaverant, & ad reſtituendum Petrum ſubigendoſque Florentinos, ut [illegible] lendi Dominos [illegible] libertatis [illegible] opes vireſque contulerant, quod [illegible] jus vindicando [illegible] re ac ſancire videbantur. Vitellotius [illegible] ea tempeſtate maxime inſignis belli [illegible] pit, & ad proſequendos Florentinos [illegible] atque internecinum odium afferebat, [illegible] non multo ante Paulus frater imperio [illegible] ex parum certa ſuſpicione [illegible] ſecuri percuſſus. Ballionus [illegible] Petrucius pecunia eum juvabant. Sed ille per ſe veteranas egregias cohortes, & [illegible] ducebat militabatque [illegible] qui diſſimulanter [illegible] ejus favebat, [illegible]

lim-

inſinuandi ſeſe Etruriæ rebus, quarum videbatur arbiter fore ſi Vitellotii conatus progreſſum habuiſſent. Et ille quidem Aretinis, ab inſito in Florentinos odio ad eum deficientibus, Aretium Cortonamque & aliquot circa oppida recepit. Quod ubi Florentiam eſt nunciatum in civitate diſcordi atque invicem ſuſpecta, tantum tumultum trepidationemque concivit, ut qui initio propter imprudentiam Magiſtratus hunc motum neglexerant, contemptuique acceperant, veluti inopinata re perculſi, inopia conſilii torperent; hinc ab novo hoſte acri, irato, avido ultionis, hinc ab inteſtina fraude ſibi ac Reipublicæ timentes. Et Vitellotium modicis domi facultatibus, atque aliena merentem ſtipendia, niſi clam Cæſaris Borgiæ pecunia opibusque fulciretur, nunquam per ſe ad majus fortuna ſua conſilium, adjicere animum auſurum fuiſſe, exiſtimabant. Quibus ex rebus eo deſperationis venerant, ut Petrus Soderinus unus Senatorum magna in civitate gratia atque auctoritate in conſilio populi perditas res, comploratamque libertatem ſimul defleret, niſi Regis Galliæ ope defenderetur, ad eumque tum maxime ab Alpibus in Italiam deſcendentem confugiendum, Legatosque extemplo decernendos pro ſententia cenſuit. Perterritis ac dubitantibus cæteris, nec ullo operam ſuam in id munus Reipubl. offerente, Soderinus iterum ſe patriæ cauſam non ſegniter nec timidè acturũ apud Regem eſt pollicitus. Collaudantibꝰ

certatim cunctis prudentiam con[illegible]
ejus, & plebe ingenti favore hominem frequente &
abeuntem proſequente fauſtis ominibus, Soderi-
nus ad Regem eſt profectus: apud quem de Cæ-
ſaris artibus, fraudis ac perfidiæ plenis, deque ejus
immenſa cupiditate atque ambitione ad Italiæ
regnum aſpirantis facunde accurateque, ut erat
excellenti vir ingenio, diſſerendo, nec ullius ma-
gis quàm Regis ipſius intereſſe, hominis ſævi, bel-
licoſi, parati, immani libidini injici frenum atque
obviam iri oſtendendo, ne ſi rerum in Etruria ar-
biter fieret, inde Mediolanenſi atque Neapolita-
no Regno immineret, & cum Gallorum hoſtibus
ad eos Italia pellendos conjuraret, adeò Regem
permovit, ut extemplo unum Præfectorum cum
ala equitum gravioris armaturæ Florentiam mi-
ſerit, ac Cæſari denunciarit, Vitellotium militem
ſuum Etruria decedere, atque urbes captas Flo-
rentinis reſtituere juberet. Id ſi facere negle-
xiſſet, ſe ſuorum ſociorum injurias non neglectu-
rum. Acrioribus verbis minisque cum Vitello-
tio Medicæisque, ac cæteris conſilii ejus [illegible]
egit: atque ipſe tranſcendere propterea Alpes
maturavit. Verum hoc ſerum Florentinis auxi-
lium futurum fuit, ſi Vitellotius ab recepta Cor-
tona, rectà ad Florentiæ mœnia duxiſſet: neque
enim dubitatur, quin aut ſeditione plebis in tam
divulſa & confuſa civitate, tamque ſuſpectis ac
infenſis inter ſe civium animis, aut Medicæorum
factione animos in occaſionem tollente, aliquis

Petro

Petro aditus ad perrumpendum in urbem futurus fuerit. Sed Vitellotius cupiditate prolapſus, ut Burgum Sancti Sepulcri, proximam Tyfernatibus urbem, quam ſibi immodica ſpe navatæ operæ præmium deſtinârat, in poteſtatem redigeret, quanquam Medicæi obteſtarentur, ne victoriam è manibus elabi pateretur; tamen cauſatus ex diſciplina militiæ, nihil à tergo hoſtile eſſe relinquendum, ad eam oppugnandam urbem flexit retro agmen. Et Burgum quidem nullo militari præſidio firmatum, nudatumque juventute quæ Florentinis in caſtris apud Piſas militabat, facilè dedentibus civibus recepit. Sed eo interjecto tempore Gallorum auxilia ac Regis denunciationes ſupervenêre, quibus omnes cedendum eſſe cenſuerunt. Ita urbibus deducta præſidia, & pacatæ Florentinorum res ſunt. Quod adeo lætum Florentino populo accidit, ut cùm indè ſtabili ac valido imperio, ad frænandam plebis licentiam; egere Rempublicam viſum eſſet; Petrum Soderinum, quem auctorem parentemque publicæ pacis ac libertatis appellabant, paulo ante domum à Gallica Legatione reverſum, ſingulari ſtudio plebis, & omnium prope ordinum conſenſu perpetuum Dictatorem (Vexilliferum ipſi appellabant) creaverint, antiquatâ lege, quâ illa poteſtas ſexaginta dierum ſpatio finiebatur. At Petrus Medices toties ab adverſa fortuna eluſus jactatusque, & ſuis jam conſumptis opibus, & amicorum exhauſta benignitate, & magno alieno

ære conflato, ipſiſque Alfonſinæ conjugis dotalibus bonis oppignoratis, auguſtiore in dies, & ſuâ & ſuorum fide, omni reliqua ſpe damnata ad Aloyſium ipſum Gallorum Regem, a quo nuper portis prope ac limine patriæ prohibitus fuerat, cujus tam late arma atque imperium valebant, confugit; ab eo ut in fidem atque clientelam reciperetur, impetravit. Neque enim recuperandæ patriæ ſpem omittebat, alentibus eam foventibusque aſſiduè à Florentia multis, qui ſtudia ſua eo prolixius venditabant, quo magis ex tuto jam fingere ac mentiri impunè licebat. Nec ipſe diffidebat, via atque arte abduci Regem a Florentinorum amicitia poſſe, ac tum ſe ſibi ut priſtinum dignitatis locum facili negotio reſtitutum iri. Accenſum ea tempeſtate erat ingens bellum inter Aloyſium & Ferdinandum Regem Hiſpaniæ de Neapolitano Regno, quod paulò ante Federico juſto Regi ereptum improba pactione inter ſe diviſerant. Gliſcente enim, quæ de finibus orta erat differentia, & ſuâ Gallorum ingenii inſolentia, & ambitione Ducum rem ad arma deducere cupientium ab diſceptatione juris, quotidianiſque altercationibus ad proximum jam inde ab initio meditatumque utrinque bellum eſt procurſum. Citius quidem belli [illegible]tus fuit, ut Hiſpanus majori Gonſalvi Ducis, quam militum virtute ſuperior evaſerit, Gallosque poſt diuturnam contentionem ex omni Regno expulerit. Petrus hoc ardente bello Caſinati ſalti-

bus

bus ab Aloyſio fuerat præpoſitus, qui Capuanæ imminentes viæ S. Benedicti Templum in ſummo vertice ſitum cum vetuſtate ac religione, tum magnitudine atque opere inclytũ habent, cujus erat Antiſtes Templi Joañes Card. Petri frater. In caſtra inde Gallorum venit, qui prælus aliquot malè habiti a Gonſalvo, tum ad redintegrandum bellũ multò majori quam antea exercitu, Campaniam ingreſſi ad Lirim amnẽ (Ghariliano nunc eſt nomen) conſederant. Adverſam tuebatur ripã Gonſalvus impar viribus, ſed obſequio militum, & cõſilio intentior, & nutanti apud hoſtes imperio, quàm ſuis copiis magis fidens. Nam Gallis imperator fuerat Franciſcus Gonzaga Mantuanorum Princeps, vir egregiè fortis, & ſuperioribus ſpectatus bellis; ſed Italum Ducem aſpernantes Galli, imperiis ejus aſſidue obtrectabant. Quod ubi ſenſit Franciſcus ſive indignatione accenſus, ſive ab certo conſilio proſpiciens jam animo ejus belli exitum, tradita Gallis exercitus cura, per cauſam curandæ valetudinis, Mantuam redierat. Poſt cujus diſceſſum, nullo certo imperio Ducibus æmulatione atq; invidia diſſidentibus, nec ſatis cõſilia explicantibus, quod ſemper triſtẽ bellis exitũ attulit, labare res apud Gallos magnopere cœperat. Hoc fretus Gonſalvus, cùm eũ numero militũ caſtrorũ ſitu, rebus omnib⁹ inferiorẽ hortarentur ſui, ut in tutiora concederet loca, neq; ſalutẽ ſuam exercitusq;, ac victoriæ ſpem hoſti longe valẽtiori ad non dubiã cladẽ objiceret, memorabilẽ illam

edidit vocem, malle ſe inferentem in hoſtem gra-
dum, in ipſo ſtatim veſtigio occumbere, quàm
paucos retrò paſſus cedentem, ingloriam vitam
ad ultimam ſenectam perducere. Nec fortuna
quæ plerumque virtutem ſequitur, bellicoſi [illegible]
forte conſilium fefellit. Nam Gallos eſſecto
ponte traducere exercitum conantes, ſed quibus
nemo erat unus quem milites reſpicerent, cuius vir-
tutem probarent firmum, à quo navatæ operæ præ-
mia expectarent, ſegniter nec pro ſolita ferocia ſe
inferentes, Gonſalvus inſtructa contra eos acie
multa cum cæde ad flumen ponteque repulit
ac tranſitu plures dies prohibuit, donec Urſino-
rum adventu, qui per ſuperbiam inſolentiamque
ſpreti à Gallis, à Gonſalvo amplis ſtipendiis ho-
neſtaque in exercitu prorogatione invitati, haud
leve ad victoriam momentum afferentes, ab Ro-
ma in Hiſpanorum caſtra venerant [illegible]. At
Galli præterquàm quòd ſine imperatore erant,
multis neceſſariis laborabant rebus, quarum co-
piam non tam difficiles per anni tempus ſubve-
ctiones, quàm avaritia Quæſtorum publicam pe-
cuniam intervertentium, faciebat. Et ab pluvioſa
hieme, humidis ac paluſtribus in locis ægrè con-
ſiſtebant, obtinentibus omnia aquis ac taberna-
culis cœnoſo in ſolo vix hærentibus. Quare
tædio difficultatum, gens tolerandi inſolens, ut
facilè ob incommoda laboresque fatiſcens, mor-
bis tentari cœperat, equitatusque omnis quo ma-
ximè valebant, in vicinas urbes diſceſſerat. Item

mili-

militum magnus numerus, ut ſub tectis ſævam & infeſtam imbribus hiemem tolerarent, a ſignis dilapſi, aberant. Quibus Gonſalvus ſatis exploratis, conſilii auctore, ac Duce Liviano pontem paulò ſupra hoſtium caſtra amni impoſuit, ac traductis copiis adortus ex inopinato Gallos fudit; ingentique edita ſtrage, non caſtris modò exuit, ſed inſecutus fugientes, ad Molam memorabili magis, quàm dubio aut difficili prælio debellavit. Quo prælio, nullæ ante id tempus Hiſpanorum in Italia opes, conſtitutæ firmatæque ſunt; Gallorum maxime attritæ. Petrus in fœda ab Liri fuga, cùm Saleſſorum Regulus, ad quem maxime poſt Gonzagæ diſceſſum, ſumma imperii redierat, ænea tormenta, ne in poteſtatem venirent hoſtium, quod ſummo dedecori Galli ducunt, in navigia imponi, ac ſecundo amne ad mare atque Caietam, quæ a Gallis tenebatur, transvehi juſſiſſet; eadem navigia cum multis nobilibus Gallis, ut tutiori fuga Caïetam evaderet, conſcendit. Sed ea in oſtio fluminis adverſis excepta ventis, vehementi æſtu jactata, tormentorum prægravante pondere, priusquam levari jactura poſſent, cum omnibus vectoribus abſorpta fluctibus ſunt. Sic Petrus, cùm non ultra biennium poſt patris mortem, patriæ dominatum tenuiſſet, & ampliſſima fortuna, magnaque inter Principes Italiæ dignitate, decem annorum errore exilioque tolerato, extorris & egens, & fruſtra ſemper ad omnium opem confugiens, & omnibus amiſſis præſidiis

ficultatibusque, à ſpe tamen animum nunquam avellens, (tanta dominationis, quam per inſcitiam temeritatemque amiſerat, repetendæ pervicacia libidoque inceſſerat,) poſtremo in ruina partium quas ſequebatur, obrutus undis, vitæ finem miſerabilem invenit, exeunte anno M.D. III. Corpus ejus ejectum in littus, in Sancti Benedicti Templo apud Caſſinum nullo fuit honore, vulgari tumulo illatum. Sed Coſmus Medices, ille qui Florentinorum domitâ oppreſſaque libertate, & urbe Senâ ſub ditionem ſuam redacta, primus Etruriæ Magnus Dux eſt appellatus, vir omnis magnificentiæ cultor, marmoreo ſepulcro condidit.

DE

Hieronymo Savonarola

Dominicano.

Religionis ſtudium, quemadmodum ſemper pio conſtantique innixum animo, humanis rebus altius exerens ſeſe, gratiam, opes, gloriam, quæ fere homines prima ducunt, excelſe ac magnifice deſpicit, & cœlum modo, ſummumque ac æternum inſpectans bonum, eò ſpe & cogitatione totâ effertur: ita imbecilla infirmaque mente, aut non capitur, aut parum firmè conſiſtens,

umbr-

ambitione, cupiditate, vel, quæ pure ſanctèque Deum ac numen colentes ſequitur, prædicatione atque fama corruptum, facile ad humana mortaliaque revolvitur. Nec ingenii noſtri opus tam arduum ullum, quam vitam innocenter inſtitutam, caſteque & integrè cultam pietatem, atque animum ab curis anxiarum & humilium rerum, ad cœleſtium contemplationem traductum, continere, ne inde blandimentis ac ſtudiis vulgi, & gloriæ illecebrâ dimotus detrahatur. Id adeò videtur Hieronymo Savonarolæ uſu veniſſe, quem egregium alioqui virum, & multis excellentem doctrinæ atque religionis laudibus, hic ipſe popularis auræ atque gloriæ æſtus, abripuit, tranſverſumque egit. Is Ferrariæ humilibus parentibus natus, in Dominicanorum diſciplinam puer eſt traditus. In qua, ex inſtituto familiæ, literarum ſtudiis a prima ætate operam dedit, ea quidem contentione per acris ingenii, ut brevi magnos in omni genere eruditionis progreſſus fecerit. Et cum ſapientiæ, cognitioni, divinarumque rerum ſcientiæ magnam dicendi facultatem adjeciſſet, in mandato inde munere concionandi ad populum de religione, tanto majus eſt nomen exiſtimationemque adeptus, quantò magis animum à contagione humanarum cupiditatum abducens, ita ſe comparaſſe eſt viſus, ut æqualem verbis vitam ageret, & ad eos conformaret mores, qui cœleſtis doctrinæ Magiſtrum, & modeſtiæ, humanitatis,

continentiæ, ſanctitatis Doctorem decere videbantur. Hæc ei non ſolum apud ſuos honorem & dignationemque pepererunt, ſed magnam apud omnes exiſtimationem fidemque addiderunt. Cum hac fama Florentiam a Magiſtratibus ſocietatis miſſus, ut in æde Sancti Marci, quam in ea urbe incolunt Dominicani, & in qua ſacra procurant, conciones de more haberet, mirum dictu eſt, quam brevi, quantam ſibi audientiam, quantos concurſus, quantam opinionem ſapientiæ atque ſanctitatis fecerit, & in quantam omnium admirationem venerit. Sed dum Florentina res in Medicæorum auctoritate ac ditione fuit, uniusque arbitrio regebatur, privatorum modo officiis cultus, ab inſtituta vitæ ratione nihil receſſit. Verum ubi Petrus Medices ſub adventum Gallorum, alienata ab eo civium voluntate, in exilium eſt pulſus; & multitudo omne ſibi uſurpavit jus Reipublicæ, & aut excluſis aut ſuſpectis primoribus, cuncta populari licentia agitari [illegible] cœpta, ut ferè plebs libertatem in libidinem vertit, tum non celebrare ſolum conciones & audire orantem, ſed impenſius quam antea laudibus ferre, ventitare domum, colere, conſulere, unum ſapere, ab uno vera utiliaque credere provideri, denique ad unum de omnibus rebus referre, uni parere. Quæ res Patriciorum quoque multos attraxit; illectos alios eadem virtutis opinione, alios ſpe & cupidine, per hominem maxime apud vulgi animos gratia pollentem, in Republica

tee-

creſcendi, cum niſi qui probari ab eo crederentur, cæteri fere Magiſtratibus honoribusque repulſi jacerent; ita illi omnia proceſſerant, aliis ſtudio ſe ſpeſque ſuas in ejus fidem atque auctoritatem conferentibus. Tantus ex his erat, ut jam nec publicè nec privatim in civitate quicquam ſine conſilio & auctoritate ejus agi, resque ipſa publica prorſus nutu arbitrioque moderari illius videretur, effuſis adeo in illum hominum voluntatibus, adeo celebri jam potentia atque auctoritate ejus in Republica ut exterorum quoque populorum Principumque, qui publice gratiam amicitiamque cum Florentinis aut haberent, aut expeterent, Legationibus adiretur. Cæterum hic cum favor ab inſtituto vitæ ac religionis curſu abductum, eò demum cupidine gloriæ provexit, unde mox præceps datus miſerabili exitu periit. Cujus antea oratio omnis in divinarum rerum explicatione verſabatur, hominumq; mores a contagione vitiorum avocans, ad veræ virtutis laudem aſſidue excitabat, jam a gravitate religionis deſciſcens, plena civilium ſtudiorum rationumque, ac prorſus popularis, & auribus multitudinis ſerviens, & haud dubiè infecta partibus erat. Mox apertius premere optimates, jura plebis extollere, cuncta ad populi arbitrium revocare; ibi veram ſoldamque libertatem eſſe ferens, ubi omnes ex æquo Reipublicæ participes fierent; nec dici vere liberam civitatem poſſe, quæ, tenuioribus excluſis, paucorum potentia haberetur. Legem quoque provocationis ab ſingulis Magiſtratibus

tibus ad populum ſuaſit, tulitque, quo ſummum rerum jus penes populum ipſum eſſe appareret. At Civitas per hæc in diverſa ſtudia, ſectasque diducta, meliore parte ſui claudicans nutabat; nec novæ libertatis radices agere ac defigere altius poterat. Nam primates non æquari modo ſibi gratia atque dignitate, ſed ſæpe præferri humiles atque ſordidos opifices, pro indigniſſimo habebant, nec novorum hominum ſolum, qui quotidie ab pudendis artibus ad primos Magiſtratus, depulſa nobilitate, obrepebant, ſed ipſius jam Reipublicæ a plebe occupatæ, ac per ſummam libidinem habitæ, pertæſis compluribus Principum, redierat Medicæorum deſiderium. Quippe ne libertas quidem, niſi ſpe ex ſuâ vice ac tempore dominandi fere expetitur. Fuere in his Laurentius Tornabonius, Nicolaus Rudolphus, Jannotius Pucius, & Joannes Cambius, qui pellecto in conſilii ſocietatem Bernardo Nerio, (qui tum fortè in ſummo Magiſtratu erat,) Petrum Medicem clam Florentiam evocarunt; & Petri quidem conatus, qui ſerius quam conſtitutum fuerat, mœnibus ac portæ ſucceſſit, irritus fuit, dato Florentinis ſpatio claudendi portas, & ſe armis defendendi. Sed indicium conjurationis cum paulo poſt emanaſſet, comprehenſi auctores, ac tormentis fateri crimen adacti, ab Octoviris rerum capitalium majeſtatis damnati ſunt. Illi ad populum ex nova lege provocarunt. Provocationi interceſſit Franciſcus Valorius, homo

vehe-

vehemens acerque, & amicitia Savonarolæ & opibus factionis ejus plurimum in Republica pollens; qui privatim Bernardo Nerio inimicus, & hoſtili ab eo odio diſſidens, ne multitudo lacrymis & prehenſatione neceſſariorum, & reſpectu principum civium ad miſericordiam flecteretur, veritus, negavit eos civium loco eſſe habendos, qui civitatem ipſam ac patriam prodere hoſtibus conati eſſent; aut ullam iis legem auxilio eſſe debere, qui leges omnes atque omnia populi jura, quantum in ipſis fuit, ſuſtuliſſent. Pervicitque, ut non data provocatione, ſupplicium de damnatis ſumeretur. Neque cum ad genua ejus ac Savoanrolæ, propinqui eorum accederent deprecantes, ut ne quam legem ad populi faciendam libertatem ipſi tuliſſent, ejus beneficio nobiliſſimi cives excluderentur, à ſe impetrari eſt paſſus. Quâ quidem ſive ſuperbia ſupplicum preces deſpicientis; ſive conſtantia premendi noxios, & illorum pœnâ cæteros ab ſimili fraude deterrendi, haud in Valorium ipſum, quam in Savonarolam acriora accenſa odia ſunt, non eorum modo quos ea calamitas attingebat, ſed multorum præterea Principum adverſæ factionis, qui ira atque invidia æſtuantes, hominis cucullati regnum, & ultimæ plebis arrogantiam ultra ferre nequibant. Hi palam ire obviam multitudinis animis dominanti non auſi, clam eum apud Pontificem Maximum ut impietatis crimen devocarunt, tanquam Eccleſiæ & majorum placitis pugnantia

doce-

doceret, adeoque in Romanæ urbis mores licenter atque immodice graſſaretur; ut non tam deteſtari hominum vitia, & pravas conſuetudines velle, quam Pōtificibus Maximis & Sacerdotum Ordini conflare invidiam, & populorum animos à Romanæ Eccleſiæ cultu avertere videretur, & quietum civitatis ſtatum ſeditioſis concionibus perturbare. Hæc ſæpe accuſantes tenuere, ut Alexander Pontifex eum literis Romam ad dicendam cauſam evocaret: quibus cum ille diu per varias fruſtrationes, Pontificis juſſa eludens, non paruiſſet, fuerat ab eo concionandi ad populum facultate privatus, & mox ſacrificiis prohibitus, & poſtremò graviori pœna excommunicatus. Atque ille quidem initio, ne ſpernere Pontificis Maximi juſſa majeſtatemque videretur, dies complures ſe & ſacris & templis abſtinuit: ſed veritus in ſe, ne ea res minuendæ ſibi auctoritati eſſet, dilaberenturque ab ſe paulatim homines, ac ſuum ſeneſceret nomen, niſi id dicendi laude tueretur, quæ Pontifex in ſe ſtatuiſſet, quia Reipublicæ & divinis juſſis adverſarentur, vim nullam habere, neque ſe iis teneri ferens, qui falſis criminibus indicta cauſa damnatus eſſet, contra Pontificis imperium, ſolitum concionandi munus repetiit, vehementius acriusque in obtrectatores inſurgens, à quibus ea in ſe conficta crimina ajebat, non tam odio ſui, quam ut eum vano metu Pontificis ab ſtudio plebis, optimique in Rempublicam mente & ſalutaribus con-

conſiliis, deterrerent. Et Medicæos, ut Tyrannos atque hoſtes omnibus concionibus inceſſens, & Pontificem ipſum ſæpe magna libertate aſpere vehementerque perſtringens, aliena invidia creſcere, & potentium odia veluti pro Republica contemnens, in ſuam vertere gratiam ſtudebat. Et quidem multitudo eo majoribus hominem præconiis favoreque ferre, quo conſtantius pro una libertate atque commodis malevolorum calumnias ſuſtinentem, certaminaque ſubeuntem, non Medicæos, non ipſum Pontificem Maximum formidantem, cernebat. Ipſe elatus tantis ac tam immotis hominum in ſe ſtudiis, atque eo fidentior, & ipſa irritatione atque injuria ferocior ac vehementior factus, nec doctrinæ atque eloquentiæ, ac ne ſanctitatis quidem jam famam, quæ ſumma de illo erat, contentus, etiam Vates ac Dei Nuntius, & futura cœleſti monitu providere ac prædicere credi volebat. Et quædam, ut ipſe prædixerat, eventu comprobata, tantam huic vanitati fidem apud imperitum vulgus fecerunt, ut viventi præſentique tanquam conditionis humanæ modum ſupergreſſo, homines divinitatem quandam tribuerent. Et magnam brevi felicitatem, magnum imperium populo Florentino, ſi in cultu Dei perſtitiſſet, ſuisque paruiſſet monitis, pollicenti; magnas item adverſariis atque hoſtibus eorum calamitates, ut divino incitatus ſpiritu denuntianti, aſſenſus fidesque perinde ac cœleſti Nuntio Vatique erat.
S d

Sed Primores urbis atque adverſarii factionis ejus hunc nacti locum, non eam eſſe civitatis fortunam, anxiè hinc Medicæorum atque exulum inſidiis; hinc inteſtina diſcordia ægre, cujusque nondum ſatis nova coaluiſſet libertas, diſſerebant, ut Pontificem Maximum tam alieno tempore, injuriis. & contemptu majeſtatis ejus laceſſerent, cum deliniendus obſequiis & officiis conciliandus videretur, per quem tum maxime definiendo Piſano bello, recipiendisque ... agitarent. Hanc unius contumaciam ac temeritatem aliquando in publicam perniciem erupturam, niſi publicum conſilium & auctoritas Magiſtratuum intercederet, & inconſultos amores vulgi, atque intempeſtivam cucullati hominis ambitionem confidentiamque compeſcerent, cumque audientem Pontificis Maximi imperio eſſe juberent. Simul hæc, ſimul Romæ augentes omnia in majus ad Alexandrum deferebant: qui quamquam & hominem & rem ferre leviter videbatur, tamen impulſu eorum, miſſis Florentiam publice literis civitatem ipſam, non jam Savonarolam ... dedi ... ſibi poſtulavit, multa interminatus, ſi hominem ab ſe piorum ſocietate & communione ſubmotum, ultra tuliſſent. Ex his literis poſt multas inter ſe civium contentiones, quæ plures dies tenuere, imperatum tandem a Magiſtratibus Savonarolæ eſt, ut & ſacris & concionibus, donec Pontifici Maximo ſatisfeciſſet abſtineret. Nec ille

ideo publicam civitatis auctoritatem eſt detrectare auſus. Verum per Dominicanos ſuos homines in dicendo exercitatos frequentibus concionibus dabat operam ut plebem in ſtudio ſui retineret, & quæ in rem eſſent, edoceret. Contrà Sancti Franciſci Sodales, & veteri doctrinæ æmulatione, & nova Pontificis in Savonarolam ira incitati, infringendam potentiam ejus auctoritatemque apud vulgus convellendam, cupide confirmaverant, multaque dicta ejus refellentes, magnis ſæpe altercationibus cum Dominicanis certabantur. Savonarola non multo ante, cum populum alloqueretur, inter jactationem futura vaticinantis, & nihil doceri ab ſe, quod cum divinis literis, cumque DEI voluntate non conſentiret, affirmantis; ſe vero pro veritate rerum, quas diceret medias intraturum flammas, inviolatumque inde cœleſti ope abiturum injecerat. Id & Franciſcani redarguebant, & tuebantur Dominicani, magna utrique vi atque pertinacia. Quorum certamen in eum aliquando furorem atque impetum animorum contentione prorupit, ut unus eorum non dubitanter diceret: pro magiſtri dignitate, ac pro fide ac ſententia, quam defenderet, ſe ipſum in ignem conjicere, certa ſpe incolumem evaſurum. Idem cum adverſarius haud minus confidenter de ſe affirmans polliceretur, conveniunt ambo, ut verusne Vates, an falſus veterator eſſet Savonarola, periculo vitæ in corporibus ſuis ignis decerneret;

adeo impotenter agitant animos, atque occæcant contentionum ac partium ſtudia. Conſtat, Savonarolam id ægrè tuliſſe, & diſcutere tam inſanæ contentionis certamen voluiſſe: ſed quia res in frequenti acta hominum cœtu erat, ut neutri ſalvâ exiſtimatione, â promiſſo liceret diſcedere, dicta dies eſt, quâ in medio foro accenſum ignem populo coram uterque ingrederetur, magnopere erectâ civitate in expectionem atque eventum futuri miraculi. Cum dies advenisſet, complebatur forum, quod pro Prætorio eſt latum ampl umque concurſu non ſolùm univerſi populi Florentini, ſed ingentis prætcrea multitudinis, quæ undique ex vicinis urbibus Florentiam ad ſpectaculum novæ nec unquam antè viſæ, aut auditæ rei confluxerat. Statuta in medio erat lignorū ſtrues, atque hinc Franciſcanus, hinc Dominicanus ſua membra incendio torrenda, una freti divina ope ultro daturi, (tanta mentes ſeu fiducia veri, ſeu pervicacia occupârat,) longo ſuorum ordine comitante aderant. Jamque admoturi rogo ignem erânt, cum nuntiatur Franciſcanis, inſtituiſſe Savonarolam, ut Dominicanus flammas intrans conſecratam Chriſtiano ritu panis hoſtiam manu præferret. Id verò recuſare Franciſcani, nec ita conventum dicere, atque adeo ne debere quidem in eo de tota ſimul Religione periclitari, de cujus majeſtate haud parum apud imperitorum animos detractum iri videretur, ſi quod naturaliter fieri poterat, illam hoſtiam ignis ab-

abſumpſiſſet. Cum Savonarola, qui in re præſenti aderat, ſuum negaret aliter quam cum ſacrata illa hoſtia diſcrimen ſubiturum, atque in eo perſeveraret, ita diſceſſum è foro domum eſt, ut omnes per Dominicanum ſtetiſſe crediderint, quo minus illa controverſia experimento ignis tranſacta fuerit. Hic dies Savonarolæ potentiæ, & mox etiam vitæ finem attulit, documentum, nulli pelago ſe tam periculoſe quemquam, quam auræ vulgi gratiæque committere. Pari levitate tollunt favore in immenſum populares ſuos, deſtituuntque. Viſus periculum commento hoſtiæ defugiſſe, mirum quam levis inde vilisque a plerisque haberi ſit cœptus, quantum dictis ejus fidei detractum; quem religionis & ſanctimoniæ laude ſpectatum, vel ipſum miracula portentaque facturum, crediderant. Ea vero res addidit adverſariis ejus animos. Itaque poſtera die excitato forte tumultu, totâ urbe ad arma concurſum eſt. Quâ re permotus Magiſtratus, cum liberandam tandem eo negotio atque ludibrio civitatem ſtatuiſſet, fontemque illum diſcordiarum amovendum, miniſtros cum militibus ad capiendum eum ire juſſit. Haud ſegniter Monachi obſeratis Templi foribus, advenientes aditu prohibent, amicorumque qui accurrerant, receptâ manu vim afferre conantes telis arcebant. Sed ſumpſerant maximè inimici ejus arma, in quibus longè infeſtiſſimi irrupere, quorum propinqui paulò antè, ob evocatos Me-

dicæos, damnati & ſupplicio affecti fuerant. Ab his cremataæ fores, ac Templum non tamen incruento certamine expugnatum, & Savonarola cum ſodalibus duobus in publicos carceres deductus. Neque hanc nacta licentiam hîc conſtitit ulciſcendi libido: Franciſcum quoque Valorium, à quo damnati provocationis jure & auxilio novæ Legis privati fuerant, recipientem ſe domum aſſecuti, multis vulneribus, exprobrantes ſuperbiam, advolutos nuper genibus ejus aſpernantis contrucidârunt; uxore quoque ejus, quæ ad protegendum virũ domo proſiluerat, interfecta. De Savonarola quæſtio inde habita, additis à Pontifice Maximo judicibus duobus, Romolino Epiſcopo, & Magiſtro Societatis Dominicanorum, ne quid per iram aut gratiam in eum conſuleretur. Primò inficianti, ac varia nectenti adhibita tormenta: quorum ob moleſtiem corporis impatiens cuncta dicitur falſa de ſe eſſe. Graviſſimum crimen viſum, quod ſe a Deo futurum moneri, cœleſtique juſſu ea populo enuntiare mentitus, plebis ſtudia ac voluntates falſa ſpecie religionis captaſſet, aut divinum ſe vatem ferens, impendio mendacio hominibus impoſuiſſet. Interrogatus, quo hæc cuncta ſpectâſſet fraus, negavit ſe inde divitias, aut ullos appetiiſſe honores; id modò quæſitum ab ſe hac prædicatione ſui, atque tam aſtuti conſilii apparatu, ut ſe maximè auctore publicum Chriſtianæ Reipublicæ Concilium haberetur, in quo

ſuæ

ſnæ ante omnes elucerct ſanctitatis atque eloquentiæ laus; & revocatis majorum inſtitutis, & Sacerdotum moribus ad priſcæ diſciplinæ normam correctis, unus inde maximè veteris reſtitutæ vivendi rationis atque ordinatæ Eccleſiæ gloriam ferret. Multa, quæ prætereà ab inimicis objiciebantur, de interverſis pecuniis, de occultis voluptatibus ejus, ac de conſiliis clam cum Regibus contra Rempublicam habitis, conſtat, facilè diluiſſe. Sed de fraude impia confeſſum Romolinus & Magiſter Societatis Sacerdotio ſacrisque ſolemni ritu moverunt, & capitalium rerum judicibus, (nam Sacerdotibus mortis damnare quemquam eſt nefas,) reliquerunt: à quibus cum duobus ſodalibus ſceleris convictis, in ipſo foro, fractis cervicibus ſuſpenſus, & circumdatis ignibus combuſtus eſt; tanto ad ſpectandam rem multitudinis atque omnium ordinum concurſu, quantum nuper miraculi ſpes, quod in Franciſcanum editurus credebatur, fecerat. Ipſe tam fœdæ mortis ſupplicium, ut conſtanti animo, ita obfirmato ad ſilentium ſubiit: ſuſpenditque de ſe hominum judicia nulla voce ſignove edito, ex quo aut innocentia ejus aut culpa argui poſſet. Ergo varius, pro cujusque ſtudio, ſenſuque diſcedentium ab eo ſpectaculo ſermo, famam quoque ejus ambiguam poſteris reliquit. Alii meritas pœnas habere eum ſimulatæ pietatis, & immenſæ ambitionis, quod non civilibus modò rebus ſe plusquam cucullatum, &

ſacrorum curæ & cœleſtis ſapientiæ ſtudiis deditum, deceret, miſcuiſſet, ſed ipſum aſcendere cœlum, & divinitatem affectare eſſet auſus, prædicabant. Alii impatientiâ doloris falſum fateri, quam inficiando tormentis lacerari, elegiſſe, ſanctumque virum invidiâ ac conſpiratione inimicorum oppreſſum lugebant. Atque hæc adeo opinio multorum animos inceſſit, ut cineres ex incendio ejus direpti, ac domi religioſe aſſervati à plerisque fuerint; proſecutique carminibus mortem ejus ſint præſtantia ingenia: quorum quatuor hoſce verſiculos propter eorum elegantiam non omiſerimus:

Dum fera flamma tuos, Hieronyme, paſcitur artus,
Relligio ſanctas dilaniata comas
Flevit, & O, dixit, crudeles parcite flammæ,
Parcite: ſunt iſto viſcera noſtra rogo.

Nec inter alios magis quam inter Dominicanos ſuos diverſa fama fertur. Non ſermonibus modò, ſed editis quoque libris oppugnatus defenſusque; manetque lis ne in hanc quidem diem ſedata, aut dirempta. Scripta ejus leguntur, in quibus valde probatur libellus, qui Crucis Triumphus inſcribitur, quo veritatem Chriſtianæ pietatis fidemque præclarè eſt viſus aſſeruiſſe.

DE

DE
Joanne Leidenſe,
Anabaptiſtarum Rege apud Monaſterium.

MAgnitudine ac novitate ſceleris meruit, ut cum illuſtribus viris memoraretur Joannes Leydenſis Batavus ſarcinator, qui adeo humili ab artificio ad invadendum Regium nomen proceſſit, ut ſordidiorne ipſe fuerit, an atrocius facinus ſit auſus, haud facilè diſcreveris. Nec verò ipſius, quam rationis, qua ſibi viam ad opes ac potentiam munivit, magis diſpudeat. Nos, quia nova ac multis nobilitata flagitiis res eſt, repetitam ab initio, pro inſtituta tamen brevitate trademus. Ex quo, quantum valeat error, & ubi ſacrorum ac religionis arbitrium vulgus invaſit, in quam tetras & quam abſurdas ſuperſtitiones labatur, intelligi facilè ac perſpici poterit. Initium turbandi res ſacras, unde tantum Chriſtianæ Reipublicæ eſt vulnus impoſitum, à Martino Luthero, in Leonis X. Pontificatu eſt ortum. Hic Islebiæ, ignobili Saxoniæ pago, humilibus parentibus ortus, vi-

viginti natus annos, ſubita religione correptus cucullum induerat, ſeque in diſciplinam Auguſtinianorum tradiderat, tantumque in literarum atque eloquentiæ ſtudiis profecerat, ut diſertiſſimus Germanici ſermonis haberetur: nam quæ Latine ſcripſit, planè inquinata ſunt & barbara. Qua laude atque exiſtimatione ſui inflatus, & vitio gentis ferox & inſolens, ab concepta repulſæ indignatione eo audaciæ procelleerat, ut Pontificis Maximi majeſtatem frequentibus concionibus aſtutè carpere non vereretur. Et paulò poſt Principum quorundam Germaniæ novis rebus ſtudentium favore ad tantam eſt inſaniam elatus, ut ſacratarum Legum jura omnia polluere ſit agreſſus. Verum etſi detorſerit ipſe multas divinarum literarum ſententias, multaque ſacrorum inſtituta convulſerit; tamen in eo maximè exitioſius ac peſtilentius fuit, quod ſpreta Eccleſiæ auctoritate, qua veluti vallo ſacrorum fides continetur munimenque, religionis clauſtra refregit, aggeremque reſcidit, quo patefacto immenſus hic errorum Oceanus irrupit, ac tot Chriſtiani nominis Provincias Regnaque inundavit, tot monſtra feraſque, tot diſtortas ac perverſas opinionum formas invexit. Siquidem laxatâ atque ſentiendi atque opinandi licentiâ, alii cupiditate atque ambitione, alii odio iraque, alii imbecillitate ac errore, novas ſibi quiſque religiones ex ſacrorum librorum interpretatione effinxit. Igitur ab

co-

eodem hoc capite ac fonte Luthero cùm multæ aliæ ſectæ, tum ii qui ab re Anabaptiſtæ ſunt dicti, profluxerunt. Hæc natio ex plebeis maximè hominibus agreſtibusq; conflata, incredibile memoratu eſt, quibus ſe ſuperſtitionibus obligarit. Ante omnia abolendum baptiſmum, quo infantes initiati affectique ſunt; ac tum demum eâ ſalutaris aquæ ablutione utendum docent, cùm rationis uſu ac luce illuſtrata mens myſterii ejus vim intelligere, & ad animum tranſmittere poſſit. Homines, ajunt, natura liberos naſci, & hanc Evangelii legibus confirmatam, & ex æquo omnibus tributam libertatem eſſe; proinde non opibus, non honore, non poteſtate ullâ præſtare aliis quemquam oportere. Reges, Tyrannos atque alieni juris rerumque uſurpatores eſſe: item injuſtos reliquos omnes Magiſtratus; nec ulli hominum legi parendum, niſi quas Deus ipſe ſacris in libris ſanciverit. Nihil propriè cujusquam, omnia omnium eſſe. Parſimonia ac labore vitam ſuſtentandam, procul luxuria ac voluptatibus: &, ubi diſciplina viget, conferunt in commune omnia, & communi ſumptu aluntur. In Marcomannis, quam hodie Provinciam à flumine Mora, Moraviam dicunt, mediam inter Hungariam & Bohemiam, magnus eſt eorum numerus. Feruntur à Magiſtratibus, quod agros ſumma induſtria colunt. Mihi eam gentem peragranti, & cum aliquot eorum collocuto, non literarum modo atque omnis doctrinæ expertes,

ſed imperiti prorſus & ad omnia rudes ſunt ſi- tantùm vitam in labore innoxiam agunt. Hinc obſtinata illis imbibitæ ſemel animo opinioni fides, à qua nulla ratio eos, nullius auctoritas, ac ne præſens quidem ſuppliciorum metus deſtituerit. Operas fodiendis agris locant, mercedem ad eum qui huic rei præeſt, afferunt, à quo neceſſaria in victum accipiunt. Nec ſemel accidiſſe, narratum eſt mihi, ut cuſtos publicæ pecuniæ, eâ intercepta, aufugerit. Matrimoniorum nulla ſanctitas illis; ſinguli plures uxores habere, nec adulteria ullo in probro aut delicto ponere dicuntur. Cujuſcumque formam concupieris, ea fas potiundum te numinis inſtinctu, non libidine ductus concubitum appetere. Augere hominum genus, & propagandæ ſtudere ſoboli, maxime Deo acceptum dicunt: & quoſdam, ferunt, noctu in Templum promiſcuam congregare mulierum hominumque multitudinem, extinctiſque luminibus, nullo diſcrimine aut cognationis aut ætatis, quam cuique ſors obtulerit, cum ea coire: ut procreandis liberis, non voluptati operati videantur. Sacrorum non alias ceremonias cultuſque norunt, quàm in unum convenire locum, atque ibi prolatos in medium divinarum rerum libros legere. Tum qui dicendi peritior inter illos, orationem habet, quâ & interpretatur aliis, ſi quid obſcurius inciderit, & omnes in ſuſceptæ diſciplinæ fide confirmat. Andreas Caroloſtadius, unus è primis Lutheri ſectatoribus, brevi deſi-

gna-

gnatus Magiſtratum, ab ejus doctrina diſcedens, anno M. D. XX. renovari baptiſmum, nec ulli niſi adulta & confirmata ætate tribui docuit. Sed longè maximum incrementum à Thoma Muntzero hic error accepit, qui ingenio procax, nec minus vafer, & facundus in concionibus, quàm ad omnia audenda projectus & confidens, cùm & ipſe à Luthero defeciviſſet, pariter & dicta ejus refutabat, & in Pontificem Maximum, quod cum valde populare erat, invehebatur; & prorſus facere, non ſequi ſectam geſtiebat; atque ultimæ ſe plebi inſinuans, & maximè agreſtium imperitos animos captans, ita Germaniam propè omnē obierat, ut paſſim novæ ſuperſtitionis virus diſpergeret, & ubique magna ſeditionum & conjurationum ſemina jaceret; cum ruſticanos homines gravi ſervitute preſſos, miſerando eorum fortunam, increpandoque Principum ac Magiſtratuum ſævitiam, ſuperbiamque, ac inexplebilem ſitim, miſerorum ſanguinem fortunasque ſugendi, & brevi lætiora pollicendo, magnopere ad cupiditatem ac ſpem novarum rerum erexiſſet. Adjuvabant hominis conſilium, quanquam aliò ſpectarent, Lutherus ipſe ſociique ejus, qui & omnibus concionibus vulgi gratiam occupantes, Principum aliorum ſegnitiem, aliorum vim ac tyrannidem incuſabant, & editi ab his ſeditioſi libelli, propter rerum, quas docebant, novitatem, omnium manibus verſabantur. Quibus ex rebus anno M. D. XXV. ille tandem agreſtium tumul-

multus erupit, qui Germaniam omnem in magnum insignis alicujus accipiendæ cladis atque amittendæ dignitati discrimen conjecit. Quod ſi Munzero aliisque furoris ejus miniſtris par, ut concitandæ, ita regendæ multitudinis ars fuiſſent, magno civili ſanguine inundata Germania fuit. Nam quantæ ſeditionis vires fuerint, numero cæſorum; quanta omnium alacritas atque ardor ad repetendum jus ac bella vindicandum, temeritate eorum licet æſtimare: qui ſine conſilio, ſine Duce, veluti ſi in capiendis, non tractandis armis ſita vincendi ratio eſſet, ita inconſiderate ac temerè ſunt coorti. Et quanquam improvida atque incondita turba nullo imperio, nullo rectore, tantum ferocia atque impetu ageretur; tamen priusquam oppreſſi ſunt, multis locis, cædibus, rapinis, incendiis maxime Templorum ſunt graſſati, multæque Provinciæ direptæ ac vaſtatæ ab iis ſunt. Cum vis atque motus major eſſet viſus, quam ut ſingularum civitatum Regulorumque opibus ſuſtineri poſſet, habiti Germaniæ Conventus, collatæque in commune vires. Nam Germania eſt omnis diſtributa in partes decem, (Circulos ipſi appellant,) ac ſingula quæque ſeparatum Concilium habet, ad quod de communibus rebus, pace belloque, ſeu conferenda tributa, ſeu tuendi fines ſint, refertur. Primum à Suevis ſeditioſorum fractæ vires, tribus eorum millibus apud Lipam, & octavo poſt die ad Valtingam mille quingentis interfectis.

Tum

Tum Gulielmus Dux Bavariæ quinque, & Palatini Wirtembergenſes ſupra ſex millia; & Diopoldus quidam à Petta, mille quingentos ceciderunt. Et ab Antonio Lotharingiæ Duce tanta eſt edita ſtrages, qui diſperſos, & in plures diſtractos manus eſt aggreſſus, ut ad ſex & viginti millia occiſa ab eo dicantur. Lantgravius Haſſiæ mille; Saxoniæ ac Brunſvicenſium Duces ſex millia trucidârunt; Item alia alibi, ut interfecta eo tumultu ſexaginta millia hominum credantur; ſupra ducenta millia in armis fuiſſe. Quæ multitudo ſi nacta Duces eſſet, pervertere Germaniæ ſtatum potuiſſe non dubitatur. Captus & Muntzerus in Turinga eſt, qui cùm in caupona ſe ſordido lecto, morbum ſimulans abdidiſſet, propè fuit ut eo commento perquirentes falleret. Agnitus extractusque, ubi fugæ ac vitæ ſpem omnem intercluſam vidit, tum verò non Lutheri modò rationem, ſed ſuam quoque condemnaſſe, quidam auctores prodidêre; ſeque non errore, ſed ambitione & cupidine ad ea deſcendiſſe profeſſum, ac veram Religionis fidem, & colendi rite Deum doctrinam non alibi quam in Romana Eccleſia inveniri, palam eſſe teſtatum. Leve ac prope rejiciendum ſcelerati hominis teſtimonium, qui non opinione deceptus, ſed prudens ſciensque cupiditatem parandi opes, & nominis ſui famam propagandi, religioni ac fidei, pro qua mori pulchrum & ſalutare habetur, antetulerit; atque infinitum hominum numerum

ab

ab ea colendæ pietatis ratione abduxerit, quam demum ipſe, effuſo mentis pœnitentis ſupplicii metu, ſero agnovit. Sed a Lutheranis vel ob id acerbius tortus, & omnibus cruciatibus pro merito necatus eſt. Tot cædis hominum millibus magis ſeditio atque tumultus oppreſſus eſt, quam labes ſuperſtitionis extincta, ingentes manſerunt reliquiæ, manavitque contagione morbus in dies latiùs; maximè Holandiam (hanc Batavos coluiſſe olim putant,) Friſiam, & circumjectas inſulas corripuit. Inde in Weſtphaliam tranſgreſſus, fœdum illud Monaſterienſe Regnum, Regemque peperit, de quo dicere nos inſtituimus. Eſt Weſtphalia Germaniæ Regio haud ignobilis inter Viſurgim & Rhenum, Friſiis attingens Bructeros Angrinariosque eam olim tenuiſſe Germani auctores tradunt. Munſter ipſi Urbem, gentis caput appellant, & ſitu, & amœnitate, & publicis privatisque ædificiis, & incolarum frequentiâ inprimis nobilem. Carolum Magnum condidiſſe ajunt, Saxonibusque ſubjectis, dato Epiſcopo Lugdero ſpectatæ ſanctitatis viro, qui barbaros ad Chriſtianæ pietatis fidem traduceret, paulatimq; feros atque indomitos animos Religione molliret, nomenque ab inſigni Templo ac Monaſterio ab eodem Carolo ædificato accepiſſe; & hodie quoque in ditione itque imperio Epiſcopi, ut pleræque civitates Germaniæ, manet. In hanc urbem fundente ſe aſſidue latius per Germaniam Lutheri diſciplinâ, Bernar-

dus

dus quidam Rotmannus concionatum Lutheri miſſu venerat, qui benignè hoſpitio à paucis conſilii conſcius acceptus, primo cœtus convenientium ad ſe habuit, deinde exćitis audiendi ſtudio pluribus, cùm hominem magna jam multitudo (ut facilè vulgus novis ducitur rebus) ſequeretur, nequicquam repugnante, & mox etiam favente Magiſtratu, in foro conciliaconcionesq; inſtitit habere, donec pulſis veteribus Sacerdotibus, aut metu ſe non commoventibus, Templa quoque urbis occupavit; accitisque aliis Doctoribus, populum omnem à cultu Catholicæ pietatis avertit, Epiſcopo, non ut oportuit, initio ſe hominis cœptis objiciente. Paucis inde interjectis diebus Monaſterium ex Holandia venit Joannes quidam Leidenſis, ab oppido in cujus agro ortus erat, cognomentum adeptus, homo patriâ ſua ignobilior, ac mortalium poſtremus, qui victum reſarciendis veſtibus quæritare eſſet ſolitus. Hic nullâ eruditione, quippe qui legere vix ſciret, nullâ inſtructus ingenua arte, eâ dignitate inter Anabaptiſtas erat, ut ad eum fere primas illi deferrent. Hic ergo plebem à Catholicæ fidei placitis, veluti Religionis arce abductam opportunè nactus, ac in ſui generis infimorum hominum amicitias aureſque naturali ad id facilitate penitus influens, multos quotidie in ſuam ſententiam deducebat. Biblia, quo nomine ferè ſacros libros vocitamus, in Germanicum verſa ſermonem in manibus ſemper ferebat. Omnibus nunc anti-

antiquorum Vatum, nunc Chriſti ipſius ex Evangelio recitans dicta, & cum his quæ ipſe docebat, conferens; ignarum ac ſtolidum vulgus ita ad ſui ac diſciplinæ ſtudium convertit, ut abjecta, quam nuper tam cupidè amplexati fuerant, Lutheri doctrinâ, omnes ſe ad Anabaptiſtas Leidenſemque conferrent. Qui ubi ſuam multitudinem [illegible] ſeque animorum vulgi potiri intellexit, ipſum quoque Rotmannum ſæpè appellando, in ſententiam ſuam pertraxit, atque ex æmulo atque adverſario ſocium miniſtrumque inſaniæ ſuæ fecit. Nam ille dejectum ſe loco cernens, retinendæ dignitatis cauſa, quam modò ducebat, ſequi ultro multitudinem ſtatuit. Addidere ſocios ſe & alii Lutheranæ ſapientiæ magiſtri, aſſueti concionibus, nec tractandi oratione vulgi animos imperiti, Hermannus Staprēdius, Kniperdolingus, & Joannes Mattheus. Hunc & Leidenſem ſummos eſſe vates, ac divino Spiritu afflatos præſcire ac præcinere futura, perſuaderi ſibi credula plebs eſt paſſa. At Magiſtratus civitatis ac primi civium his attoniti, & quorum res eſſet rupture, verentes, ſerò & poſt amiſſum jam omne jus excedere urbe Anabaptiſtas juſſerunt: quo facto ſeditionem quam metuerant, maturarunt. Nam Mattheus, ſimulato fanatico furore in publicum proſiluit, ac diſcurrens per urbem exclamat, ultima impendere, adeſſe divinam ultionem, niſi expiaſſent ſe omnes ac laviſſent novo baptiſmate. Per hæc concita plebs, quæ quisque domi

habe-

habebat, telis arreptis, occupant forum, adverſarioſque urbe pellunt. Tum multitudinem omnem ex agris evocatam in urbem introducunt, ac refractis armamentariis, adminiſtrante impigrè omnia maximè Leidenſe, arma agreſtibus diſtribuunt: bona civium quique diſceſſerant, quique ſuſpecti erant, diripiunt, repugnantium cædem faciunt, civitatem ac Rempublicam in ſuam poteſtatem redigunt, ordinantque arbitratu ſuo; ſi ordo ac ratio ulla in ſumma rerum omnium confuſione eſſe potuit. Templa fanaq; omnia ſpoliant, ac pleraque diruunt, niſi quæ ſibi aut in horreorum uſum, aut conciliis plebis habendis reſervârunt; ex his amotæ aræ, diſturbata Dei ac Divorum ſimulacra incenſaque ſunt, & omnia ornamenta detracta. Edictũ inde omnibus urbis partibus capitis ſtatuta pœna his qui non paruiſſent, ut quod quiſque auri argentique, aut divitis ſuppellectilis domi haberet, in publicum conferret, certis ad hæc arripienda ædibus deſignatis. Item quicquid frumenti, frugumve fuit è privatis domibus in publica horrea comportari juſſum. Secundùm hæc, libros omnes omnis generis publicos, privatoſque deferri in forum, ac tantùm ſacrarum literarum volumina ſervari jubent, congeſtoſque in unum acervum flammis abſumpſerunt. Atque idem Mattheus vates abdentibus quid divinam iram denunciabat; & cum diligentes ejus rei exploratores inſtituiſſet, quę occultari compererat, ea divinitus ſibi

enunciata ſimulans, apud quos deprehendiſſet in eos nulla veniæ ſpe, ut cœleſtis numinis violatores, animadvertebatur; tantaque dominantium ſeveritas erat, ut non factorum modo, ſed dictorum quoque ſupplicia exigeret: Siquidem juvenem per laſciviam ac jocum vaticinationes irridentem, comprehendi ſtatim, abductumque in concilium plebis, ſtrangulari protinus juſſerunt. Quibus rebus tantus erat incuſſus omnibus metus, ut illam hominum colluviem ſibi atque imperiis ſuis egregiè parentem haberent. Leidenſis, cujus inter omnes eminebat auctoritas, triduum non a publico ſolum, ſed ab omnium hominum conſpectu in abditum ſeceſſit, atque inde demum prodiens, ſimulat ſe divinis rebus operatum, & à Deo, quæ fieri vellet, admonitum. Ac Kniperdolingo nudatum gladium tradit, tuerique juſtitiam jubet. Duodecim viros creat, penes quos adminiſtrandæ publicæ rei curam eſſe jubet: legem de connubio, pluribusque ducendis uxoribus ſancit; & ut magni legumlatores ſolent, ne quid cæteris præcipere, quod non facturus ipſe eſſet, videretur; delectas tres puellas confeſtim ſibi matrimonio jungit. Alia item, quæ conducere rebus viſum, inſtituit; quæ omnia à Deo doctum ſe jurejurando confirmavit: tanta & impudentia mentiendi illi, & aliis credendi facilitas fuit. Seditio quorundam novas aſpernantium leges eſt orta, concurſumque ab armatis in forum, & captus Kniperdolingus & aliquot duo-

duodecim viris. Is vero tacitus Leidensis multitudinem multo majorem ſecum trahens adeo atrociter vindicavit, ut ſeditioſorum quinquaginta ſupplicio affecerit, & in aliquot ad palos colligatos collineari ſclopis, & trajici ac lacerari plumbeis glandibus juſſerit. Jam Leidenſis cuncta ad ſe traxerat: nam & oppreſſa ſeditio, punitique ſevere auctores, & conſtitutæ leges, & dati legum cuſtodes, majorem in ipſo poteſtatem eſſe, quam quantam impartitus alias fuiſſet, declarabant, magisque nomen imperii illi, quam vis deeſſe videbatur. Id quoque jam aſſumere maturum ratus, & certus, nec duodecim viros, nec Knipperdolingum præventos a ſe, obligatosque beneficio auſuros ſe opponere, & multitudinem facile approbaturam, hominem idoneum e numero vatum ſubornat, & quæ fieri vellet, quove modo, ut ſui quoque regni Deus auctor fieret, oſtendit. Vates (ut erat inſtructus) populum in forum ad concionem vocat: adfuiſſe ſibi numen narrat, ac ſe juſſiſſe nunciare illis, qui indocti eſſent, pietatem colerent, auctorique ejus gratiam referrent. Deum enim ita velle, ut Joannes Leidenſis debellatis omnibus Regibus, populis omnibus ſubactis, orbis terrarum imperio potiretur, [illegible]q; Religione ac legibus victos formaret. Proinde hominem Deo acceptum ipſi Regem ſibi conſtituerent, eique dicto audientes eſſent. Sive tanta hunc tum hæc fides fuerit; ſive pro ſe quisq; Leidenſi gratiam præripere, quem

 jam

jam regnare intelligebant, properarit; aſſentientibus læto clamore proximis, omnes eum Regem ſalutant, ſublatumque humeris in editiori loco, ut conſpici ſalutarique ab omnibus poſſet, locant. Ille tumultu ſedato, ac facto ſilentio, tacitus, corpus proſternens humi, procubuit; rurſusque attollens, nixus genibus, vultum manusque in cœlum intendens, diu immotus ſtetit. Deinde ut invitus ac refugiens ſubire regnum, ut onus videretur, affirmat, id ita fore ſibi multò ante à Deo ſignificatum fuiſſe; ſed reticuiſſe ſe ac celaſſe eos, ut ſaltem differret quod declinare non poſſe ſciret. Poſtremò ſuſcipi à ſe Dei juſſu regnum, nec aliter illud quàm ex ipſius juſſis monitisque Dei eſſe geſturum profiteretur. Haud equidem ſum neſcius, commentitia hæc & fabulæ ſimilia legentibus viſum iri: quibus me quoque ipſum adſcribere, qui apud alios legi, niſi & non dubii auctores traderent, & res minime vetuſta eſſet, & ego in ipſa Monaſterii urbe multa veſtigia harum rerum aſpexiſſem, & cum iis eſſem locutus, qui non meminiſſe ſolùm, ſed etiam interfuiſſe ſe dicerent. At Leidenſis in ſpem (ut ſui crediderant) ſubigendi imperio ſuo omnes terras, ſuſcepto Regis nomine, Regum quoque more omnia circa ſe diſponit. Abrogata duodecim viris poteſtate, ex iis aliiſque, ut quemque ætas aut ingenium commendaſſet, conſilium ſibi deligit; & id quoque magnifico vocabulo, Senatum appellat. Aulam Aulæque miniſtros pari vanitate deſignat.

Alios

Alios Præfectos Regiæ domus, alios ſcrinii Magiſtros dicit, alios apparere ſibi, alios alia curare jubet. Satellites item, ſtipatoresque corporis ad cuſtodiam ſui adhibet. Atque ipſe aſſumpto diademate, atque argenteo baculo in purpura auroque (ut ornatu quoque luderet Regem) procedit. Apparatus ſacrorum, ac veſtes, quibus amiciri aræ, & res divinæ fieri conſueverant, detractas ſacrariis, in ſuum verterat cultum: ut qui nuper conſuendis agreſtibus tunicis vitam toleraſſet, huic regium fœdanti nomen, chlamydes ex auro, ſacrataque veſte fierent; adeo à pagano ſartore, omnibus ſimul divinis humaniſque rebus eſt inſultatum. Duos dignitate atque forma inſignes pueros ex eorum numero, quos ad domeſtica miniſteria, more Regum ſibi aſciverat, prodeuntem in publicum anteire ſe in equis jubet, atque alterum elatum dexterâ ſacrorum librorum volumen, alterum nudatum enſem præferre. Quo volebat intelligi, daturum ſe Orbi leges quæ iis libris continerentur, atque in repugnantes armis vindicaturum. Eodem quoque modo eminere tollique inter reliquas fœminas, Reginas ſuas voluit, quarum numerum ad quindecim auxerat. Sedem quoque ac tribunal ſibi in foro quam editiſſimum ornatiſſimumque erigi mandavit, atque ex eo jus populo reddebat: quæ magis maleficiis puniendis, quàm diſtrahendis dijudicandiſque controverſiis juriſdictio exercebatur. Neque enim lites erant inter eos

illæ, quarum ſtirpes verba Meum, Tuumque, lege ſublata, & omnia in commune habita e[illegible] [illegible]erant. At Franciſcus Waldeckius civitatis Epiſcopus ad recuperandum quod per inertiam amiſerat imperium, animũ aliquando intenderat: cum finitimos Regulos populosque docuiſſet, intereſſe omnium, nefarii exempli rem ultum iri, exercitum comparaverat: cui, præter civitates quæ Weſtphaliæ concilii ſunt, & Colonienſis Archiepiſcopus, & Clivenſium Regulus, & proximi Belgæ auxilia miſerant. Sed cum in[illegible] copiis, pluribus ſimul locis ad mœnia ſubiiſſet, magna Anabaptiſtarum virtute undique eſt repulſus; repetitis per aliquot dies majori ſemper vi impreſſionibus, majori ſemper detrimento ſuorum, recipere in caſtra milites eſt coactus. Igitur irrita ſpe per vim expugnandi urbem amiſſam, & mœnibus validam, nec minùs conſtantibus animis defenſam, reliquam cogitationem ad obſidionis conſilia convertit. Caſtellis idoneis locis ædificatis, & in plures ſtationes exercitu diſtributo, oppidum circumſedit. Anabaptiſtæ, quanquam nullius externi, aut bello exercitati militis præſidio juvarentur, nec præter agreſtium multitudinem, & oppidanam plebem aliud robur in armis haberent; tamen tantum ardoris ipſa ſuperſtitio faciebat, tantaque induſtria Leidenſis, tamque ad omnia vigilans cura fuit, ut & oblatam veniæ ſpem rejicerent, & non à muris ſolum repulerint Epiſcopum, ſed animorum ſuis etiam

a[illegible]

ad erumpendum, tentandasque hoſtium ſtationes, ſæpe habuerint. Hic ad proviſam ante obſidionem tolerandam, magnam commeatûs omnis generis copiam in oppidum comportaverat; mœnia &, ſicubi collapſa eſſent, refecerat, & novis munitionibus ex uſu excitatis, egregiè adverſus vim communierat; quicquid tota urbe aut publicè aut privatim armorum fuit, juventuti diſtribuerat, ac delectu habito militarem omnem ætatem centuriaverat, in cohortesque deſcripſerat, datis Centurionibus Præfectisque quibus parerent. Et poſt aſſumptum nomen Regis, delectis ex omni numero duodecim, quorum eminere virtus ſcientiaque in re militari videbatur, curam ſummamque belli commendavit, ac ſuam cuique partem mœnium, quam defenderent, attribuit. Et ut incitaret honore virtutem, omniaque pro majeſtate novi nominis inſtituerentur, eos, quæ proxima Regiæ amplitudini dignitas habetur, Duces appellavit: & quo magis ſibi ac Reipublicæ firmaret, ſpe ac promiſſis ingentibus oneravit, brevique ad maximas opes imperiumque evecturum ſe illos eſt pollicitus. Intermiſſa mœnium oppugnatione, Epiſcopus id modo cum cura cavebat, ne quid commeatûs in oppidum importaretur; domituram famem, quos expugnare armis nequiſſent, ſatis credens, nec diu ſuffecturam tantæ multitudini alendæ ante convectam rem cibariam. Tam ſegne bellum Leidenſis principio adeò contemſit, ut quotidie

ſuos ad ſerenda cum hoſtibus certamina ultro portis emitteret; verbisque imbellis viri Ducatum illudens, magis condendis religionibus, moribusque novæ diſciplinæ formandis, quam belli negotiis occuparetur: certus, haudquaquam duraturos in bello tamdiu hoſtes, quantum ipſe frumenti, ad fruſtrandā ſpem eorum, in urbe haberet. Verùm ubi perſeverantiùs opinione ſuā continuari obſidionem videt, duo de triginta homines, quos maximè fidos ſibi, & ardentes ſtudio novæ ſectæ nôrat, ad alios circa populos ſollicitandos mittere ſtatuit. His in occulto eadem ſingulis mandata dedit, ut ubique quantas quisque poſſet, manus cogerent, & ad opem ferendam obſeſſis, loco dieque inter ſe dicta, convenirent. Palam diſſimulata cauſa fingit, ſe cœlitus admonitum, juſſumque à Deo eos in varias terrarum partes, ad propaganda ſacrorum quæ ſola divino numini accepta eſſent, inſtituta dimittere. Hic enim perpetuus illi mos fuit, nihil publicè agendi cujus non Deum auctorem faceret. Cum his igitur in publico convivatus, hortatusque eos ut divina freti ope fortem ac diligentem operam Deo ac Religioni navarent, ac multis laudibus proſecutus, abire juſſit. Qui noctu egreſſi oppido, cùm vigilias hoſtium fefelliſſent, diverſi proficiſcuntur. Nec vana Leidenſi hæc fraus fuiſſet, niſi in agris hominum cœtus habentes, concitantesque ad arma multitudinem, comprehenſi quidam, atque eorum indicio inventi alii

capti-

captique immaturam rem corrupiſſent: qui tormentis confiteri fraudem inopiamque obſeſſorum adacti, quia nemo ab prava qua imbuti erant opinione, abduci potuit, ſtrangulati omnes, ac flammis cremati ab ipſis quoque Lutheranis ſunt. At non inopia ſolum, ſed fames etiam urgere obſeſſos cœperat; jam frumento omni, frugibusq; abſumptis, ægrè plebs vitam tolerabat, vocesque orantium primores, ut ſaluti civitatis conſuleretur, audiebantur. Quas Leidenſis voces non conſolando fractos debilitatosque animis, ſed pœnarum ac ſuppliciorum atrocitate compeſcebat, adeo ſeverè, ut cum conſpiraſſe quosdam in necem ejus deprehendiſſet, ſeptem & quadraginta eorum jugulari in medio foro juſſerit. Et cum item unam Reginarum, quam imprimis caram habebat, tot miſerorum calamitate vix animam trahentium, & corpora diuturno confecta jejunio paſſim per omnes vias ſternentium permotam, id quidem haudquaquam arbitrari ſe gratum eſſe Deo dixiſſe, delatum ad eum eſſet, vocari eam, adducique protinus in mediam concionem juſſerit; atque omnibus coram increpitæ, quod ex qua domo exempla conſtantiæ peti conveniret, inde impiæ voces ſolvendo imperio prodiiſſent, ſtatim vinciri poſt terga manus, ac nudari collum, ſeque inſpectante flenti, miſerabiliterque viri fidem per tori ſocietatem imploranti, gladio cervices cædi atque interfici imperavit: Triſte circumfuſæ concioni ſpectaculum, ſed

 utile

utile, ut in tali re documentum ſanciendæ reliquorum fidei, & ad ultimam famis atque inopiæ patientiam firmandæ. Tantus enim ex ſævitia Regis metus omnes inceſſit, ut taciti fatum ſuum oppetirentur, & pro ſe quisque tolerandæ vitæ remedia exquireret. Quod terræ inter hoſtium caſtra, urbemque circa mœnia fuit, ligonibus invertere, & raparum leguminumque injecere ſemina; multisque ea res per æſtatem ſubſidio fuit. Poſtremò cum equorum jumentorumque omnium carnibus ſe ſubſtentaſſent, iis quoque conſumptis, canes, feles, mures conſectabantur, neullum erat tam immundum animal a quo abſtinerent. Atque eo demum eſt ventum, ut pelles coriaque macerare, ac fervida mollire aqua, & mandere conarentur: herbas radicesque omnis generis, & quicquid muris parietibusque enaſceretur, avide comederent. Senum atque inutilis ætatis turba, cum oppido emiſſa ne ab hoſtibus quidem reciperetur, per omnes paſſim campos deficientibus viribus ſtrati exanimabantur. Multi in ipſa urbe, humanis quoque cadaveribus eorum quos aut fames aut morbus abſumpſiſſet aluiſſe ſeſe feruntur. Leidenſis cum metus continebat omnes, tum varia ſpe ducebat, brevi exiſtimans fore, ut ſibi ingentes copiæ auxilio venirent, quibus non ſolum moturus modo obſidione hoſtes, ſed debellaturus ditioni ſuæ ſubiecturus eſſet. Quod adeò pro non dubio aſſeverabat, ut victoriæ præmia ante bellum divideret ſuis, mu-

mun-

minaretque urbes & oppida, quæ cuique daturus dono eſſet. Sed & præcepiſſe dicitur illis, ut in acie Philippo Lantgravio Haſſiæ, Lutheranæ factionis Principi, & viro magnæ inter Germanos dignitatis parcerent, quod eum tranſiturum in partes, & fidelem ſibi operam ad reliqua navaturum, certum haberet. Atque hæc ſibi cœleſtibus monitis, viſisque affirmari docebat; Deumque, ut ipſorum potentiam fidemque experiretur, circumſideri eos, & illa ad tempus inopia anxios habere voluiſſe. Sed quanquam ille omnia ad Deum referre, unaque divinorum promiſſorum fiducia niti ſe credi volebat, haud tamen ſegniter, ut cœlo ſibi delaberentur auxilia, expectabat; ſed occultis nuntiis aſſiduè Hollandos Friſiosque ſollicitabat, a quibus ei non dubia nec vana ſpes maturæ opis afferebatur. Nam in iis gentibus latiſſimè diffuſa illa Anabaptiſtarum hæreſis erat, & magno ſtudio curaque eximendi periculo ſuos tenebantur. Ab his clam miſſæ tres naves armis, viris, commeatu onuſtæ non fefellere Belgas, & motus eorum, & maria obſervantes; quas Amſterdamo nobili Hollandiæ portu profectas, ut Oceani ſinu, cui Zuderſeæ eſt nomen, transmiſſo inde terreſtri itinere per Friſios in Weſtphaliam, Monaſterium penetrarent, aſſecutus cum claſſe Georgius Scenchius, Belgarum Præfectus, perforatas magnis tormentorum ictibus, cum rebus hominibusque in medio mari demerſit. Nec tamen ea res terruerat obſtinatos,

liber-

liberaſſentque Leidenſem, & magnam belli in-
cendium in Germania excitaſſent, niſi maturè ab
iis Magiſtratibus in ipſo conatu apparatuque [illegible]-
hendi movendique res, pluribus ſimul locis op-
preſſi punitique fuiſſent. Continuabatur diu-
turnum jam annum obſidio; nec minus qui oppido
incluſi erant, quam qui foris caſtra habebant, hu-
jus tam diuturnæ ac inertis militiæ tædium cepe-
rat; multique quotidie e caſtris in vicina oppida
dilabebantur, bellumque paulatim deſerebant.
Quod intelligens Epiſcopus, fatigando precibus
Germaniæ Principes, monendoque, ne tam di-
rum nefas, & in omnium capita recaſurum ſi in-
ultum eſſe paterentur, negligerent, tandem in
Concilium gentis Ulmam cogeretur, in quo ma-
jora illi auxilia decreta miſſaque ſunt. Quæ
cum advenifſent, quanquam ſatis virium etiam
omnibus eſſet, ad urbem aggrediendam, offe-
rendamque vim mœnibus; tamen ne milites ef-
feratis deſperatione ac rabie belluis [illegible]-
tur; & quia Epiſcopus ſervari civitatem cupie-
bat, ne fruſtra recepta inde ab ſe eſſet, ſi expu-
gnatam armis milites diripuiſſent, exinanitamque
ſibi, ac militari licentia vaſtata traderetur, com-
muni ſententia decernunt, ut in obſidionis con-
ſilio perſeveraretur. ſic enim ſine ullo vulnere
venturam in manum non dubitabant. Itaque &
circumdata, clauſaq; arctius omnia, ut ne ſingulis
quidem aditus egreſſuſq; ex urbe pateret. & inti-
re quidã ad muros, & animos per colloquia ten-
tare

tare juſſi. Sed Leidenſis gravi edixerat pœna, ne quis ſe incõſulto cum hoſte colloqueretur. Ipſum ergo Leidenſem appellari placuit, ſi fortè oblatâ impunitate ad dedendam urbem adduci poſſet. Vilgericus Oberſteinus, nobilis Germanus, qui auxiliaribus copiis præerat, ad colloquium cum Anabaptiſtarum Rege venit, egitque cum eo, ut reſtitueret Epiſcopo urbem: In quo rem gratam facturum Germanorum genti ajebat; & pollicebatur publica, ſuaque interpoſita fide, ei omnibus qui eum ſequi voluiſſent, tuto quo vellent abeundi poteſtatem futuram. Virum & nobilitate generis, & militiæ & honoribus præſtantem, adeò agreſtis & barbarus Rex contempſit, ut ſcurrilibus deriſum verbis ultro ad tranſeundum invitaret, atque non ipſi ſolum, obſidentibusque militibus, ſed univerſæ Germaniæ minitaretur. Tantum illi aut ſpei ſupererat, aut ſtolidæ ſuperbiæ animus morti obfirmatus faciebat. Sed inopia famesque non vulgus ſolum jam plebemque premebat, verum ad ipſum quoque pervenerat Regem Ducesque; nec tolerari ultra poſſe videbatur. Profitetur unus Præfectorũ, Langhenſtratus nomine, cui fidebat Rex plurimum, ſe per hoſtium ſtationes evaſurum, & intra quartum decimum diem cum aliquo commeatu ſubſidioq; rediturum. Dimiſſus à Rege collaudatusq; clam in caſtra hoſtium venit, collocutusq; cum Epiſcopo & Vilgerico, ſuam ſuorumque incolumitatem pactus, tradere urbem pollicetur. Deligitur nox

Jo-

Joannis Baptiſtæ ſacra, ut cujus Divi manu primum Chriſti Dei capiti infuſum baptiſmum fuiſſe divinæ Literæ tradunt, ejus feſto die de baptiſmi violatoribus pœnæ caperentur. Langhenitranus ad obſeſſos reverſus, comparatam ab ſe manum, doctamque qua potiſſimum, quove tempore acceſſura ad oppidum, vitaturaque hoſtium ſtationes eſſet, & omnia, ut res viſa poſcere, compoſita refert, ſeque præceſſiſſe ad eos excipiendos introducendosq; dicit. Leidenſis ſuos certiores facit, commeatum cum novi ac recentis præſidii hominibus adeſſe; ſic Deum ſibi per quietem ſignificaſſe, proinde bono eſſent animo, lætioraque in dies expectarent. Cum dicta nox adveniſſet, proditor qui portam quæ crucis dicitur, cuſtodiebat, monet ſuos, ne ſe commoverent ſi intrantes armatos ſenſiſſent; ſe enim ſubſidium, commeatumque in urbem ea nocte intromiſſurum. Ita Germanos patefacta porta, introducit. Ingreſſi ſub ſigni paulò ante lucem, ſilenti agmine ad occupanda idonea loca vadunt; tum ſublato clamore, proximas ſtationes, obviosque trucidant. Nec Anabaptiſtæ à fortuna deſerti, proditique a ſuis, non memores priſtinæ ferociæ cecidere. Multis in urbis partibus aggregantes ſeſe, cruenta cum hoſtibus certamina conſeruere, circumventi undiq; cæſique. Haud ſpernendus numerus ſe in forum conglobaverat, unde ad viarum oſtia audaciſſime pugnam ciebant. Verum creſcente hoſtili multitudine, cum integros atq; impetu victoriæ ardentes,

victos

victos jam ſe & fame enectos diu ſuſtinere poſſe diffiderent, non tamen ante pugnandi finem fecere, quam pacta ſalute in fidem recepti ſunt. Multi tamen eorum veniæ ſpe abjecta ultro ſe hoſtiũ telis obtulerunt: in quibus fuit Rotmannus, qui primus civitatem in Epiſcopi ſui fide avertere [illegible] quod alterius [illegible], Knipperdolingo & Joanne Matthæo vivus in hoſtium poteſtatem pervenit. Magna [illegible] ait ſextus ab incitato & parcendi neſcio Germano milite, tota urbe eſt edita cædes; cumque Lutherani noſtriq; ad extinguẽdam exitiabilem ſectam ſanguine ignobilium capitum graſſarentur; magis quam occidendo feſſi fatigatique ſint, quam imperio Ducum, aut Epiſcopi precibus finem cædibus fecere. Decem inde dies egerendis cadaveribus, quibus ſtratæ omnes viæ erant, purgandæque urbi, ac [illegible] captivis dati. Quæſtiones quoque de multis habitæ, ac ſupplicio affecti multi, quorum facinus aut impietas emineret: multitudo, data pœnitentiorum venia, redire ſub priſcas ſacrorum leges eſt juſſa. Leidenſis ad Epiſcopum adductus, perinde eum deſpexit, dedignatuſque eſt, ut ſi verus Rex humilem aliquem ſacrificulum alloqueretur. Percunctanti, quibuſnam divinis ſtimulis actus in civitate aliena, tantis ſceleribus flagitiiſque debacchari non fuiſſet veritus, ille per contemptum ac ludibriũ Papam appellans. Quid eſt, inquit, mi Papa, quod quæratis, aut quamobrem tibi nocuimus? qui nihil extra

urbe-

urbe nobiſcum aſportavimus? & eam quod ſine magnis ſumptibus facturus ipſe non fuiſſes, egregio opere munitam tibi reddidimus? Verum ſi quid damni feciſti, facilè repones, idemq; ego tibi brevi nummulis repletam crumenam dabo, ſi meum conſilium ſequi volueris. Quærenti [illegible] quodnam idem id conſilium eſſet? Jube, inquit, me [illegible] includi, ac per omnes Germaniæ urbes circumducito tecum, nec niſi ſtipem ad te afferentibus oſtendas; tum næ multis teruncijs locupletior referes te domum. Increpante Epiſcopo, an cum hoc generis opifice aliquo cavillari ſe crederet: & qua fiducia tam ſævam in aliena civitate invadere ac exercere tyrannidem auſus eſſet, exigente; ſubridens ille, Et quis te, inquit, ejusdem civitatis Tyrannum eſſe juſſit? Reſpondente Epiſcopo, imperium ad ſe juſtum, juſtis ſuffragiis eorum, penes quos ea poteſtas eſſet, delatum; Et mihi, inquit Leidenſis, Deus ipſe regnum hoc tradidit. Tum Epiſcopus impudentem hominem ac ſcelere perditum cuſtodibus tradit, aſſervarique per aliquot dies juſſit, ac tormentis fateri, cum quibus, quibus ve in Provinciis conſilia miſcuiſſet, cogi. Poſtremo cum Kniperdolingo & Matthæo ad ſupplicium ducitur, & candentibus forcipibus pariter lacerati in ſummam turrim aſcendere juſſi, ibi cervicibus fractis, clathratis feneſtris, Rege in media ſtatione locato, ſuſpenduntur. Manentque hodie reliquiæ: & nos cum in eam veniſſemus urbem, ſeptimo ac vigeſimo poſt anno vidimus.

DE

DE
Henrico Octavo
Rege Britanniæ.

HEnricum octavum Regem Britanniæ nihil videtur cauſſæ eſſe, cur inter eos non referamus, quorum adverſos caſus exponendos ſuſcepimus. Etſi enim humanæ ſortis calamitates magis intulit aliis, quam ipſe perpeſſus eſt, & neque regnum neque vitam ullâ ſui, ſed debitâ neceſſitati ac naturæ morte amiſit, tamen cum veluti a ſemetipſo deſciſcens immanibus ſe flagitiis ſceleribusque contaminaſſet, ex ſummo gloriæ faſtigio, ſummaque hominum gratiâ atque exiſtimatione, quâ unus maximè inter omnes Reges floruerat, repente in ſummam infamiam, quæ haud minor, quam Regni jactura videri poteſt, præcipitavit. Huic etenim Henrico, quamdiu in fide atque inſtitutis majorũ permanſit, nullum Regum Principumve aut animi aut ingenii virtutibus parem ferunt ætatis ejus Scriptores: Ac ne fama quidem ac rebus foris domique geſtis quemquam anteponunt. Non ei forma, non valetudo, non robur corporis defuit, non animus dignitati corporis par. Juſtitiæ liberalitatis, manſuetudinis, magnanimitatis præclara

exempla memorantur. Multæ claræque victoriæ; quarum illa maxime illuſtris, cum transmiſſis, in continentem regem copiis, feroces exſultantesque proſperis rebus Gallos, ſubito comitum equit[illegible] eo[illegible] peſcuitque. Nec illa minus nobilis, qua Jacobum Regem Scotiæ auſum infeſto exercitu Angliæ fines invadere, cum Henricum ab Gallico bello ad ſua tuenda averteret, per Thomam Hovardum Surrei Comitem devictum occidit, Scotorumq; res uno prælio prope in perpetuum afflixit. Reverſo inde domum tantum hæ res opinionis nominisque apud omnes nationes fecerunt, ut unus arbiter pacis bellique inter reliquos Reges eſſe videretur. Quos quidem omnes cum virtute ac virtutis gloria, tum Chriſtianæ religionis ſtudio, ac pietate erga Pontifices Maximos facile ſuperabat. Quos haud ſecus quam parentes omnibus ſemper officiis obſequiisque perſecutus, quorum Julium II. Gallorum armis vexatum enixe adjuvit; urbem Romam captam, crudelemque in modum direptam, & Clementem Pontificem Maximum ſceleratè ac perfidioſe à Cæſarianis militibus oppreſſum, captumque, unus maxime tantæ calamitati exemit. Adeoque animum in omnes partes bene audiendi incitavit, ut litterarum quoque ac doctrinæ laudem appeteret, & quidem conſecutus ſit maximam: ſcripto atque edito libro adverſus Martinum Lutherum, tum à

Chriſto

Chriſto DEO traditam divinarum ceremonia-
rum, & ſacrorum diſciplinam novis exploſiſque
religionibus turbantem. Neque infra magni-
tudinem ſuam duxit, Lutherum [illegible] ac de-
ſpectum hominem, qui [illegible] divinis
[illegible] te,
& cultus ſacrorum [illegible] pol-
luto ore temere aſſeruerat, [illegible] re-
fellendumque deſumpſiſſe. In quo cum priſcæ
pietatis non cultorem modo ſe, ſed etiam vindi-
cem præſtitiſſe eſſet viſus, clarum ad poſteros co-
gnomentum, Defenſoris Catholicæ Religionis à
Leone X. Pontifice Maximo, ad quem librum
miſerat, eſt conſecutus. Idem ſive fraude indu-
ctus, ſive cæco atque inſano amore perditus, ſive
utroque, ita ſe ipſum repente exuit, ut obſtupeſce-
rent admiratione homines, ex quanto viro in
quam teterrimum, quam immane monſtrum evaſerit.
Qui cum omnium libidinum maculis ſe vitamque
contaminaſſet, fœdis turpiſſimæ luxuriæ ſordi-
bus manus optimi cujuſque cæde ac ſanguine ita
inde imbuit, ut dubium reliquerit, flagitioſior, an
truculentior Tyrannus dici meruerit. Furoris in-
itium ab uxoris repudio, rumpendiſque ſacrata-
rum legum vinculis cœpit. Ea Ferdinandi Hiſpa-
niæ Regis filia, Caroli V. Cæſaris matertera erat;
fuerat que ante Arthuro fratri ejus nupta, qui im-
becilla valetudine vix dum quartum decimum
ingreſſus annum, conjuge non tacta, cum obiiſſet,
petentibus id ambobus Regibus. Virgo ex auctoritate

Pontificis Maximi Henrico eſt tradita, quamquam ob utriusque parum maturam conjugii ætatem [illegible] dilatæ nuptiæ ſunt, nec ante Henrici [illegible] tem conjunctæ, ne quis non ſponte [illegible] exiſtimare poſſit. Habent Auctores [illegible] bus initæ hujus inter Hiſpaniæ & [illegible] Reges affinitatis fuiſſe, ut Edoardus, Edoardi IV. fratris filius, (qui, quia patrui Regnum jure illi obveniret, a Britanno in cuſtodia detinebatur,) ante necaretur, quam deducta Catharina, (id puellæ nomen fuit,) ad Arcturum eſſet, quo eum certior ſucceſſio regni ſublato juſto herede maneret; atque ita innoxium puerum, veluti victimam infauſti conjugii mactatum fuiſſe. Quis ergo [illegible] nuptias non tam matrimonii ſanctitate, quam inſontis adoleſcentis cæde conjunctas, [illegible] ita alterius de Regi ignominioſas, alterius regno calamitoſas evaſiſſe. Igitur Henricum [illegible] rum Catharinæ pertæſum, quacum duo de viginta annos vixerat, & ex qua liberos ſuſceperat, ſeu novo amore ab illa ſeque alienatum, ſive ſuorum conſiliis artificiisque deceptum, cupido ingens inceſſit ejus repudiandæ, cum [illegible] bat connubii jus non eſſe, quæ ante [illegible] ſuo fuiſſet. Verum cum viſa major res eſſet, quam ut ſine juſto conſiliorum apparatu moveri poſſet, & ne ipſi quidem Regi tutum, invidiam, quam ex tam inſigni Reginæ injuria oriturum apparebat, ſubire, initio quidem differri rumoribus placuit, ſummiſſis, qui [illegible]

[illegible]

cauſam miſererentur, matrimonio caſtæ quidem & probæ, ſed quæ nubere illi per leges non potuiſſet, impliciti; atque ita multitudinis ſenſum explorare. Et univerſi quidem, ut nefas & piaculum aſpernabantur: ſed paucorum aſſentatio apud ægrum animum validior erat. Non tamen auſus ipſe palam mentionem rei facere, per Thomam Volſcium Cardinalem Eboracenſem, qui unus cum reliquorum omnium, tum noviſſimi conſilii non particeps ſolum, ſed etiam auctor erat, ſubornat Franciſci Regis Galliæ Legatos, qui forte ad ſe pacis ac fœderis firmandi cauſa venerant, (ab hac enim cogitatione magnopere ſe Gallis, hortante Volſcio, tradiderat,) ut ſanciendæ in perpetuum amicitiæ ſororis Franciſci conjugium Henrico offerunt, quando in Catharinæ matrimonio ſalva religione permanere non poſſet. Et Galli quidem optatam occaſionem nacti, avertendi in perpetuum à Cæſare Henricum, & inexpiabile inter eos odium ſerendi, cupide arripuere, & a Rege in amicorum conſilium admiſſi, ut inſtructi à Volſcio fuerant, eum audacter de novis nuptiis appellarunt. Ita res, quamquam aſpernantis ſpeciem præbente Rege, in conſultationem eſt adducta, & ab præparatis aliis, aliis ſponte ſuâ in omnem aſſentationē pronis, & cupidines eius rimari ſolitis, religio dubitanti eſt injecta. Ergo Rex captato tempore, cum Clemens VII. Pontifex Maximus direpta Roma, ac ingenti affectus clade, magniſque inde objectus diffi-

difficultatibus eſſet, Legatos ad eum miſit, qui perculſum confirmarent, dicerentque, Henricum non regni modo ſui opes & facultates omnes, ſed ipſum ſe pro erigenda defendendaque indigne oppreſſi Pontificis majeſtate offerre. Atque his promiſſis, egentem omnium opis delinitum, de matrimonio, quod ſibi non juſtum cum Catharina eſſe ajebat, diſſolvendo magnopere rogarent. Clementi, etſi quam res abſurda, & quam ad multa pertinens peteretur, non ignoraret, tamen non facile ſuo deſiderio ſtudioque, Regis magni ac ſummæ inter alios auctoritatis ſpem, nobili [illegible]-ſo, ut ferunt, præcluderet; præſertim cum ex Legatorum verbis in ſpem veniſſet, voluntarium Henricum ipſum ab alienaturum Regnum, paratumque ultro ſe in Virginum ſacratarum ſepta abdere, neque ibi procul humanarum rerum curis reliquum vitæ tranſigere. Quin Clemens, ut tempus & res ſuæ ferre erant, opportune ſibi oblatum exiſtimans, quo & Carolum Cæſarem terreret, & Henricum devinciret ſibi, ita reſpondit, ut & Carolo metum injiceret, & Henrici ſpem fovendo augeret. Qui quidem enixe operam ſublevandæ Pontificis afflictæ fortunæ navavit. Et creſcentibus ex eo in dies illius meritis officiiſque, cum poſt-tem ſæpe dilatam locus amplius tergiverſandi Clementi non eſſet, inſtaretque aſſidue Rex, ac ſummis precibus contenderet, Legatum in Britanniam miſit Laurentium Campegium Cardinalem, hominem & ſcientia juris, & prudentiæ laude

laude ſpectatum, apud quem Rex, Reginaque, de conjugii jure deſceptarent. Huic traditum diploma, quo id non verum matrimonium fuiſſe pronunciandi facultas Campegio permittebatur, ferunt; juſſumque illud quidem occultè indicare atque oſtendere Regi, quo facilius rem judicio decerni pateretur, moramque cujus impatiens videbatur, æquo animo toleraret. Sed clam imperaſſe Campegio Clemens dicitur, ut id neque traderet Regi diploma, neque de cauſa ſtatueret, ex pectaretque de tota re voluntatem ſuam, qui quæ fieri vellet, ei in tempore eſſet mandaturus. Interea tereret ipſe tempus, judiciumque extraheret; ac ſi Regina, quod Legati facturam ajebant, conjugio ſponte cederet, in id animum ejus confirmaret. Et Campegius quidem, lente itinere confecto, in Britanniam cum veniſſet, ac ut imperatum ei fuerat, diploma Regi, & Eboracenſi Cardinali, quem Pontifex ei collegam honoris cauſa addiderat, ſecreto oſtendiſſet, Rege, Reginaque ad dicendam cauſam citari juſſis, diſceptator ipſe ac judex conſedit. Magnifica verò res, & Romanæ Eccleſiæ inprimis decora, Reges imperio, fama, genere, opibus claros, florentesque in ſuo Regno ad hominis alienigenæ atque inermis purpurea in toga ſedentis tribunal ſiſti, cauſamque orare, ſtaturos ſententiæ, quam de iis ipſe tuliſſet. Et adſtitere quidem tribunali Reges; Henricus; ut decretum pro ſua libidine extorqueret; Regina, ut Judices & Judicium ſecum re-

futaret, cum diceret, iniquum eſſe, [illegible] atque abjectam cogi cum Rege in ſuo Regno de fama & fortunis contendere, [illegible] quorum alter ejus gratiæ damni Judex, alter [illegible] auctor illi injuriæ fuiſſet. Fertur, Reginam cum hæc dixiſſet, Judicibus coram ad genua Regis procubuiſſe, ac virum Dominumque appellans, profuſo fletu per tot annorum obſequium per unicam filiam, commune caſti conjugii pignus, obteſtatam eum eſſe, ut ſibi liceret [illegible] cum inſigni judicio decertandi [illegible] Romæ id apud æquos Judices non [illegible] quam, non [illegible] pateretur. & Rex dicitur pudore confuſus, benigne allevans eam, facturum ſe, quod poſtularet, recepiſſe. Celebratum id [illegible] fuit multorum ingeniorum ſcriptis, quæ vulgo aut contra Regem, aut pro eo edebantur, neque enim [illegible] fuere, [illegible] Henrici muneribus, & [illegible] corrupti in adulationem [illegible] literis [illegible] & jus & fas poſt [illegible] haberent. [illegible] quod haud [illegible] cauſa, & ſæpe ex ampliatione repoſita, cum Pontifex interea reſurgentibus paulatim rebus ſuis, ut [illegible] oblivi[illegible] fœdere cum Cæſare percuſſo, & ad Florentinos, qui calamitate ejus uſi, arrepta libertate, [illegible] gentemque ejus patria expulerant, armis [illegible] ſub jus & imperium Mediceorum cogendos, [illegible] compararet, & Catharinam accepiſſet, [illegible]

quam

quàm initio crediderat, conſtanter pro matrimonio contendere, neque in conjugis ſui quicquam remittere; & Cæſarem appareret, materteræ contumeliam non neglecturum, certum hominem in Britanniam ad Compegium miſit, qui, cùm diploma traditæ poteſtatis abrogandi Regium conjugium, tollere atque annullare protinus juberet, cognitionemque illam Romam ad ſe revocavit. Henricus, quo propior ſpei ſuæ fuerat, eo impatientius deluſum ſe ac rejectum ferens, abrupto omni legum reſpectu, Reginam ante thoro, & conſortio Regni ſummotam, matrimonio quoque exegit; & facto demum cum ea divortio, Annam Boleniam, quam amore flagrans deperibat, ſibi inceſtis nuptiis junxit, vitiatam ante ab ſe, ac tum prægnantem, & quod fœdius eſt, creditam ipſius filiam, cujus certe matrem ſororemque diu in pellicatu habuiſſe non dubitabatur. In quo animadvertere licet, quàm impotentes libidinum & cupiditatum ſuarum Reges ſint. Proditũ memoriæ eſt ab Anglis Scriptoribus, admonitum Henricum fuiſſe ab Annæ parentibus, cùm pater Legatione apud Gallos fungeretur, bienniumque abeſſet, conjugemq; ipſius interea Rex potiretur, ex concubitu ejus ortã Annam eſſe: videret ergo, ne pater filiæ nuptias appeteret. Ad hæc, Annam ipſam non ſuſpectæ ſolum pudicitiæ, ſed plane famoſam eſſe, delatũ ad eum eſt, atq; adeo mutã ſæpè ab ſe confiteri quidã veriti non ſunt. Non tamen hæc, nõ inimicitiarũ, quas

cum Cæſare ſuſcipiebat, non Clementis, non fa-
mæ, non denique religionis reſpectus continuere,
quo minus præceps, quo inſani amoris impetus
rapiebat, ferretur. Et qui Catharinam, quòd
antea fratri ſuo nupſiſſet, in matrimonio habere,
religioni ſibi vertebat, is filiam ſuam, aut certè ea
matre natam, quá ipſe concubinâ uſus diu fuiſſet,
jungere ſibi matrimonio ſuſtinuit. Nec quum
Clemens leniter cum conatus, non licere ſacroſan-
ctas violare leges, & quæ nobis præcepta divi-
nitus ſunt, ea ne Pontificibus quidem Maximis in-
fringere aut immutare, fas eſſe oſtendiſſet, ſum-
miſque, ac uſque ad indignitatem demiſſis preci-
bus obteſtatus eum eſſet, ut animi amoriſque im-
petum cohiberet, placari ac revocari à furore po-
tuit. Itaque Pontifex preces & monita conte-
mnentem, primo minis ac denunciationibus de-
terrere eſt conatus, deinde pronunciato ſecun-
dum Reginam judicio, Henricum ſpretæ Ponti-
ficis Maximi majeſtatis, ac divini polluti juris da-
mnavit, & excommunicatione, ut nunc loqui-
mur, affecit. At ille amens cupiditate atque ira,
& velut diris, quibus traditus erat, furiiſque exa-
gitatus in Pontificis ipſius jus poteſtatemque in-
vaſit, & jura omnia humana divinaque confun-
dens, à Catholicæ Eccleſiæ ſocietate, & Pontifi-
cum Maximorum fide deſcivit, ſeque à religionis
Chriſtianæ Reipublicæ corpore præcidit, & Pon-
tifici Maximo ullum in Angliam aut Hiberniam
jus eſſe dicenti, aut omnino Pontificis nomen

cum

cum honore uſurpanti, majeſtatis pœnam ſtatuit; item iis qui aut reciperent ſcriptas Româ literas, aut eò mitterent; & quo per omnia contemptor Pontificis auctoritatis videretur, ipſe ſe Hiberniæ Regem appellavit, cum antea Reges Britanniæ Dominos tantum ſe ejus Inſulæ nuncuparent, quam à Pontificibus Maximis beneficiario nomine accepiſſent; divinam quoque inde ſibi arrogans poteſtatem, ſe ipſum ſummum in Britannia ſacrorum Antiſtitem, & Eccleſiæ caput appellavit, proque eo haberi colique à ſuis juſſit. Adverſantes, & religione ſe ac divinis juſſis excuſantes atrocibus pœnis cupiditati ſuæ parere ſubegit. Thomam Volſcium Eboracenſem Cardinalem, quem ipſe ad ſummam potentiam, ſummasque opes extulerat, novæ uxori gratificans, judicii metu ad mortem adegit, ita qui primus Regi nefarii conſilii auctor extiterat, primus ultori Deo pœnas pependit. Thomam Morum Scrinii Regii Magiſtrum, & Joannem Fiſherum Epiſcopum Rofenſem, duo clariſſima Britanniæ lumina, carceribus prius, & vinculis trahere in ſententiam conatus, ut a Fide Romanæ Eccleſiæ, & tradita à Deo Religione nullâ poſſe vi, nullis ærumnis deduci intellexit, in forum abductos, inſpectante, atque in eo oblita ſervitii, ingemiſcente civitate, ſecum percuti juſſit; quorum Rofenſis paucis ante diebus in Cardinalium Collegium fuerat à Pontifice Maximo cooptatus. Eidem ſupplicio ab pari cauſa Exceſtriæ Marchio, vir Regiæ nobili-

bilitatis, & Henricus Montacuti Regulus, & Edoardus Hennellus ſunt traditi; Arthurus Plantagineta ortus Edoardo Rege cum Honoria uxore, magnæ dignitatis homines æterna in vincula ſunt conjecti. Sed ne Thomæ quidem Havardo, viro bellicis laudibus Britannorum clariſſimo pepercit, cujus virtute geminas de Scotis victorias retulerat; navalem alteram, quá Andream Barthalanum hoſtium Ducem, victá ac profligata ejus claſſe, cepit; terreſtrem alteram multò nobiliorem, quâ Jacobum eorum Regem in acie occidit: ſed apud amentem ſcelere atque impietate nullius meriti memoria ſatis efficax erat. Thomam non ſolum ipſum in cuſtodiam, abſciſſa ſpe libertatis, tradidit; ſed quò geminaret infelici ſeni calamitatem, de Henrico ejus filio, Surrei Comite, palam ſupplicium ſumpſit. Reginaldum Polum Cardinalem, virum eruditionis & innocentiæ gloria clariſſimum, abſentem proſcripſit, præmia interfectoribus ejus conſtituit, tantaque libidine hauriendi ſanguinis ejus flagravit, ut percuſſores in Italiam usque transmiſerit, qui aditus egreſſusque ejus captantes, ex inſidiis adorirentur, quinquaginta nummûm aureorum millia iis pollicitus, qui Poli caput ad ſe in Angliam retuliſſent: irritatus maximè quatuor voluminibus, quæ Polus ad eum magna gravitate atque copiâ ſcripta miſit, quibus ſuam interrogatus à Rege ſententiam, haud minus liberè quam piè ac diſertè prompſit de novo titulo, quo ſe Henricus ſacro-

crorum in Anglia Antiſtitem, ſummumque Eccleſiæ Caput nuncuparat. Cumque potiri ad cædem Polo, aut per immiſſos ſicarios obtruncare nequiviſſet, fratrem ejus natu majorem, & quod multò immanius fuit, Margaretam matrem, anum ſeptuaginta transgreſſam annos, feminam optimam ac ſanctiſſimam, & regiâ ſtirpe ortam, quia Reginaldum genuiſſet, & a Chriſtianorum ſacrorum fide abduci ſe non pateretur, ſecuri percuſſit. Ac ne aliarum quidem feminarum cæde cruentas abſtinuit manus. Catharinam Reginam non contentus matrimonio ſuo exturbaſſe, ſummaque ignominia feminam clariſſimorum Regum ſtirpe genitam affeciſſe, etiam veneno (ut fama tulit) aut certè perpetuis injuriis & mœrore & lacrymis confectam mori coëgit; cùm uſq; eò fureret, ut communem filiam abdicaret, & omni principali honore ſpoliatam remitteret matri, ac utrique ſumptus vix in neceſſarium victum, privatumque cultum ſuppeditaret. Eliſabetham Berthoniam, ſacratam Virginem, multa Britannis ob ſcelus Regis adverſa vaticinantem, hortantemque precibus placare cœleſtem iram, & Mariam tum ſpretam abjectamque poſt patrem Regno potituram, prædicentem, è Sacrario Templi abſtractam cum Sacerdotibus aliquot divinarum literarum Doctoribus idem incuſantibus, foro medio laqueis ſtrangulatos, latronum more ſuſpendit. Alias item æquè levibus de cauſis, quòd cædem virorum lamentarentur,
ne-

necari juſſit. Sacerdotum, & maximè Monachorum ſtrage ac ſanguine omnia Monaſteria inundârunt. Multos tetris carceribus conditos fœtore, fame, ærumnis conſumpſit; alios unco tractos per urbem atq; omnibus cruciatibus tortos laqueo ſuſpendit, abſciſſaque inde veſte, antequam exanimarentur, exenterari ſecarique in partes juſſit; alios vivos circumdatis flammis combuſſit: in quibus eximia conſtantia Carthuſianorum fuit, quorum integrum Londinenſe Collegium, juxta juvenes ſenesque varie laceratos necavit, quod ſe dicerent, prohiberi Religione, ne Regem ſacrorum Principem appellarent; ut utra major, inſani ac furentis Regis immanitas, ac Monachorum ipſorum, ne fidem Religionis dehererent, in perferendis cruciatibus animi firmitas fuerit, diſcerni haud facilè poſſit. Libet ſubjicere judicii formam. Adducebantur vincti ante Judicum Tribunal, inter quos dignitate ac ſævitiâ eminens Cramvelius quidam quærebat ab reis, an Regem ſacrorum in Anglia Principem agnoſcerent. Conantes declinare tam præciſæ interrogationis telum, ac ſe Regi omnem cultum, fidemque quæ divinis juſſis non adverſaretur, debere profitentes, interpellabat Cramvelius, exigebatque ut ſine exceptione ulla, Regi tam divinarum quam humanarum rerum jus arbitriumque tribuerent; tergiverſantes, ac Religionem objicientes, carnifici ad ſupplicium ſtatim tradebat, atrocius in eos qui conſtantius
reſpon-

reſpondiſſent. Ab eadem cauſa Franciſcani, quorum erat in Anglia ingens numerus, edicto Regis capti uno tempore omnes, & in vincula conjecti, ac diu rerum omnium egeſtate vexati ſunt: quorum cùm aliquot ſtatim occidiſſet, reliquis partim oblivione Regis, partim unius è miniſtris ſtudio producta magis vita, quàm conceſſa eſt: nam denique omnes aut palam ſupplicio affecti, aut fame necati, aut malis diuturni carceris confecti periêre: Quorum unus Joannes Foreſtus, quia ſanctitate emineret, atque adeo quia Catharinæ Reginæ plures annos à ſacris fuiſſet, eique piam ac fidelem operam navâſſet, exquiſitis cruciatibus eſt occiſus: brachiis enim deductis, & ferrea catena ad patibulum revinctis, pendentem ſubjecto igne, lento ſupplicio tamdiu torruerunt, donec totus inaſſatus atque exuſtus exanimaretur. Poſtremò ipſum Cramvelium, à quo incitari ſævitia ejus conſuevit, & quo crudelitatis miniſtro diu fuerat uſus, interfecit, iratus illi, quòd auctor implicandi ſe Germanorum fœderi extitiſſet, atque ei in ſuſpicionem Lutheranæ hæreſis veniſſet. Ita Cramvelius, qui ſævienti Regi materiam ſubjicere, & per ludum ac jocum ſupplicia exercere, & atrocia in inſontes exempla edere, ac ſæpè cum voluptate ac riſu ſpectare erat ſolitus, lætum ipſe populo ſpectaculum ſupplicio ſuo præbuit. Id quoque in Henrico mirum videri poteſt, quòd qui à communione & ſocietate Eccleſiæ & Pontificum Maximorum fide non deſci-

deſciverat ſolum, ſed hoſtilem in eos animum induerat, eidem tamen hæreticos cujuſvis ſectæ omnes acriori prope, quam nos odio inſectaretur. In utroſque certè veluti ex æquo nocentes pariter animadvertit. Nam damnatos fortè quatuor Calvinianos cum tribus Catholicis eodem tempore, eodemque ſupplicio affecit. Rarum exemplum! ſimul damnari, ſimul duci, ſimul puniri, quique defendiſſent Catholicæ Fidei pietatem, quique oppugnaſſent, ac parem pœnam tamdiſpari cauſæ conſtitutam. Per omnes denique ordines ſuppliciis graſſatus, multa hominum millia carnificum manibus interfecit. Crudelitatem ſecuta avaritia eſt. ſublatis Templorum Sacerdotibus, Templa ipſa per Inſulam omnia [illegible] prædam expilavit, auro, argento, donariiſque atque omni ſacrorum inſtrumento apparatuque detracto, latiſſimoſque fundos juſtis Dominis per ſupplicia extinctis, ſibi ac fiſco adjudicavit. Nec contentus tam fœda expilatione, delubra omnia polluiſſe, ne quid ſanctum, inviolatumque inhumanitati ſuæ relinqueret. Thomæ Becheti Cantuarienſium Archiepiſcopi quadringentos ante annos ob defenſam conſtanter Religionem ac jura ſacrorum fortiter vindicata, interfecti, & in Divorum inde numerum ob edita miracula relati, ſepulcrum, direptis donariis, diruit, ac viri ſanctiſſimi reliquias oſſaque disjecit ac diſſipavit; ipſumque pro Divo haberi, aut omnino ullum ei cultum honoremque tribui vetuit. At ne nova

qui

quidem nupta, poſtquam amplexibus ejus exſa-tiata libido eſt, ſævitiam ejus effugit. Quam adul-terii compertam cum Georgio fratre, ac reliquis flagitii ejus ſociis, capite plecti in foro juſſit; ac die poſtera Joannam Semeriam duxit, cui partu-riendi difficultate graviter laboranti luxatis ei omnibus membris, quò partui egreſſum patefa-ceret, necem attulit: ſive, ut alii tradidêre, ante-quam exanimaretur, ſecari uterum, atque extrahi fœtum, imperavit, maturum, & qui patri ſuper-fuit, regnavitque. Tam atrociter matrimonia ex-ercenti, quartæ tamen non defuere nuptiæ Annæ Clivenſium Reguli filiæ. Quam ipſam libidinoſo, & novas quotidie formas appetenti minùs pla-centem, ſeptimo, poſtquam duxerat, menſe dimi-ſit; & Catharinam Havardam inſigni pulchri-tudine & mollioribus commendatam moribus duxit. Verum ne in hanc quidem clementior eſt inventus: pari enim crimine ac priorem An-nam, damnatam publico ſupplicio affecit. Atque ad ſextas inde nuptias tranſiit Catharinæ Pariæ; quam ut potiretur, virum cui nupta erat, fraude ſuſtuliſſe eſt creditus. Ac ne ſic quidem effrena-tam libidinem domi continuit, quin per Matro-narum nobilium ſtupra vagaretur. Sed usque ad-eo licenter, & legibus & hominibus illuſit, ut qui uxores contra omne jus atque fas ex libidine du-cere, ac dimittere cõſueſſet, legem de nuptiis fer-re, ac matrimonii jura ſtatuere, matrimoniorum everſor nõ ſit veritus, ſanciveritque, ut inter quos

conſenſu primùm, deinde etiam concubitu contractæ nuptiæ eſſent, iis vera conjugii neceſſitudo, quæ niſi morte dirimi non poſſet, maneret: immemor prorſus, non Catharinam modò ab ſe, ſed Annam Clivenſem paucis ante diebus repudiatam fuiſſe. Nec magis pius in Mariam filiam, priore uxore, Cæſaris matertera, natã, fuit, (filius enim eadem matre natus adhuc infans decedens paternæ ſævitiæ injuriam præmaturâ morte effugit.) Hanc inviſam, quia matris ignominiæ indoluiſſet, & à priori Religionis fide abduci ſe non patiebatur, abjectam, ſervilemque in modum habitam, lege de conſilii ſententia lata, ut matrimonio non juſto ortam, paterni Regni hereditate privavit; translato jure in Eliſabetham novo matrimonio genitam, quam & Principem Angliæ appellavit; quanquam id quidem ultimis annis cùm pœnitere eum impii conſilii flagitiorumque cœpiſſet, mutavit, ac teſtamento Eliſabethæ prælatam, primo loco pòſt filium heredem dixit. Per hæc ſcelera cùm creſceret illi ex ipſa ſævitia ſæviendi materia, & plerique Principum tenaces priſcæ ſacrorum diſciplinæ, in peregrinos ſe ritus compelli non ſinerent, execrarenturque inde liberiùs Tyranni mores, etiam gravis eum ſeditio excepit, & aliquot populi arreptis armis priſcæ Religionis jus vindicaturi videbantur. Sed Henricus miſſis, qui blando alloquio mulcerent iras, atque prolixè omnia pollicitus, quæ multitudo poſtulaſſet, ſedavit in præſentia tumultum, &
mox

mox per varias cauſas traditos in cuſtodiam multitudinis Duces, numero ad triginta interfecit. Poſtremò tot facinorum conſcientia ſtimulante animum, ſibi ipſe inviſus eſſe cœperat. Nam ſcelera plerumque auctoribus ipſis in ſupplicium vertunt. Ac ferunt, cum quotidianis prope conviviis & comeſſationibus ſtudioſè operam dediſſe, ut multo vino obruta mens à cogitatione tot facinorum, & prioris vitæ atque gloriæ memoriâ averteretur. Cujus deſiderio ſæpe ingemuiſſe eum, nec lacrymis temperaſſe ſatis conſtat. Ultimis annis cùm Regnum peregrinis Religionibus oppletum, atque omnibus ſectis doctrinisque patefactum animadverteret, (neque enim reſciſſo vinculo; quo Eccleſiæ Catholicæ jungebatur, arceri Angliâ ullis pœnis hæ peſtes potuerunt,) ſeq; ingenti omnium odio invidiaque flagrare ſentiret, ſui adeo pœnitere eum cœpiſſe, Britanni ferunt, ut de reconcilianda gratia cum Pontifice Maximo agitâſſe, idque Regi Galliæ primùm, deinde Epiſcopis aliquot Regni ſui aperuiſſe affirment. Sed rationem viamque ejus rei exquirentem mors intemperantiâ, ac nimiâ ſaginâ corporis accerſita oppreſſit: virum cujus neque virtutes, neque vitia exponi ſatis pro merito, tradique poſſe videantur; in eo certè memorabilem, quòd repente vitam, mores, ingenium, ſeque ita immutavit, ut ab numine aliquo transformatus in alium videri potuerit.

DE
Thoma Volſæo, Cardinale Eboracenſe.

THomæ Volſæo genus non novum modò & obſcurum, ſed humile etiam atque ſordidum fuit: Patre Lanione, & pari matre genitum ferunt, a quibus puer ad ludos eſt deductus, non in ſpem doctrinæ ullius, aut dignitatis, ſed ut primas modò literas diſceret, quarum ipſi expertes erant. Sed ille ingenio ac ſtudio ſuperata parentum expectatione, etiam tinctus liberalibus diſciplinis evaſit: & mox majorem fortuna ſua animum ſumens, Sacerdotii neſcio quid adeptus, in Regiam irrepſit, in qua paulatim ſuccreſcens, tandem ad Henricum ipſum Regem inſinuandi ſe aditum eſt nactus; apud quem primò ingenio atque induſtria probatus, mox obſequio & aſſentatione plurimùm valuit, donec gratia & auctoritate tantus fuit, ut Rex ſæpè curas defugiens, onus omne Regni in ipſum rejecerit, tantâ fidei induſtriæque ejus fiduciâ, ut permiſſa uni, laxataque rerum omnium ſumma, Regis tantùm nomine penes Henricum manente, jus atque imperium in

ejus

ejus arbitrio ac poteſtate relinqueretur; plurisque facerent homines in publicis privatisque rebus Volſæum in ſuam ſententiam adduxiſſe, quàm Regem. Quippe quod ille cenſuiſſet, ratum erat, Regis voluntas facilè auctoritati ejus cedens mutabatur. Hinc ad Eboracenſem Archi-Epiſcopatum prædivitem, & magnæ dignitatis apud Anglos evectus, atque ingentibus auctus copiis, etiam Cardinalis, Rege id ſtudioſè petente, ut crearetur, à Julio II. Pontifice Maximo impetravit. Quâ tempeſtate tres maximi Chriſtianæ Reipublicæ Reges trium Cardinalium conſiliis regebantur: Cæſar, Matthæi Langi, Gurcenſis; Rex Galliæ, Georgii Amboſii, Rhotomagenſis; & Henricus hujus Volſæi, Eboracenſis; in quo robuſtum ſanè ingenium, plurimùm ſolertiæ, & in expediendis explicandisque magnarum rerum conſiliis prompta calliditas atque induſtria fuit. Magnitudine Henrici atque auctoritate omni, quæ maxima erat, in hunc redundante, ne apud cæteros quidem Reges non magno in pretio atque honore fuit. Anno M. D. XX. cùm in colloquium Franciſcus & Henricus Reges veniſſent, ejusque rei cauſa, & Britannus in continentem trajeciſſet, & Gallus ad ultimos Belgarum fines acceſſiſſet, & poſitis medio in campo duobus admirandi operis tentoriis, in quibus ſe Reges mutuâ humanitate invitarent, acciperentque, certaret uterque oſtentatione opum, tertium

Thomæ tentorium haud minus magnifico apparatu eſt poſitum, ut per omnia Regibus ipſis æquari Lanii filius videretur. Sed ampliſſimis quoque muneribus, magnisque annuis penſionibus, & omnibus officiis cùm ab eodem Franciſco, tum a Carolo Cæſare certatim ſemper eſt cultus, & ab utroque honorificentiſſimè appellatus. Siquidem Franciſcus ad eum ſcribens, Fratrem nuncupare erat ſolitus: Carolus Cæſar diu litteras aliter, quàm manu ſua ſcriptas non dedit, in quibus ſe Filium ſubſcribebat. Sed ille in Franciſcum propenſior ferè fuit occultis ſtudiis, & magis fidis: ſive ingenio Regis ſimplici, aperto, liberali delectatus; Carolum magis tectum & ab Hiſpanico faſtu minùs patentem ſibi aſpernabatur: ſive emptus, corruptusque Gallico auro, cujus fuiſſe avidiſſimum eum conſtat: Quippe opes congeſſit tantas, ut prope Regem ipſum magnitudine pecuniæ ſuperarit. Hoc igitur fortunæ proventu animum naturâ elatum ac tumidum, quod ferè vitii novitas, & repente collecta pecunia habet, eò ſpe & cupiditate extulerat, ut perpetuam Legationem Britanniæ, Galliæque, & vicariam Pontificis Maximi poteſtatem in ampliſſimis Regnis ſperare, & petere à Clemente VII non ſit veritus; cui & Franciſcus aſſentiri, & Clemens ipſe non abnuere, ne cupidum ac ſuperbum offenderent, videri volebant; magisque arte ducta, dilataque ab utroque, quàm rejecta ſpes & poſtulatio ejus eſt. Quin ipſum quoque

Pon-

Pontificatum Maximum affectâſſe eum, ſunt qui tradunt, fovente de induſtria, atque alente ſpem ejus Cæſare, quò per illum in ſuas partes Henricum traheret, ſociumque Gallici belli haberet. Verùm victis demum magno prælio apud Ticinum Gallis, & Franciſco eorum Rege capto atque in Hiſpaniam abducto, facilè vanas hominis ſpes deſtituit. Quod Volſæus ut ulciſceretur, auctor Henrico repudiandæ uxoris fuiſſe creditur. Poſt nuncium captæ à Cæſarianis urbis Romæ, & obſeſſi in arce Clementis, ab Henrico in Galliam miſſus, tantis honoribus acceptus eſt, ut majores haberi ne ipſi quidem Regi potuerint. Atque ille quidem haud ſecùs, quàm ſi omne in ſe captivi Pontificis jus translatum fuiſſet, ita omnia pro libidine diſponebat. Nam unum è proceribus Galliæ, quem Clemens petente Rege, Cardinalem deſignaverat quidem, ſed tempus renunciandi eum diſtulerat, aſſumere honoris ejus inſignia, ſeque pro Cardinale habere juſſit. Nec Joannes Salviatus, qui Legatione apud Regem fungebatur, objicere ſe Pontificium jus uſurpanti, ne alieno ac difficili tempore offenderet, eſt auſus. At etiam Cardinales omnes evocare per literas Avenionem non dubitavit; ſpecie quidem conſultandi de Pontifice in priſtinam libertatem vindicando, re autem cupidine improbâ, ſi quis caſus Clementem & ab hoſtibus circumſeſſum, & dolore tam adverſæ fortunæ feſſum, atque ex eo valetudine parum firmâ oppreſ-

 ſiſſet,

ſiſſet, Pontificatum Maximum per factionem invadendi. Sed à Cardinalibus immenſa tam ſtulti hominis ambitio facilè eſt per varias fruſtrationes eluſa. Apud Britannos in maxima ſemper invidia fuit; quam incendebat, onerabatque non humilitas modò generis, & immodicæ opes, quæ in bonis quoque ac moderatis invidioſa eſſe ſolent; ſed inſolentia hominis atque faſtidium, quo ſe ita efferebat interdum, ut ni vitia ejus immota atque conſtans gratia Regis ſuperaret, toleraturi Britanni eum fuiſſe non viderentur. Namque ille demiſſa ac propè ſervili adulatione adverſus Regem, in cæteros regio faſtu agebat. Principes gentis, magnæ viri fortunæ ac nobilitatis, ſive obſervandi ejus, ſive rei ſuæ cauſa adeuntes, oberrantesque cubiculi ſui foribus non modò ſpernebantur ab ipſo, ſed janitoribus ejus ludibrio erant, à quibus aditu ſæpè excluſi, abire cogebantur. Ipſam vero Reginam vel florentem mariti gratiâ non oderat ſolùm æmulatione potentiæ, & ira in Cæſarem, cujus illa matertera erat, ſed etiam deſpici ab ſe videri volebat. Quæ res muliebre odium magnopere commovit, quod diu tectum, diſſimulatumque aliquando in apertas contumelias minasque eruperat, Reginam impotenti ira ulturam ſe aliquando ſuas injurias, atque ſordidi Fartoris arrogantiam malo repreſſuram minitante. Quæ minæ quamvis per ſuperbiam ſpretæ à Vollæo ſint, tamen in animum ejus alte deſcenderunt. Ricardus

Sil-

Sillerius Britannus, vir primæ apud ſuos nobilitatis, & æqualis temporum illorum, & patriæ rerum maxime peritus, quo cum mihi ſanè perfamiliaris uſus atque amicitia interceſſit, libellum à ſe conſcriptum mihi oſtendit, quo ab hac Volſæi cum Regina ſimultate orſum initium tradit malorum, quæ Angliæ Regnum tot Principum cædibus ac ſanguine cruentatum, tantis inteſtinis cladibus fractum, demum à Chriſtianis ſacris, & Catholicæ Eccleſiæ fide averterunt; culpamque omnem confert in Volſæum, cujus pectus tumidum fiducia fortunæ, altius quam æquum fuit, Reginæ convicium penetravit. Qui ingenti inſuper in Cæſarem ſtirpemque ejus odio, & inclinatione in Gallum incitatus, ut acrem animum ad vindictæ cupiditatem intendiſſet, primum Regi ſcrupulum injeciſſe Ricardus ſcribit, Reginam veram conjugem eſſe non poſſe, quæ ante in matrimonio fratris fuiſſet, quando id divinæ vetarent leges, quas ſolvere ne Pontifici quidem Maximo jus eſſet. Non aſpernante ſermonem Rege, adhortatus Volſæus eum dicitur, ut de ea repudianda cogitationem ſuſciperet: qua una re & alienæ conſuetudine atque concubitu ſe liberaturus, & animum gravi crimine exſoluturus eſſet, & alia inde ducta, in ſpem virilis ſtirpis venturus, qua & indigne careret, & fruſtra ex ſterili atque effœta expectaret; nec aliud felicitati ejus deeſſe, quam marem filium, quo ſibi ſuiſque firmaret

 Re-

Regnum, & genere ac familiæ nomine propagato, poſteritati quoque conſuleret. Neque enim defuturam ei in Gallia Regii ſanguinis uxorem, & Clementem Pontifiem Maximum tum è cuſtodia elapſum, ac tanta ac tam recenti à Cæſare injuria cladeque affectum, ac multis difficultatibus circumventum, & quacunque re demereri ac devincire ſibi Regem cupientem, haud difficulter paſſurum impetrari à ſe, ut irritas priores nuptias & contra ſacratas leges factas declararet. Quod cum Henricus & tædio defloreſcentis uxoris, & cupidine liberorum, & occulto Annæ Boleniæ amore ſaucius avidè conſilium arripuiſſet, in tantam ejus rei libidinem præcipitavit, ut qui ornamentum ac præſidium antea fuerat, peſtis ac dedecus ingens Chriſtianæ Reipublicæ evaſerit; facinoraque illa atque immania ſcelera ediderit, quæ nos ſuprà, cum de eo ageremus, attigimus. Alii Volſæum non auctorem fuiſſe repudii, quo Regem ſua cupido, & amoris intolerantia, & aſſiduæ Boleniæ inter blanditias preces impulerunt; ſed foviſſe modò ſpem ejus, ut interea Regina ſeponeretur, ut ſi mos Regi à Clemente geſtus foret, Renatam Franciſci Regis conjugis ſororem matrimonio ejus deſtinâſſe, (ea erat Aloyſii XII. filia, quæ poſtea Herculi Ferrarienſium Duci nupſit,) ſic enim & ſpem Reginæ præciſum iri, mariti gratiam recuperandi; & Henricum hinc inuſtâ Cæſaris domui tam

tam inſigni macula, amicum ei nunquam poſtea fore: hinc Regi Galliæ arctâ affinitate junctum ab amicitia ac ſocietate ejus nunquam diſceſſurum. Verum hæc verſute ac ſubtiliter cogitata a Volſæo non multo poſt illi exitii cauſa fuêre, ut ſæpè improba mens in auctoris vertitur pœnam. Nam Bolenia in torum conſortiumque recepta Regni, & Regis novo amori indulgentis potens facta, crebris criminationibus Henrici animum à Volſæo, quem matrimonio ſuo adverſatum inexpiabili odio perſequebatur, penitus alienavit: qui jam antè vilior Regi eſſe cœperat, poſtquam à Clemente de ſuo divortio, contrà quam affirmans pollicitus fuerat, impetrare nihil potuerat. Igitur penes quem nuper ſumma rerum omnium poteſtas erat, in quo præter nomen Regis, regia potentia, regiæ opes, cultusque ac ſplendor regius conſpiciebantur, repente prohibitus regia, ab omnibus deſeritur: nec aliud in domo ejus, quæ modò obſervantium atque adeuntium multitudinem non capiebat, quam metus, & mœror, & ſolitudo videbatur. Mox mulctatus omni pecuniâ, ſpoliatusque fortunis omnibus, abjectus & inops Eboracum ad curam ſacrorum relegatur, lætantibus cunctis, & increpantibus meritò afflictum; miſerationem enim omnem ſuperbia exemerat. Sed inimici haud ſatis depreſſum, qui erigi aliquando, ac reſurgere poſſe crederetur, rati, timentesque ne

ne rediret tandem Regi deſiderium viri, ſeu memoria dignitatis, ſeu neceſſitudine operæ ac induſtriæ ejus: eaque inde calamitas ultro iis in perniciem verteret, ni properarent ipſi, atque anteverterent, dum recens ira patentes aures criminibus præberet, urgere ac penitus tollere hominum ſtatuunt. Confictis literis, quas ab eo ad Regem Galliæ miſſas intercepiſſe ſe ajebant, quibus arcana cum Franciſco conſilio agitare, & res novas haud dubiè moliri videretur, ſubdunt accuſatorem, qui eum Majeſtatis poſtularet. At Volſæus vocatus à Rege ad dicendam cauſam, in itinere, ira ac dolore ferocem atque aſperum animum incendente, in febrim incidit, cujus vim ſuſtinere non potuit. Ita opportuna morte, imminenti morti eſt exemptus. Neque enim dubia damnatio, ac ſupplicium ejus vel inſontis futurum fuiſſe creditur.

DE

DE

Joanne Fiſhero

Epiſcopo Roffenſi,

&

Thoma Moro,

Britannis.

Exempla caſuum humanorum nuſquam alibi crebriora, quam apud Britannos invenias; apud quos vis ac poteſtas nimia Regum ſæpe in Principum cædes ſuppliciaque erumpit. Nec Regum ullus plura quam Henricus, de quo ſupra retulimus hujuſcemodi exempla, ſuppeditavit: tot viris fama, genere, opibus claris truculenta rabie necatis, ob negatum ſibi divinarum rerum jus, quo ſe in Anglia ſacrorum Principem & Caput Eccleſiæ appellari, haberique volebat, ut tantæ crudelitatis cauſa crudelitate ipſa importunior ac deteſtabilior eſſe videatur. Nos perpauca ſelegemus. Maxime autem illuſtria fuiſſe ſunt viſa, quæ in Joanne Fiſhero, & Thoma Moro idē edidit Henricus. Quā quidē virorū ipſorū dignitas atq; virtus haud

haud minus quam fortuna, atque amplitudo nobilitavit. Nobis conjungere utrumque, atque in unam conferre narrationem, titulumque, conſilium fuit, quod eodem mortis genere, iisdem diebus, ab eodem Rege eandem ob cauſam interfecti, parem quoque conſtantiam in perferenda injuria præſtitêre; pari uterque gratiâ apud ipſum floruerat Regem; denique pares utrique doctrinæ atq; innocentiæ laudes ſummo omnium conſenſu tribuuntur. Fisherus Epiſcopus Roffenſium fuit, in eoque obeundo atque implendo munere magnopere hominis diligentia ſanctitasque enituit. Nam & ſacra piè caſteque procuravit, & commendatos fidei ſuæ populos in cœleſtis vitæ præceptis, gravibus crebrisque concionibus ſtudioſe erudivit, & ſalutaribus legibus revocatis, aut novis conditis ita corruptiſſimo ſæculo rexit hominum mores, ut ſpeciem antiquæ probitatis in ſuis hominibus retuliſſe videretur. Et ut religionis ſtudio, & amore in populos curæ ſuæ traditos, non cupidine aut ambitione ullâ hæc ita facta inſtitutaque fuiſſe ab illo, intelligas, ne Regis quidem auctoritate adduci unquam potuit, ut ſe ad ampliorem opulentioremque Eccleſiam transferri pateretur. Negabat enim, deſerturum ſe ſponſam, quæ prima obtigiſſet, & in qua ornanda excolendaque tantopere laboraſſet. Ad hæc ſcriptis atque editis libris Catholicæ Fidei pietatem illuſtravit, confutavitque Hæreticorum pravas opiniones, & maximè Martini Lutheri

theri cauſam egregio volumine jugulaſſe eſt viſus, ipſo ſtatim initio furentem aggreſſus. His excellentem religionis atque ingenii laudibus Henricus præclarus tum veræ virtutis fautor, Londinum ad ſe evocavit, ac adjutus maximè ab illo eſſe creditur, in eo componendo & conficiendo libro, quem Henricus ad Leonem X. contra Lutherum ſcriptum vulgavit. Cæterum, Fisherum & in præcipuo ſemper honore atque dignitate habuit, & multis ac magnis in rebus opera & conſilio ejus eſt uſus: donec ex ſummo illo, ac præſtanti & viro & Rege, in tetrum ac ferum mutatus, omnia jura humana divinaque libidini ſuæ ſubjecit, ac furiis & furore percitus confudit & perturbavit. Reginæ injuriam, feminæ clariſſimo genere, claro item Rege ortæ, ſpreto Pontificis Maximi judicio, tum contumelioſe Regno conjugioque abjectæ cum omnes ingemuêre boni, tum prudentiſſimi quique id veluti futurarum cladium omen acceperunt. Quidam ne illa videre, neu ſermones hominum, vultusque, & inde offenſionem incurrere Regis cogerentur, per excogitatas ſibi quisque cauſas, Republica Regeque omiſſo, Londino domum diſceſſere. Quibusdam manere, & rem ſibi non probari haud obſcurè ferè audacia fuit: atque in his fuere Morus & Fisherus, quibus ab optimæ mentis conſcientia inſtar culpæ eſt viſum, ullius metus ſuſpicionem præferre, & ut Regia haud inviti ceſſere; ita ab oculis civium abſcedere,

neutri

neutri conſilium fuit. Et Rex implacabilem in hos iram conceperat, quod ipſo ſtatim initio conatui ejus adverſati fuerant, & palàm Reginæ faverant cauſæ; cum utriusque ſumma dignitas, ſummaque apud omnes prudentiæ atque integritatis opinio eſſet, eorum auctoritate magnopere multitudinem permoveri intelligebat. Ergo utrumq; poſt abjectam Reginam in vincula conjecit, ac diuturno quindecim menſium carcere maceravit. Interea lata lex eſt de Concilii ſententia, quod ſanctius ipſi habent, & delectis ex omnibus Regni Ordinibus conſtat, quâ ut ſummus in Angliâ Arbiter ac Magiſter ſacrorum, &, ut ipſe ſe dixit, ſupremum Eccleſiæ Caput Rex ab omnibus & haberetur & appellaretur, ſciſcebatur, capite ſanciens ſi quis huic legi aſſentire abnueret. Quod adeo exactum ab omnibus eſt, ut ne tacitis quidem, diſſimulare rem non novam modò, nec antè auditam, ſed impiam prorſus & execrabilem liceret. Interrogabantur enim nominatim omnes quicumque in aliquam Regi ſuſpicionē veniſſent, & ante alios à Fishero & Moro, quid de ea lege ſentirent, eſt quæſitum. Etſi enim hos maximè oderat Rex, quibus ſua ſcelera, etiam arcana cognita eſſe haud ignoraret; tamen, quia magnum ad multitudinem pondus habiturum videbatur, ſi & novam legem, & remiſſum Reginæ nuntium approbaſſe, viri pari doctrinæ atque innocentiæ fama ſpectati dicerentur, magnopere eos trahere in ſententiam cupivit: ac

ſæpè,

ſæpe, qui conſtantiam tentabant, atque eos ad gratiam Regis recuperandam, omiſſa pertinacia, hortarentur, unde non libertatem modo iis, ſed reditus quoque ad priſtinam dignitatem eſſet futurus, ſummiſit. Verum illi, ut dignum moribus atque anteacta vita fuit, neque ſpe, neque metu abduci a fide ac ſtudio veri unquam potuerunt. Et Fisherus quanquam imbellis valetudine, & gravi ætate, & carceris ſqualore incommodis, etiam libros ſcripſit, quibus de matrimonii ſanctitate, deque nova Regis appellatione luculenter ſuam eſt ſententiam perſecutus: quos poſtea libros Henricus magna diligentia conquiſitos, ſupprimendos abolendosque curavit. Interea Romæ Paulus III. Pontifex Maximus, quo Regi verecundiam, ultra ſæviendi in virum tantis & literarum & fidei ornamentis præſtantem, injiceret, ſimul conſtantiam & virtutem ejus remuneraret, eximioque honore illuſtriorem redderet, cumulatum ampliſſimis atque veris laudibus in Cardinalium Collegium cooptavit. Verum, quod ſedaturum remoraturumque acerbitatem, atque impetum Regis crediderant homines, apud trucem atque efferatum animum irritamento, ad exſatiandam immanem rabiem, accelerandumque ſanctiſſimo viro exitium fuit. Eo quippe honore perſtrictum ſe contumelia, atque injuſtum importunumque odium in virum, cujus virtus exteris luceret nationibus, ſibi exprobratum exiſtimans, atque inde iram intendens,

conditionem Fiſhero ferri juſſit, aut Regi, quod leges Patriæ in ſanctiori Angliæ Concilio latæ honoris decreviſſent, ratum haberet, atque in id jusjurandum daret, aut ſupplicium quod Majeſtatis violatoribus deberetur, ſubiret. Cum ille cumulatum ſe quidem omnibus honoribus Regem cupere, ſed qui tribui ſalva religione poſſent, reſpondiſſet, productus, ut mos genti, ad Judicum Tribunal ſiſtitur, à quibus indicta pœna, ut per urbem unco tractus, poſtremò ſtrangulatus laqueo ſuſpenderetur. Quo facto nihil tam ignominioſi ac fœdi ſupplicii denuntiatione territus, in carcerem eo die eſt redactus. Non multò poſt, ad X. Kalend. Julii, conceſſo minus turpi genere mortis, ſecuri eſt percuſſus, cum antè omnibus coram precatus Deum eſſet, ut Regi cum proſpero ac ſecundo vitæ curſu ſanam bonamq; redderet mentem. Caput ejus, cui tributa paulo antè purpurei galeri ornamenta deberentur, quo majori ludibrio ſpectaculum atrocius populo præberet, prælongæ haſtæ infixum, oſtentari in eodem foro, in quo truncum jacebat cadaver, Henricus juſſit. Quod nullo turpi pallore deforme, & adhuc conſtantiam, quâ ſenile guttur feriendum carnifici præbuerat, in vultu retinens, multi, oblitimetus, ac perpetuæ hominis innocentiæ ſanctitatisque memores, venerabundi cum lacrymis fletuque adoraſſe dicuntur; eoq; amotum Regis juſſu, ne quid tumultus in multitudine excitaret. Ferunt, non multos ante mortem dies perlatam

ad

ad eum Cardinalatus ſui famam, acceptamque læto animo fuiſſe, dixiſſeque,id purpurei coloris inſigne datum Cardinalibus eſſe, ut meminerint, vitam atque ſangninem, cum uſus poſceret, pro fide ergà Catholicam Eccleſiam non dubitanter perfundere: id unum ſe honoris ejus munus brevi impleturum. Tertio decimo poſt die, quam Fisherus ab inſano ac furente Rege infando decreto eſt occiſus, eadem procella ac turbine immitis animi, Morus quoque eſt abreptus. Is magnam ingenii vim, quam naturæ munere fuerat adeptus, egregiè ingenuarū artium ſtudiis excoluerat: eò majori conatus ejus,atque ſolertiæ admiratione, quod pedem non ſolum Inſula, ſed Londino, ubi erat ortus nunquam extulit; ibique non aliis ferè, quam qui in ludis mercede docent, in prima ætate uſus præceptoribus, non Latinas modò, ſed Græcas quoque literas perdidicit, atque in omni liberali diſciplina magis contentione animi, & ut dicitur, marte ſuo,quam ullis Doctorum adjumentis usque adeo profecit,ut mox prolatis validi, excultique ingenii monumentis, magnopere inclaruerit. Quorum præcipua approbatione eſt acceptum volumen, quod Utopia inſcribitur; in quo novæ Inſulæ commento optimæ Reipublicæ leges formamque exprimere eſt conatus. Aliarum gentium res,mores, inſtituta percunctando legendoque, magnâ in id curâ ſtudioque adhibito, explorata cognitaque habuit, & exterorum amicitias eruditionis fama conci-

litas abſens diligenter coluit. A juris civilis ſtudiis, quibus adoleſcens intentam operam impendit, ad cauſas agendas in forum cum deſcendiſſet, & neque malas ſuſciperet, & bonas ſummo ſtudio conatuque defenderet, brevi, fide atque induſtria tantum ſibi nomen inter omnes fecit, ut unus maxime cujusq; cauſæ patronus adoptaretur. Ab harum igitur fama & commendatione artium adſcitus in Regiam, ac rebus adhibitus, & gravis & conſtantis tum animi, tum conſilii ſpecimina dedit; tantaque in homine ad magnas res, & gerendas & ſuſtinendas indoles enituit, ut eum Henricus Cancellarium Regni creaverit. Cujus Magiſtratus ea vis atque dignitas eſt, tantumque ei Anglorum legibus tribuitur, ut Regi proxima auctoritas habeatur, cuſtodiæque ac poteſtati ejus Regium Sigillum, quo Literæ ac Tabulæ publicæ obſignantur, tradatur. In quo quidem ille Magiſtratu non prudentiæ atque induſtriæ minores, quam integritatis, fidei, modeſtiæ, religionis, humanitatis laudes eſt promeritus. Quibus virtutibus & Regi percarus, & magnâ apud omnes gratia fuit, magnum quoque apud exteras nationes nomen famamq; adeptus. Sed tanta ac tam illuſtria vitæ ornamenta facilè gloria mortis pro Chriſtianæ pietatis inſtitutis fideque conſtanter oppetitæ ſuperavit. Principio ubi Regem amore perditum ad cupiditatem repudiandæ Reginæ incubuiſſe ſenſit, pro ſua fide atque officio, quanta negotii moles moveretur monitū, ut matri-

trimonii fœdus ſanctum haberet, magnopere eſt hortatus. Deinde cum ob id alienatū haud dubiè à ſe intelligeret, ne aut aſſentiri, quod abominaretur animus, rei novæ ac peſtilentis exempli, præbere, aut gravius offenſæ cogeretur, reddito Regi ſigno, ſponte ſe Magiſtratu abdicavit, & a Regia ſe, Reque publica removens, quaſi familiarium rerum curis & ſtudiis literarum domi attineretur, raro in publicum prodire, & maximè congreſſus & cœtus vitare hominū inſtituit, haud ignarus, apud inſenſum aut invidia ſui, aut aſſentatione in Regem, multorum ſe criminationibus peti: ut mos Aulæ, dimotos ſemel loco delapſosque premendi certatim atque impellendi. Cunctabatur tamen Rex aggredi hominem inſontem, ac ſecundo claroque rumore apud vulgus, & cui adverſæ res favorem addidiſſe viderentur: donec abrupto non pudoris modo, ſed religionis quoque reſpectu, ac omni divino humanoque ſpreto jure, Reginam conjugio, Regiaque privatam in domum exegit, & cujus impotenti amore agitabatur, Boleniam in thorum ejus induxit, & impoſito ſolemni ritu diademate, Reginam appellavit. Tum demum [illegible] improbantibus indita vincula, & Morus, uti omnes detruſus in carcerem, & lex indicta, ut Rex [illegible] Principis, & ſupremi Capitis Eccleſiæ jus eſſet. Poſtremo, [illegible] ipſe, communem [illegible] [illegible] conſtantiam [illegible] ejus [illegible] [illegible] Fiſheri Morique [illegible]

peravit. Mos Britannis, rerum capitalium reos ducere ad Judicum Tribunal, ut coram aut diluant crimen, aut faſſi pœnam meritos ſe damnationi ſuæ aſſentiantur. Inter Judices (ſic præceperat Rex) ſedebant Dux Nortfolcii, & Cancellarius, qui Moro nuper in eo Magiſtratu ſucceſſerat. Hi recitatis, quæ crimini dabantur; quæ multa & attrocia erant, qualia impio ac nefario patriæ proditori objici poſſent, adductum in conſpectum Morum, nomine compellant, & quamquam ultima merito, tollentes verbis clementiã Regis, ſpem non veniæ ſolum, ſed priſtinæ gratiæ faciunt, ſi in animum induxiſſet, abſiſtere aliquando pertinaci ſententiâ. Morus tametſi inviſo damnatoque ſupervacuam defenſionem rebatur, tamen ne ſilentium, aut ſegnitiæ ſibi, aut ſuperbiæ, aut adeo conſcientiæ delicti alicujus verteretur, ſe verò nihil cauſæ videre reſpondit, cur ſententiæ ſuæ pœniteret; ſed ſibi adeo multa objici, ut feſſo debilitatoque diuturnâ valetudine carcereq; vereretur, ut ſatis memoriæ aut virium ad ea refutanda ſuppeteret. Tunc afferri Dux ſellam, & conſidere eum juſſit. Et ille multa paucis complectens, cunctaque ad duo capita revocans, Arguor, inquit, quod noviſſimi Regis conſilii, novæ ducendæ uxoris, veteriſq; repudiandæ diſſuaſor fuerim; nec ego inficior. Atqui quod ſentiebam, quodque minimè dubium arbitrabar, id ſumma cum religione atque fide pro ſententia attuli Regi; nec crimen hoc, ſed officium fuit.

Quid

Quid enim aut falſa pro veris, aut contrà quam animus ferebat meus, quod ſine perfidia ac ſcelere fieri non poterat, Regi ſuaderem? Et tamen ob id, quando fides in crimine ponitur, ſatis videri poſſum mulctæ, ſatis pœnarum dediſſe, qui bonis fortuniſque amiſſis, & in Fiſcum redactis, æternis damnatus vinculis, ſitu, ſquallore, ſordibus, ut cernitis, obſitus, quintum ac decimum jam menſem carceribus claudor. Alterum accuſationis caput eſt, negatus a me legi aſſenſus, qua Rex ſacrorum Arbiter conſtituitur. Quam legem conditam, poſt me conditum in carcerem, nemo veſtrûm ignorat: neque ego de ea appellatus ab uno Scribarum, qui miſſus ad me in carcerem venit, aliud reſpondi, quam iſta ad me non magnopere jam pertinere, quem capite diminutum, ac civium numero exemptum, legumque omnium expertem de legibus reſpondere quid attineret, qui denique, abjectis pridem humanarum rerum curis, ad cœleſtium contemplationem animum traduxiſſem. Id vos reſponſum ſeu contumaciæ mihi, ſeu cautioni, ſive etiam calliditati vertere malitis, ad atrocis certè atque capitalis rei crimen revocari ſilentium non poteſt, multò minus ego ob id Majeſtatis à vobis condemnari. Neque enim ullæ leges niſi maleficiis pœnas ſtatuunt, reticentiæ, ſanè nullæ. Hic cum unus Judicum interpellans, Eo ipſo, inquit, quod indicare te, & promere quid ſentires, jam aſtutè renuiſti, ſatis eſt perſpicue deprehenſus animus

alienus à lege tuus, ſatisque ex eo ipſe manifeſto Majeſtatis crimine teneris: neque enim cunctanter tibi, ſed apertè ac ſtudioſe approbanda lex fuit, quæ amplificandæ Regis dignitati ſit. Atqui, inquit Morus, Juriſconſulti aſſenſionis vim ſilentio tribuunt: quorum eſt dictum, tacentem conſentire videri. Et promptè quidem, nec dubitanter, quæ in honorem Regis decernuntur, amplecti atque comprobare omnes debent; ſed quæ Religioni non ſint, quæque divina ac ſacrata jura non prohibeant. Magna probis omnibus Regis auctoritas, magna legum, ſed major multò eſt Dei, & inſidentis animo non vanæ ac nuper adinventæ, ſed confirmatæ, conſtantis ac veræ Religionis, cui humanarum rerum prævertere quicquam, magnum eſt nefas. Ac etiam ſcriptæ à me è carceribus ad Fisherum literæ, in ſpretæ ac violatæ novæ legis crimen trahuntur. Quas ego literas proferri legiq; palam pervelim: ſed quando inflammatas dicitis à Fishero, ſic habetote, non aliud in iis, quam familiares & ſuetos nobis ſermones fuiſſe, & mutuas cohortationes ad contemptum rerum humanarum, quas fragiles fluxasque eſſe, magno uterque noſtrûm malo uſuq; didiciſſet. Unæ omnino fuerunt, quæ hanc attingerent cauſam. Cum enim ille ad me miſiſſet rogatum, quid ego nuper in quæſtione de nova lege reſpondiſſem, id modò reſcripſi, animum me meum officii ac Religionis memorem conſuluiſſe: idem ipſe faceret, nec (quod ſanctè affir-

affirmare poſſum) plura reſpondi; neque aliud his literis continebatur. Accuſator poſtremo, dixiſſe me in eadem quæſtione, legem hanc ancipiti gladio ſimilem videri, cujus eſſet acies utrinque acuta, ut in alterutram induci neceſſe videretur, ſic aut violandam Religionem, animumque fraude ac ſcelere inexpiabili obligandum, legem hanc ſi approbes, aut grave majeſtatis crimen ſubeundum, & corpus vitamque ſupplicio ac pœnæ obnoxiam habendam, ſi refutes. Cujus dicti culpam magnopere onerat Fisheri reſponſio eadem ſimilitudine uſi: unde conſpiratum inter nos condictumque inſimulamur. Equidem me ita memini locutum, ut non tam eſſe ancipiti acie hanc legem dixerim, quam ſi qua lex hujuſmodi ferretur, difficilem habituram alterius offenſionis vitandæ rationem. A Fishero reſponſum idem ſi eſt, id evenit ingenii, morum, & ſtudiorum ſimilitudine, non ulla inter nos noſtra conſenſione. Atque hæc à me ſic dicta factaque ſunt; ex quibus non ego improbè ac doloſe ad infirmandam infringendamque novæ legis vim feciſſe, ſed multa de me ad vos, Regemque falſo ac malitioſe delata fuiſſe convincuntur; neque meum crimen ullum eſſe hujuſmodi, ex quo capite damnari juſtè poſſim. Hæc cum Morus eſſet locutus, Judices ſuo more, conſilio habito, damnatum pronuntiarunt. Tum Morus, Non ignarus, inquit, decretum quid eſſetis, dubiis ambiguiſque reſponſis effugere

quæſtionis veſtræ laqueos, atque ancipites mucrones novæ legis, & falsò mihi objecta crimina paucis refellere ſum conatus, ſed ut illuſtrior judicii hujus calumnia iniquitasque appareret. At verò nunc quid de lege, ac de hoc toto Regis facto ſententiæ habeam, libet planiùs apertiusque diſſerere, quò meam ſaltem liberem penitus fidem, atque exſolvam. Septimus evolutus eſt annus, ex quo Rex cupiditate iſta dimittendæ uxoris agitari eſt cœptus, & mihi totum eſt hoc in libris literisque tempus conſumptum. Multa pervolvi legique volumina, maximè veterum illorum virorum, quorum non ingenii magis quàm religionis ac ſanctitatis gloria divinæ ſunt literæ illuſtratæ. Apud hos & matrimonium ejus juſtum verumque, neque aliter quàm alterius morte dirimi poſſe, comperi; nec ratio, nec exemplum extat ullum, ſacrarum rerum arbitrium atque jus ad profanos homines, aut alios quàm ſacratos viros, & ſanctiſſimo Sacerdotio præditos eſſe delatum. Sic dicere orſum, & ut videbatur, copioſam & maximè liberam orationem parantem, Cancellarius interrupit: Acnæ tu, inquit, More, tibi ſapiens eximiusque videris, qui plus intelligere, plus ſcire unum te putes, quàm homines Britannici nominis doctiſſimos; uniquc tibi plus tribui credique, quàm omnibus Britanniæ Epiſcopis, omnibus Principibus, omnibus denique Ordinibus poſtules. Ego verò, inquit Morus, mihi iſtuc non arrogo, qui pro uno Epiſcopo, qui legi

legi veſtræ ſuffragatus ſit, ſentientes mecum innumerabiles habeam viros, fide, doctrina, ſanctitate præſtantes, qui egregiis monumentis lumen Chriſtianæ diſciplinæ attulerunt, quique ob Religionem caſte atque integrè cultam, & miraculis affirmatam pietatem in cœlum ipſum provecti, atque in cœleſtium numerum relati ſunt: quibus certè plus auctoritatis, plus fidei, quam veſtris Epiſcopis debetur. Et pro uno paucorum aſſentatorum Concilio, in quo iſta conflata lex eſt, omnia ego afferre poſſum legitima & Oecumenica Concilia, quot ab condita Eccleſia ſunt habita; & pro uno non maximo Europæ Regno, & reſpectu Regis, metuque obſtricto, omnia Chriſtianæ Reipublicæ Regna, omnes Provincias objicere. Tum Nortfolcii Dux, Tandem, inquit, ſeſe, More, animi tui pravitas prodit. Cui Morus, Mihi, inquit, hæc dicere teſtarique, ut animum fidemque liberem meam, neceſſe fuit, quod non alia mente effari ac profiteri me, Deum invoco teſtem, cui perſpecta omnia, quem ne intima quidem hominum cogitationes fugiunt. Itaque ne hoc quidem reticebo, aut ignorare vos patiar, nullis mortalium leges contra Eccleſiam ferre, jus eſſe, ac vobis multò minùs id licuiſſe, qui ſanctiſſimo jurejurando obligati eratis, nihil unquam quod dignitati Eccleſiæ & Chriſtianis inſtitutis adverſari videretur, decreturos. Hujus ſacramenti religione vos quis exſolvit, aut omnino exſolvere potuit? Ecquid ſentitis, quo piaculo vos

vos Regnumque obſtrinxeritis; quæ pœna vos, quæ violati Numinis ira gentem Anglorum maneat? Sed video offendi aures, & vera monentis dicta aſpernari; nec ego obtundam vos pluribus, qui ſciam unum me hac noxâ cecidiſſe: neque enim reprobatæ legis crimen me, ſed mea conſtans, atque pia libertas inviſa Regi, meæ inconcuſſa fide plenæ voces & cohortationes ad non violandam conjugii, quod illi juſtum cum Regina erat, ſanctitatem, afflixit ac perdidit. Quo magis id unum dari à DEO Optimo Maximo Regi ſummè precor, ut fidelium ac proborum amicorum conſiliis utatur. His dictis in arcem, ubi arcta in cuſtodia habebatur, eſt reductus, comitante multitudine, ac viri indignam fortunam miſerante. Filia erat Moro, nomine Margareta, puella ingenii probi ac magni, & ex eo unice dilecta patri; à quo non honeſto modo, & perhonorifico ſemper cultu educata, ſed in liberalium quoque diſciplinarum ſtudiis, & Græcis & Latinis literis erudita fuerat. Hæc audito patrem abduci, oblita virginalis decoris, ſuique, proripit ſe domo, & ægritudine & dolore amens illi occurrit, & nihil ſtipantes ſatellites, nihil hominum verita turbam, per medios vadens, irruit in amplexum patris, atque arctè collum tenens, diu loqui aut verbum mittere nullum potuit. Quam Morus oſculatus, Age, inquit, filia, quod Deus Optimus Maximus ſtatuit de nobis, id tu moderato ac Chriſtiano animo

animo accipias, doloremque tuum ac ruinam domûs patientia vincas, teque patris innocentia conſolare. Sic divulſus ab ea, perrexit viam Morus. Puella dolore ac fletu immota aliquandiu ſtetit: tum iterum impotenti animo percita recurrens, in patris collum invadit; & Morus nihil magnopere commotus, firmo, ſed in quo patrius amor facilè emineret, vultu avulſam, iterum amplexu ſuo conſolatus, & ut patris animã Deo piis precibus commendaret, monitam reliquit. Biduò poſt in forum, quod ſpectandi cauſa ingens multitudo compleverat, Morus producitur; qui in concionem quidem aſcendit (nam mos genti, morituris poteſtatem populum alloquendi facere,) ſed perpaucis verbis tantùm teſtatus eſt, ſe nullius delicti adverſus Rempublicam conſcium eſſe ſibi, integramque Regi fidem & præſtitiſſe ſemper, & inviolatam ad mortem uſque afferre: deinde orare eos Deum juſſit, uti Regi amicos, miniſtros & conſiliarios, homines pios, & virtute ac fide ſpectatos daret: poſtremò, & pro ſe Deum orarent, ac precibus ſibi propitiarent, ab iis poſtulavit; ac ſimul ſe carnifici præbuit, à quo caput illi ſecuri cruenta adhuc, & prope calente ab recenti Fisheri cæde, eſt præciſum.

DE

lictus, necatis fraude pueris, imperium Angliæ invaſit; & quibus conſervatio Regni data fuerat, iis ne vitam quidem relinquere conſtituit. Verum & ipſi paulo poſt, unde minime ſperaverat, parricidii ultor eſt exortus. Nam Henricus Richemondiæ Comes, qui in Gallia quartum decimum annum exulabat, evocatus adjutuſque ab Anglis, Ricardum unico apud Seceſtriam prælio victum, dominatione ſcelere quæſita, & ſimul vita ſpoliavit. Et idem ſcribit Argentonius, ſua memoria in Britannia ſupra octuaginta Regiæ ſtirpis viros in illa, quæ inter duas ejuſdem ſanguinis familias de Regno orta eſt diſſenſio, variè interfectos fuiſſe. Atque is Henricus, qui ſeptimus eſt dictus, regno occupato, ad quod ex privato atque humili loco pervenerat, Ricardi facinorum, quorum ultor fuerat, imitator factus, Edoardum Clarentiæ Ducis filium, Reginaldi Poli avunculum, non ob aliud quam quod ſolus virilis ſtirpis ex Regio Sanguine ſupereſſet, quo Catharinam Ferdinandi Hiſpaniæ Regis filiam eo facilius Arthuro filio ſuo in matrimonium dedi impetraret, palam in foro ſecuri percuti, nihil tale meritum imperavit. Ita inſonti puero regium genus, quod decori eſſe debuerat, exitio ac morti fuit; tanto apud Reges dominandi libido, quam juſtitia & humanitatis jura, plus valet. Margaretam ſororem ejus non ulli ex regni proceribus, ne cujus opes animique Regii Sanguinis conjugio extollerentur, ſed Ricardo Polo, mediocri viro, ultro

ſua

pro nuptui dedit, quem inde cubiculo ſuo præfe-
cit, (cui muneri qui præeſt, Camberlanus lin-
gua eorum dicitur;) & in nobiliſſimum Collegium,
quos Garteriæ vocant, legit: cujus inſignis ho-
noris etiam principibus viris ille dignatione æ-
quabatur. Is deinde, quamvis ingenio vir ſuit placido
& tranquilliſſimo [illegible], & vita [illegible] eleganti in-
nocentique erat; [illegible] filium educandum
commiſit. Neque tamen alia res, quam quod
quietâ ſummiſſaque natura eſſe [illegible]; neque
in Pola familia ante eum [illegible] quiſquam
enituit. Hic Reginaldus [illegible] eſt natus
Martio menſe, M.D. anno, & puerum matris cu-
ræ (nam pater immaturè deceſſerat) liberaliter in-
ſtituit; ubi adoleviſſet, decimum nonum agens an-
num, in Italiam eſt profectus, Patavioque conſe-
dit: ubi & quia Henricus VIII. Rex eum profi-
cientem in [illegible] atque annua pecunia juverat,
& propter nobilitatem dignitatemque Regii
Sanguinis, unde ortus ferebatur, in magno ab
omnibus honore eſt habitus; & ipſe brevi effe-
cit, ut haud minus virtute ac moribus ſuis, quam
generis commendatione appeteretur. Nam in
omnibus honeſtis artibus, & maximè in politioris
humanitatis ſtudiis [illegible] ingenii atque induſ-
triæ ſuæ [illegible], & [illegible] & in oratione
ejus modeſtia, humanitas & religio ſingularis
eluxit. Septimo poſt anno reverſus in Britan-
niam, & ab ipſo Rege perbenignè acceptus, ca-
rus, expetitusque ſuis omnibus, ac eximiis erudi-
tio-

tionis & integritatis laudibus celebratus, magnam concitaverat ſui expectationem; & ſermone & opinione hominum inſigne aliquod Sacerdotium, primique Britanniæ Epiſcopatus ei deſtinabantur. Verùm hæc, quæ haud falſa fortaſſe futura ſpes fuit, paulo poſt in calamitoſum illum Britanniæ ſcopulum, amentemque Henrici cupiditatem dimittendæ uxoris, incurrit: in qua Polum Rex ſibi adjutorem miniſtrumque fore, ſuis in eum meritis fretus, haud dubie ſperaverat: ſiquidem tum nihil, niſi ex auctoritate Pontificis Maximi agere inſtituerat. Igitur cùm appellatus ab eo Polus ita ſententiam ſuam indicaſſet, & obteſtatus eſſet Regem, ne in incœpto perſeveraret, adeo exarſiſſe Henricum ferunt, ut manu ad pugionem adactâ, impetus eum occidendi Poli cepiſſe dicatur. Sed eo tamen cohibito, avertens inde ſe, nullo dato reſponſo Polum reliquit: qui ea re ſatis futurorum admonitus, per cauſam repetendi ſtudia, per gratioſum amicum impetrat abeundi veniam, atque iterum ex Inſula in continentem exulatum potius quam peregrinatum navigavit; annumque in Gallia immoratus, Patavium ſe contulit, vitamque eam inſtituit, ut ſanctitas & religio ejus omnium prædicatione celebraretur, adderetque favorem ei indignatio Regis, cujus cauſa nemini bono probabatur. Erupere inde ex Henrici pectore illæ furoris atque inſaniæ flammæ, quas ſuprà cum de eo diceremus, attigimus; abjectaque uxore, ſacro-

P rum

rum Principem ſe, ſummumque Religionis Antiſtitem in Britannia dici juſſerat: atque hunc honorem ſibi tribuere recuſantes pœnis ſuppliciiſque ſubigebat. Lætabatur Polus, quòd in malis patriæ ſuæ procul ipſe ab aſpectu eorum ageret, ac tam violenta Regis imperia opportuno diſceſſu ſuo evitaſſet. Sed ecce tibi tabellarius à Rege cum literis, quibus jubebatur Polus dicere de nova appellatione ejus, quid ſentiret. Ea enim Henrici rabies fuit, ut ne ſentiendi quidem liberam facultatem hominibus relinqueret. Elicere intimos ſenſus, quò in diſſentientes inde ſæviret, cupiebat. Diu cunctatus Polus, ubi viros ſanctiſſimos Fiſherum & Morum interfectos ob id à Rege accepit, æmulatione pietatis & conſtantiæ eorum vehementer incitatus, quatuor edidit libros, & ad Regem miſit, in quibus de tota re accuratè, luculenter, pari moderatione ac libertate diſſeruit. Auxit eà res magnopere Poli exiſtimationem, cùm eruditionis quæ in iis libris eximia enituit, tum fidei & conſtantiæ laude. Itaque cùm multorum & gravium virorum ſermonibus de præſtanti ejus virtute ad Paulum III. Pontificem Maximum perlata fama eſſet, Romam evocatum in ampliſſimum Collegium Pontifex cooptavit. At Henricus, acceptis Poli libris, quibus veræ labes animi ejus nudabantur, malorumque fons atque origo aperiebatur; incredibile eſt, quanta hominem ira ac libido expetendæ de Polo ultionis invaſit. Abſentem eum majeſtatis damna-

vit,

vit, & præmia interfectoribus quinquaginta nummûm aureorum millia ſtatuit. At cùm interea vana ſpes facta reducendi ad fidem atque officium Henricum Pontifici eſſet, Legatum Polum in Galliam miſit, ut inde Britannicis rebus excubaret, aditumque, ſi quis eſſet ad ſpem ſanandi Henrici perquireret, quando & Rex Galliæ & Cæſar operam in id ſuam obtuliſſent. Ea re cognitâ, Henricus ſtatim certum hominem de ſuis ad Franciſcum Regem Galliæ miſit, per amicitiam petens ab eo, atque obteſtans, ut vinctum Polum ſibi traderet, profeſſus maximo ſe beneficio affectum iri ab eo, ſi id impetraſſet: tantoque ſtudio atq; ita accuratis precibus cum Franciſco egit, ut ille, qui ob diſſidia quæ ei cum Cæſare erant, magnopere retinere in amicitia ac ſocietate Henricum cupiebat, ab hoſpite quidem atque Legato violando prodendoque longè animo abhorruerit: cæterùm renunciari illi juſſerit, ut extra fines Regni ſui aliquò abiret, ne qua cauſa ex ipſo dirimendi ſocietatem fœdusque quod ſibi cum Henrico eſſet, oriretur. Qui Cameracum, nobile Belgarum oppidum, cùm tranſiiſſet, varias ſibi à Rege poſitas inſidias, magis Dei beneficio quàm cautione aut cura ſua, vitavit. Leodium inde in Eburones evaſit, ubi Everardi à Marchia Cardinalis, cujus erat ditionis oppidum, fide atque ſtudio locum ad inſidiandum Henricus nullum ſibi relictum cernens, ad Belgas, qui tum bello cum Gallis contendebant, miſit;

qui in Concilio eorum, cui Everardus quoque adhibebatur, renunciaret ſuis verbis, ſe quatuor peditum millia, qui ſua pecunia militarent, auxilio iis miſſurum, ſi captum Polum vivum in poteſtatem ſuam tradidiſſent: tanta rabies, hominis innocentiſſimi ad cædem ſuppliciaque potiundi, crudelem animum invaſerat. Reverſo in Italiam non ceſſavit easdem aſſiduè fraudes ſtruere; adeoque deprehenſi ſæpè ſunt percuſſores inſidiatoresque ab eo ſummiſſi, ut Pontifex certos corporis cuſtodes illi tradiderit, quibus vitam ſuam à vi atque inſidiis Henrici tueretur. Tradiderat item ei Pontifex cum imperio regendum Viterbium, ut & honeſtiùs eo vectigali ſe aleret, & haberet propinquam Urbem quò poſſet aut otii ac literarum, aut valetudinis, aut animi cauſa, cùm libuiſſet, ſecedere. Ibi quoque capti Itali aliquot tortique, ſe ad eum interficiendum miſſos confeſſi ſunt. Item Capranicæ, quò ſe Polus per æſtatem, vitandi gratiâ urbanos calores, contulerat, Britanni tres ad idem facinus miſſi; & Bononienſis quidam, inſignis ſicarius, quanquam perhoneſta familia natus, qui Venetiis ob ſpoliatum apud Ravennam, cæſumque Venetum civem patricii generis, ſupplicio eſt affectus, in quęſtione confeſſus eſt, diu ſe Tridenti, ubi Polus cum duobus collegis Concilio præſidebat, eum, ut ex inſidiis adoriretur obſervaſſe, pecuniamque ob eam rem à Rege accepiſſe. Quæ res Polo vitam non ſollicitam modò, perpetuo metu

metu tot inſidiarum, in cujus caput tanta propo-
ſita præmia multorum cupiditatem allicere poſ-
ſent, ſed gravem quoque injucundamque red-
debant; aſſidueque & ſuo periculo, & patriæ
calamitatibus angi cruciarique cogebatur, unde
quotidie nova crudelitatis exempla edita a Rege
afferebantur; nec in alios quàm in optimum &
conſtantiſſimum quemque, qui a majorum inſti-
tutis & priſcâ ſacrorum fide diſcedere recuſa-
rent, donec ipſe domeſtico longe graviſſimo
atque acerbiſſimo vulnere eſt perculſus. Nam
Henricus, cùm ei omnia tentanti, ac ne maximis
quidem parcenti ſumptibus, intercipere Polum
non ſucceſſiſſet, implacabilis iræ atque acerbita-
tis ſuæ impetum in Margaretam Poli matrem
avertit. Ea erat lectiſſima & ſanctiſſima femi-
na, Edoardi Regis fratris filia, nec tamen gene-
re quàm moribus, innocentiâ, ac totius vitæ
laude nobilior: in cujus diſciplina atque Henri-
cus Mariam unicam filiam educaverat. Tum
abreptam in carcerem diu ærumnis ac miſeriis
male habitam, falſis etiam nuntiis interfecti Re-
ginaldi filii tortam, poſtremo altero filiorum
natu majori, qui ſimul captus in eadem cuſtodia
habebatur, crudeliter necato, anum ipſam, al-
terum & ſeptuageſimum annum agentem, palam
in foro capitali ſupplicio affecit, nullum ob cri-
men aliud quàm quod Reginaldum genuiſſet, &
de fide Catholicæ pietatis decedere recuſaſſet.

Ea verò res Polo, qui ſemper matri cariſſimus, atque ab ea unicè dilectus fuiſſet, ſingularem attulit animi dolorem: ſic, ut reliquæ vitæ per tot ſuas ſuorumque calamitates traductæ ſolatio omni ſpoliatum ſe non inficiaretur; quanquam eâ moderatione tam triſtem nuntium accepiſſe dicitur, ut, qui ei tum ab Epiſtolis erat, ſcriptum reliquerit, literas quibus matris caſus continebatur, lectas, cum aliarum faſciculo literarum ſibi à Polo traditas, ſeque juſſum ſingulis reſpondere. Ad quem cùm ipſe eas retuliſſet, quæ Anglicè ſcriptæ erant, quòd homo Italus gnarus ejus linguæ non eſſet, conſtanti vultu Polum dixiſſe iis literis rem eximia gratulatione dignam contineri, orantique Scribæ ut ſe participem tam lætæ rei haberet, Polus, Mater, inquit, mea actæ innocenter vitæ tantum eſt à Deo præmium conſecuta, ut pro ejus Religione fortiter mortem oppetens, præcelſo martyrii honore ſit affecta: & nobis hæc quoque ad cæteros, quos apud Deum habemus, deprecatores acceſſit. En merces educatæ ac tam diligenter inſtitutæ filiæ. Nec aliud in Regem tam injuſtæ cædis auctorem locutum, in Sacellum, ubi Deum precari conſueverat, ſe recepiſſe. His igitur verſatum fortunæ ac vitæ incommodis, tantis curis ſollicitudinibusque ac tot periculis defunctum, Henrici mors, quæ ſecuta eſt anno M. D. XLVIII. tandem perpetuo vitæ ſuæ imminenti diſcrimine liberavit. Illuſit illi inde fortuna, quæ provecto ingenti favo-

favore, ac prope jam adepto Pontificatum Maximum mirabili modo eripuit. Mortuo poſt Henricum Paulo III. Pontifice Maximo, Conclavia habendis Comitiis ingreſſos Cardinales diduxerant ſtudiis in duas factiones Cæſar & Rex Galliæ, pravo & Patribus ipſis, ſummoque Ordini indecoro exemplo. Qui Caput ac Rectorem, & quod ampliùs eſt, Vicarium divinæ poteſtatis, Chriſtianæ Reipublicæ atque humano generi daturi ſunt, in quo deligendo mentes atque ſententias, ne ſua quidem ipſorum ullâ infectas cupiditate divino regendas Numini tradere ac permittere deberent, eos præjudicata atque arbitrio alieno obnoxia ſuffragia illò afferre; & quod ſui muneris ſuique beneficii facere poſſent, ejus magnam gratiæ partem in alieni ſtudii imperiive auctoritatem derivare, ſanè indigniſſimum videri debet. Quod quidem adeo non probabatur ab aliis, ut cùm nominatos etiam ab Regibus quosdam quos ipſi aut rejicerent, aut fieri maximè vellent, vulgatum eſſet, proſcinderentur omnium ſermonibus Cardinales, qui ſibi præſcribi, ſuamque libertatem alienis imperiis obſtringi paterentur, & ut ea tempora ferebant, carminibus quoque peracerbè lacerarentur: quorum pauca ſubjiciam minùs amara, nec omnino incondita, quando ſcripta in Actis illorum dierum interregni invenimus.

Quid Imperator, quid ſibi Rex Galliæ
Vult? Quid ſibi tantum arrogant? Quid hoc nefas?
Hi jura ſancient, reſolventque ut volent,
Quæ veſtra ſunt, quæ ſancta, quæ nemo attigit?
Leges dabunt vobis? & his parebitis?
Parebitis vos his iniquis legibus?
Et ſervietis liberi? Non vos pudet?
Ad nutum eorum Principem creabitis?
In quo ſacrarum ſumma rerum eſt omnium?
Quæ vos rapit dementia, aut culpa, aut furor?
Juraſtis, ah ſcelus! Fides non vos data
Deo optimo, tot teſtibus præſentibus,
Non veſtra conſcientia, atque honos movet?
Totus tremo horreoque, ubi occurrunt mihi
Pœnæ graves, quas vos luetis impii:
Perjuria hæc inulta non ſinet Deus.

Verè ac jure increpiti, ni manifeſtum eſſet hos ipſos in animis eorum, aut odii aut gratiæ aut cupiditatis affectus cœleſti nutu atque voluntate gubernari, eòque tandem deflecti ferrique quò eos occultè afflans divini Spiritus aura provexerit: ſeu deteriorem elegerit, per quem Numinis qui ſceleribus noſtris violati injurias ulciſcatur; ſive aſſumpſerit optimum, à quo in veræ pietatis cultu officiisque homines contineantur. Quæ pars reſpicere Cæſarem videbatur, ea multò ſuperior numero erat, atque horum ferè ſuffragia Polum Pontificem ferebant. Qui partium Gallorum habebantur, hoc ipſo illum reſpuebant, quod ſtudere tantopere ei æmulos ſuos intelligerent: & tem-

& tempus variis rebus extrahebant, quod Cardinales Galli undecim aberant, magnisque itineribus adventare dicebantur, quos expectari vehementer alii cupiebant. At Cæſariani contrà ante edere Polum Pontificem properabant, quam Galli advenirent. Jam eo adducta res erat, ut ad prid. Non. Decembris Polum renunciaturi eſſent, adeoque ne ipſis quidem ambigentibus Patribus certus putaretur, ut direptum ſpoliatumque, ut mos, cubiculum ejus, & collectæ ab omnibus ſarcinæ, & factæ illi a plerisque gratulationes, & qui ejus rei curam habebat, juſſus Pontificium ornatum afferre, & extra Conclavia perlatus rumor, & nuntii ejus rei, tabellariique in plures dimiſſi partes ab Urbe fuerint, & in Vaticanum a populo concurſum, & propoſita affixaq; multis locis inſignia ejus cũ tiara & clavibus. Ipſi quoque adeo non dubia res fuit, meditatam ſcriptamque orationem quâ Patribus pro tantis de ſe factis judiciis grates ageret, fuere qui ſe legiſſe affirmarent. Mos & jus valet, ut ſuffragiorum partes duæ ex tribus Pontificem creent, & tum incluſi Conclavibus Cardinales erant unus quadraginta, ut quem viginti octo dixiſſent, is adeptus ſummum honorem cenſeretur. Suffragiis initis tabellæ viginti tres Polum habuerunt. Tum quod conſuetudo fert, Alexander Farneſius, cujus auctoritatem multi Cardinales ſequebantur, & Rudolphus Pius, in quorum tabellis præteritus de induſtria Polus fuerat, quo ſuo exemplo

excitarent attraherentque alios, voce palam eum Pontificem dixerunt, (id ipſi accedere vocant,) vigeſimo ſeptimo loco Montius ¡Cardinalis acceſſurum ſe erat pollicitus,idque ab omnibus ſciebatur; vigeſimo octavo licebat Polo ſe ipſum Pontificem dicere. Unius ergo ſuffragium ad implendum numerum deerat. Interrogante Ordinis Principe,an accedere quis vellet,reſpectantibus aliis alios, & maximè Farneſio amicos, quos non defuturos ſibi crediderat, nutu invitante, inventus eſt nemo qui muneris ſui facere Pontificatum Maximum ac deferre ad Polum voluerit: neque Carpenſis & Farneſii auctoritas, neque metus, quod mirandum eſt, ne ab alio præverteretur, quemquam permovit. Ita ſurrectum ac diſceſſum ea die è Sacello in quo Comitia habentur, à Patribus eſt; & elapſa ſemel tantæ rei fortuna nunquam poſtea ſe reddidit Polo; & adventu Gallorum aucto adverſantium numero, & dejectus ipſe eſt, & Montius Cardinalis Pontifex creatus. Polus, ut poſt tam inſignem repulſam, quem tamen animo æquabili & conſtanti tulit, hominum ſermones oculosque vitaret, ſeceſſit Urbe, abdiditque ſe Monaſterio quod eſt ad ripam Benaci lacus, inter Brixiam ac Veronam, cui nomen Magazano, & ſalubritate cœli & collium agrorumque circà amœnitate, otio ac literis quibus ille delectabatur, loco aptiſſimo. Hîc bellè ſibi ac ſtudiis ſuis viventi fortuna, ne tam abſtuliſſe illi in aliena terra ſummi faſtigii honorem,

quam

quam reſervaſſe in ſua videretur, repente deſperatum multis ante ab ipſo aditum, ei non ad reditum modo in patriam, ſed ad ſummum gloriæ & potentiæ gradum reſervavit. Extinctum enim adoleſcentem Edoardum Britanniæ Regem, & redditum Mariæ paternum Regnum, ei eſt allatum, quo quidem nuntio multiplici eſt lætitiâ affectus. Nam & nec opinata illi reviſendi aliquando patriam, ſuosque poſt quinque & viginti annorum exilium ſpes affulſerat, & Mariam potitam rerum cernebat, cum qua tam multas benevolentiæ ac neceſſitudinis cauſas haberet. Siquidem pares ab utroque injuriæ calamitatesque toleratæ, par utrique in retinenda fide avitæ Religionis conſtantia, par item in Margaretam Poli matrem pietas, à qua alter genitus, & altera educata fuerat. Denique quam unam ipſe omnibus ſub patre fratreque officiis pietatis ac fidei ſemper coluerat, quæ cogitationi a fuerant, quo magis occulta: & feminam religioſiſſimam haud dubitabat, Chriſtiana ſacra & Catholicæ pietatis inſtituta Angliæ populis reddituram. His tot uno tempore gaudiis perfuſo, literæ ab Urbe allatæ redduntur, quibus ſibi a Pontifice Maximo Britanniæ Legationem cum magna poteſtate decretam eſſe cognovit. Tamdiu moratus, donec res maturiores ex Anglia nuntiarentur, itinere ſe dedit. Sed non antè in Inſulam trajecit, detinente cum per varias moras Carolo Cæſare, quam Philippus Cæſaris filius Mariæ matrimonio jungeretur.

tatis decus, & avitam Chriſtianæ pietatis gloriam vindicaretur. Poſtremo quàm optatum accidiſſet ſibi, memorans, quod leges adverſus ſe latas perſtudioſe abrogâſſent, ſeque patriæ ſuæ poſt diuturnum exilium reddidiſſent, habere ſe dixit quo iis præclaram gratiam rependeret, quando non terreni ſoli natales ſedes, ſed cœlum ipſum atque reditum in cœleſtem patriam, cujus aditu defectione ab Eccleſia excluſi fuiſſent, aperturus eis eſſet: ipſos modò admiſſi facinoris vere & ex animo pœniteret, & quæ ſuperiorum improbitate temporum impulſi, non ſponte, contra communem parentem Eccleſiam decreviſſent, ea nunc data facultate volentes cupideque reſcinderent. Cui cùm actæ ab omnibus gratiæ eſſent, poſterà die relatum de ea re ad concilium eſt, ac ſummo conſenſu abrogatæ Henrici atque Edoardi Leges, & ſupplici Libello petitum a Regibus, ut qui ſoli inſontes ejus piaculi fuiſſent, deprecatores ſe pro ſuis præberent, quo & ipſi eo exſolverentur. Miſſi igitur Principes aliquot qui legatum in Regiam adducerent, ac reliqui frequentes adeſſe juſſi, una Reges cum Legato majorem ingreſſi curiam editiori in loco conſedere: Reginæ latera, dexterum Polo, ſiniſtrum Philippo tegentibus. Tum per Cancellarium (ſic illi Magiſtratum cum vocant) jubentibus omnibus, traditus Regibus libellus: quo prolecto, exſurgens Regina Legatũ oravit ut populos Regni ſui, datâ erratorum

venia,

Templum eſt,& ſolemni carmine â Sacerdotibus divino Numini gratiæ ſunt actæ. Specioſus ſanè Polo dies, atque eximium ad omnem poſteritatem honoris & gloriæ decus! à qua gente paulò antè damnatus & exul, & graviſſimis fuerat decretis conſciſſus, in qua natus modico ac privato loco eſſet, ejus nunc omnes quot in Inſula erant Principes,atque adeo ipſos Reges humiles,ac ſibi genibus advolutos conſpexiſſe: & patriam & Regnum, imprimis nobile atque amplum ab reliquo Chriſtianæ Eccleſiæ corpore unius ſcelere atque amentia hominis abſciſſum, per ſe reſtitutum reconciliatumque fuiſſe. Summo inde ſtudio ordinandis rebus animum intendit, accepta a Pontifice tantâ poteſtate, quantam nulli ante eum Legato permiſſam meminerint homines. Et Regina non ſacrorum modò arbitrium illi,ſed Regni quoque permiſit. Eum Archiepiſcopum Cantuarienſem approbante Pontifice deſignavit, qui Caput ac Princeps eſt in Anglia reliquorum Epiſcoporum, ex ejus Sacerdotii vectigalibus ſupra triginta aureorum nummûm millia ad eum perveniebant. Eundem publico conſilio præſidere, ad eum de omnibus rebus ab omnibus Magiſtratibus referri, coli denique obſervarique, atque ejus auctoritati haud ſecus quàm imperiis ſuis obtemperari juſſit. Ita repoſuiſſe fortuna illi eſt viſa, quod in Pontificatûs Maximi repulſa ademerat, tradito poteſtati ejus inter ſuos cives in opulento ac nobili Regno,omnium divinarum huma-

humanarumque rerum arbitrio; donec verſa retrò, haud levi offenſione, tantæ felicitatis curſum interrupit. Romæ interea Pontifices Maximi, duo, Julius III. & Marcellus II. continuatis prope funeribus elati, & creatus Pontifex fuerat Joannes Petrus Carafa, qui Paulus IV. eſt dictus. Apud hunc in gravem ſuſpicionem Poli eſt fides vocata, quaſi ejus de juſtificatione opinio parum cum Catholicæ Eccleſiæ ſententia conſentiret: ſive id ita eſſet, quod & integritas viri atque religio & ſcripta ejus haberi, legique permiſſa, facilè videntur refellere: ſive, ut nulla eſt intacta ab obtrectatione atque invidia virtus, malevolorum artificio, qui in Anglia dignitatem Poli atque opes ferre non poterant, Pontificis auribus fuerat inculcatum; cujus erat ingenium elatum, vehemens, acre, & cum pronum ad ſuſpicionem, tum ubi fides ac religio ageretur, præceps ad vindicandum: Et tum ab eadem cauſa Joannem Moronum Cardinalem magnæ exiſtimationis in cuſtodiam tradiderat, cui cum Polo plurimus uſus amicitiaque interceſſerat. Nec mora, Paulus Legationem Britanniæ, & quicquid Julius poteſtatis indulſerat, abrogat Polo, atque ipſum ad reatum redire Romam jubet; ac lecto in ſummum ordinem Guillelmo Peto Britanno, Franciſcanæ familiæ homine, obſcuro quidem genere, ſed divinarum literarum ſcientiâ & vitæ laudibus noto, eum ſucceſſorem Polo, & Legatum Britannæ (nam ibi tum apud Reginam erat) deſtinavit.

Enim-

Enimverò Regina, re præcognitâ, haud mediocriter eſt commota, non Poli ſolum, ſed ſuarum quoque rerum cauſa. Ergo priusquam ipſe aut Franciſcanus reſciſcerent, datis ad Pontificem literis demonſtrat, ſine ſummo Regni ſui & Catholicæ rei detrimento abduci à ſe Polum eo tempore, aut omnino à cura ac vigilia Britannicarum rerum amoveri non poſſe. Deprecatur Pontificem, ne ſibi omni conatu ad reſtituendam Chriſtianæ diſciplinæ rationem incumbenti incommodare vellet. Vocato inde ad ſe Franciſcano, agit cum eo, ut quando exacta jam illi, & inhabilis ad labores onusque graviſſimi muneris ætas eſſet, à præteritæ vitæ inſtitutis ne diſcederet. At Polus cognitâ Pontificis voluntate nihil cunctatus, inſignia Legationis officiaque ac nomen Legati depoſuit, privatusque non prælata, ut ante, argentea Cruce proceſſit, & confeſtim Romam miſit qui Pontifici geſtorum ſuorum rationem exponeret, ſeque in ejus poteſtate eſſe nuntiaret. Pontifex Reginæ literis precibusque, & Poli ſatisfactione acceptis, non quidem eum abſolvit, ſed Britannicarum rerum, ac Mariæ gratia, cauſæ cognitionem diſtulit. Cæterùm hæc & nominis delatio, & ablatæ Legationis nota, ut potentiam Polo nihil imminuit, ita dignitatem famamque apud ſuos non nihil labefactaſſe, & magnitudini & gloriæ ejus neſcio quid nubis obduxiſſe eſt viſa. Vix inde anno interjecto Regina, & deſiderio abſentis viri, & variis animi

moleſtiis curisque feſſa, & præterea aquâ intercute affectâ, ægrotare graviter cœpit, & Polus ipſe eodem tempore vehementi febri vexari: quo quidem, quod maximè mirum videatur, id factum fuit, ut eadem die, quæ fuit XVII. Kal. Decembris M. D. LVIII. uterque, illa manè ſub Solis ortum, hic horâ noctis tertiâ, migrarint è vita; & quod utrique acerbiorem mortem fecit, & Regina Polum, & ipſe prope jam moriens interiiſſe Reginam cognovit. Illam ferunt, cum deficerent vires, ſæpe acciri ad ſe Polum juſſiſſe; Reſponſum poſtremò eſſe, morbo gravari eum. Tum illa mortuum credens, Benè habet, inquit, unà jam jamque erimus. Et Polum, nuntiatâ morte ejus, rectè comparatum dixiſſe, ut quorum adverſæ ſecundæque res, & curſus omnis vitæ quàm ſimillimus fuiſſet, ii etiam morte conjungerentur: nec multò poſt animam egiſſe. Et Polus quidem felix videri poterat, non receptâ modò patriâ, ſed ferme per ipſum ad ſalutis rationem revocatâ, niſi & ultimam vitæ partem inuſta à Paulo errantis in fide ſacrorum ſententiæ macula inobſcuraſſet; & Mariæ mors morienti, ac futurorum Angliæ malorum præſcio, triſtem cadentis ſimul Patriæ ac Religionis ſpeciem objeciſſet. In quo tamen id ei feliciter eveniſſe eſt viſum, quod florentis fortunæ Mariæ particeps extinctæ ſuperſtes non fuit.

DE

Maria, Britanniæ

Regina.

MAriam Britanniæ Reginam variè caſus agitarunt, alterna vice nunc erigentes eam, nunc deprimentes. Ex certa ſpe Regni eò dejecta fuit nulla ſua culpa, ut non dignitatis ſolum, ſed ſalutis quoque incerta multos annos exegerit. Rurſus ex ſumma deſperatione ſuarum rerum repente ſublevata, inopinato fortunæ flatu ad Regnum eſt provecta. Hæc matre Catharina, Ferdinandi Hiſpaniæ Regis filia, patre Henrico VIII. calamitoſo Britannorum genti matrimonio eſt orta, Febr. menſe, anno M. D. XV. apud Granovichiam; ac ſtatim, quia frater eadem matre genitus intra infantiam quinto anno deceſſerat, Britanniæ Princeps eſt dicta: quo nomine is vocitatur apud eos, qui proxime ſucceſſurus in Regno eſt. Adoleſcens ad nubiles usque annos non ſolum regio cultu, ſed in ſpem paterni Regni eſt educata habitaque ſumma parentum indulgentia & caritate, quippe unica, præſtantiſſima indole ad omnes artes quæ eo loco natam decerent, & ſumma pietate. Unde maximis Europæ Regibus nuptiæ ejus

ambiebantur, quæ propter regium genus, & animum generi parem ampliſſimum eſſet Regnum marito allatura. Verum hac fortunâ adeo poſt repudiatam matrem, delapſumque ad ſcelera Henricum decidit, ut decreto in Concilio Principum facto, notham eam, nec juſto matrimonio, ſed concubina ortam pater per ſummam injuriam dici, odio matris juſſerit, Regnique & paternæ hereditatis jure privarit, & Eliſabethæ alteri filiæ ſibi ex Anna Bolonia vera concubina natæ, appellationem Principis & nomen heredis, quod Mariæ abrogaverat, tribuerit. Quam quidem Mariam, quia ne in abjectam quidem, & contumelioſe repudiatam matrem ullum pietatis officium prætermitteret, ejusque caſum aſſiduis in occulto lacrymis defleret, omnibus ignominiis affecit, ſpretamque & egentem, ac neceſſariis, ad privatæ quoque cultum, rebus carentem ita depreſſit, ut ancillaribus miniſteriis patris pellicibus famulari Regiam virginem cogeret; & amente obcœcatoque amore, filiam ſuam tali ſuſceptam matre, prodeuntis in publicum Eliſabethæ novæ Principis oram veſtis, quæ ut mos feminis ad terram funditur, tollentem geſtantemque, & pediſſequæ operam ſorori, materno certè ſanguine & ætate longè impari præſtantem, conſpici Henricum non puduit. Hoc deinde mortuo, haud honoratior apud Edoardum fratrem alia matre genitum, cui Henricus Regnum reliquerat, fuit. Procul à Regia atque
Re-

Republica habita, ac veluti relegata, ita vixit ſex poſt mortem patris annos, ut nullum tempus non ſollicitum, aut periculo vitæ vacuum tranſegerit, qua fraudibus ac venenis, qua calumniis & falſis criminibus à Joanne Nortumbriæ Duce, qui tum rerum potiebatur appetita; magisque divini Numinis beneficio, quam ſua diligentia aut cuſtodia inſidias ejus vitarit. Atque has miſerias haud indignius quam fortius patientiusque tulit; ab ſumma enim, qua prædita fuit, Religione ſic accipiebat, tanquam DEI nutu ad ſuam periclitandam probandamque fidem atque conſtantiam ſibi evenirent. Eò major in vulgus miſeratio ejus, quantoque fratris odiis atque inimicorum injuriis obnoxior, tanto innocentiæ opinione, & pudicitiæ, ſanctitatis, & ingenii laudibus carior clariorque apud omnes. Ipſa ſicuti temerè animum contra tempora non extulit, ita adverſis nunquam adeo ſuccubuit, ut non magnam recuperandæ aliquando dignitatis ſuæ ſpem ex divinæ opis fiducia intra pectus foverit. Per hæc trigeſimum ſeptimum annum ætatis transgreſſa, cum frater in ipſo flore adoleſcentiæ decimum ſeptimum annum attingeret, ac matura ducendæ uxori ac liberis procreandis jam ætate, in ejus rei cognitione verſaretur, alienioremque in dies animum ab ea ferret, nulla illi ſpes oſtendi videbatur mala ſua finiendi, vitamque perpetuis ærumnis vindicandi. Atqui ex hac ipſa deſperatione ut DEI ipſius benefi-

cium, non hominum opus agnoſceretur, ad Regnum pervenit, hoc maximè modo. Edoardus frater, ſive tenuitate valetudinis, ſeu fraude Nortumbrii, quem conſilia occupandi Regni agitaſſe conſtat, in lentum ac tabificum incidit morbum, quo paucis diebus extinctus interiit. Priusquam moreretur, ejusdem Nortumbrii inſtinctu condidit Teſtamentum, quo exheredatis ſororibus, Regnum Joannæ, conſobrinæ ſuæ filiæ, Nortumbrii ipſius nurui, reliquit. Quæ res mortuo demum Rege, palam facta, cum omnibus indigna videretur, pateſceretque fraus & ambitio Nortumbrii, quamquam principio nemo ſe metu ejus commoveret, tamen ingentem Mariæ miſerationem favoremque etiam apud tacitos addidit. Ipſa per ſpeciem vitandæ peſtilentiæ propius Londinum ad mare acceſſerat, opportuniora utrique conſilio loca, ſeu fuga evadendum in Belgas, ſive inde auxlia accerſenda forent. Audita Regis morte, (nam de Teſtamento antè cognoverat) nihil cunctata ſe Reginam appellat. Idem, qui circa eam erant, & exinde omnes quacunque incederet, faciunt. Affluente undique multitudine etiam armatorum, cunctisque ad vindicandum jus ſuum hortantibus, cum haud invalidam, ſive ad propulſandam, ſive ad inferendam vim, manum jam haberet, cultuque & frequentia Regium nomen tueretur, literas Londinum mittit, quibus Senatum ſegnitiæ increpat, qui venire ad ſe, & ſolita Regibus officia præſtare differret.

Hæc

Hæc ubi ſunt audita Londini, & Mariæ literæ allatæ, profecto cum exercitu adverſus eam Nortumbrio, atque Urbe metu ejus liberata, nihil dubitatum eſt quin eam Reginam omnes acciperent, & tradita in cuſtodiam Joanna, quam Nortumbrius in poſſeſſione Regni locaverat, pro ſe quisque ad occupandam Mariæ gratiam properaret. Hos ipſi quoque, qui Nortumbrium ſecuti erant, milites imitati, ipſum vinctum in Mariæ poteſtatem tradiderunt: Quæ non multò poſt Londinum venit, ac ſuſcepto ex gentis ritu diademate, ingenti omnium lætitia paterni tandem Regni compos eſt facta: in quo tamen plus honoris atque imperii, quàm quietis aut laxamenti à curis invenit, crebris popularium turbis ſeditionibusque, & aliquot adverſus ipſam conjurationibus exercita. Nam & Joannæ pater, cui ipſa ignoverat, defecit iterum ab ea, & Henricus Dudleius Nortumbriæ Ducis filius, & Udalius & Frangmatonius, atque item alii Gallorum conſiliis inſtructi, atque ope fulti ad eam Regno depellendam conſpirarant. Sed longè maximus ac periculoſiſſimus tumultus à Thoma quodam Huniato eſt motus. Hic in equeſtri ordine, obſcuro loco natus, ſed manu ſtrenuus ac promptus lingua, & multis militaribus facinioribus notus, ſpecioſum præferens titulum tuendi ſacrorum fidem, quam ſub Henrico atque Edoardo docti eſſent, ac Reginam externis nuptiis, & Philippi Cæſaris filii matrimo-

nio prohibendi, quod ob patris potentiam opprimendæ Anglorum libertati fore dictitabat, magnum toto Regno hominum numerum concivit. Facinoroſiſſimus quisque, & quos aut præſentium tæderet, aut quacumque cauſa novis ſtuderent rebus, quique pravis imbuti Religionibus à Catholicæ pietatis fide deſciviſſent, omnes ſe in ejus caſtra contulerunt. Adverſus hos cùm Regina Ducem Nortfolcii cum quatuor militum millibus miſiſſet, auxit hoſtium numerum: Nam Nortfolcii milites, qui fere Londinenſes erant, ſimul ac ventum in conſpectum adverſariorum eſt, Duce deſerto ac prodito, ſigna ad Huniatum fœdo exemplo tranſtulere. Quæ res Londinum nunciata, cùm adventare Huniatus, & cœptis ejus favere Londinenſes crederentur, tantum terroris fecit, ut perculſis metu omnibus, & Reginæ fugam ex Urbe ſuadentibus, exturbaturus eam Regno videretur, niſi ipſa timidum ac muliebre conſilium aſpernata, virili audacia & manere in urbe, & prodire ad populum elegiſſet; quem ad concionem vocatum aptâ oratione allocuta ſic mutavit, & rebus ſuis firmavit, ut capti alacriter armis, polliciti ſint Reginæ ſe fidem uſque ad ultimum præſtaturos. Et Huniatus quidem proventu rerum animis auctus Londinum contendit, haud dubia ſpe per factionem urbis potiundæ, unde ſi Mariam expuliſſet, cuncta in manu videbatur habiturus. Sed caſtris ante mœnia poſitis, cùm aliquot dies

dies operiens, ſi quid motus in oppido oriretur, expectaſſet, poſtremo trajecto flumine in mediis campis haud procul Londino conſiſtere agmen jubet; ipſe infelici conſilio longum præter mœnia emenſus ſpatium, per medias hoſtium ſtationes vadens, nemine impediente, cum delectis equitibus ad portam, quæ Turris dicitur, pacatus acceſſit; tentavitque per colloquia ut in oppidum intromitteretur. Sed ab Guillelmo Havardo, qui portam cuſtodiebat, acribus correptus verbis, vociferatus a porta, promiſſum quidem ab ſe exſolutum eſſe, ſed conſtantiæ ſuæ ſociorum fidem non reſpondiſſe, converſo equo, abſceſſit. Cortineus in ea parte cum aliquot equitum turmis curabat. Hunc multos ante annos Henricus, patre ejus Exceſtriæ Marchione, quia ab illici ſe a priſcis ſacrorum inſtitutis non pateretur, interfecto, puerum admodum in cuſtodiam tradiderat, a qua Mariæ beneficio liberatus, quia proximus Regiæ ſtirpi eſſet, longeque inter omnes genere, formâ, ætate, cultu eminerer, magnopere ad Mariæ nuptias aſpiraverat, apud quam in præcipuo honore ac dignatione erat; fuiſſetque in multo majori, niſi in ipſis carceribus imbibitas animo pravas opiniones pertinacius retineret, eamque damnaret divinarum rerum fidem, quam pater ne deſereret, mortem oppetere non dubitarat. Hunc igitur ſpe nuptiarum excluſum, haud expertem Henrici conſilii fuiſſe plerique credidere, deſtinatumque

inter eos ut is, ductâ in matrimonium Eliſabetha Mariæ ſorore, iisdem imbuta opinionibus, Rex conſtitueretur. Id quidem conſtat, hoſtem nihil interpellatum, præterire ac tentare portam eſſe paſſum. Mox ſive dolo, ſive è re nata mutato repente conſilio, cùm excludi eum, firmamque oppidanorum fidem in Reginam, nec ſatis virium Huniato eſſe ad vim faciendam, & jam ſuos, quos in proxima planitie opperiri juſſerat, à Pembruchio qui in eos ex oppido eruperat, premi avertique in fugam animadvertiſſet, recipientem ſe ad ſuos Huniatum adortus, parvo negotio ipſum omnesque qui cum eo erant, in fugam conjecit, & paucis interfectis partem maximam cum ipſo Duce in poteſtatem Mariæ redegit. Pari fortuna Joannæ quoque Pater, Suffolcii Dux captus, & ad Reginam eſt deductus. Hunc initio in vincula conjectum, quia morbo prægravaretur, uxoris precibus Maria conceſſerat, cum eo, ut domi ſuæ aſſervaretur: Sed ille, ubi convaluiſſet, Londino profugerat, ad Huniatumque, ut ſe cum eo conjungeret, vadebat. Ad eum retrahendum Regina Hutentonium miſit, cujus ſuperventu ille cùm elabendi viam non haberet, dimiſſis omnibus qui cum eo erant, & conſulere ſibi juſſis, ſolùm ſe aratoris fidei commiſit, qui in medio campi, cava in arbore, ſedula ſanè cum cura eum condidit. Verùm poſtera die præmia perfidiæ, quæ magna tradentibus propoſita erant, cùm apud ſervilem animum fide potiora fuiſſent,

ultro

ultro Hutentonio prodidit, a quo feſſus vigilia, ac frigore rigens inventus Londinum eſt perductus. Atque hunc exitum habuit Huniati tumultus, quo quidem Maria magno in diſcrimine amittendi Regni fuiſſe eſt credita. Verùm illa angebatur aſſiduè animis, non ſolum periculo tot inſidiarum & conjurationum, quæ ſemper alit cavendæ ſibi aut vindicandæ erant, ſed his defectionibus cogi ſe contra naturam, voluntatemque ſuppliciis ſuorum cladibusque multas evertere, & funeſtare claras & nobiles domos, & ſuſpectas ſibi facere. Nam & Joannam, & virum, & patrem ejus, quibus priora ignoverat, quia iterum ad Huniatum ab ſe deſciverant, iterumque Joannam Reginam deſtinaverant, occidere neceſſe habuit, ut ea materia cupidis novandi res demeretur. Item in Nortumbrium ſociosque, & in Dudleium filium & conſcios animadvertere, & multos præterea ex omni genere majeſtatis damnatos morte afficere, maximè poſt oppreſſum Huniatum, eſt coacta, ut unâ die Londini, in ſingulis oppidi partibus homines plus ducenti, in quibus fuit ipſe Huniatus, & capita conjurationis ejus, a Magiſtratibus ſtrangulati ac laqueo ſuſpenſi ſint. Quod Mariæ longè graviſſimum accidebat, quæ cum ſuis certare benevolentia & caritate, non ſpeciem ullam ſævitiæ, à qua abhorrebat animus, præbere cupiviſſet. Nam ſicuti cùm obviam eundum conatibus impugnantium dignitatem ſuam, Maria impetu atque audaciâ viros anteibat, ita in puniendis

endis iis mollior flexibiliorque animus illius erat; pepercisſetque pluribus, quàm ſaluti ejus tutum erat; atque peccandi audaciam impunitate aluiſſet, niſi conſilii in eo auctoritati cedere aſſueſſet. Eadem tamen Eliſabethæ ſororis ſuæ cæde invita abſtinuit, utique poſtquam ſe inſciâ nubere Cortineo, & novarum rerum conſilia moliri delatam, in cuſtodiam dedit. Neque id magis memoria contumeliarum, quas vivo patre ab ipſa matreque ejus pertulerat (quæ tamen in muliebri animo recordatio iram magnopere acuebat,) quàm ſacrorum & antiquæ Religionis curâ: Cùm enim iisdem quibus Edoardus frater, pravitatis erroribus involuta eſſet, quanquam id quidem tum, ut tempori inſerviret, ingenti ſimulatione Catholicæ Religionis tegeret; providebat fere, ut ſi ſe mortua, illa Regnum eſſet adepta, (quod poſtea accidit) iterum omnia occuparet impietas, iterum gens ad peregrinas ceremonias revolveretur, ſuumque irritum ſtudium conatusque in priſca ſacrorum fide cultuque reſtituendo evaderet: quod ei tot perpeſſæ pro Catholica Religione calamitates longè acerbiſſimum erat. Revocavit ab hoc conſilio magis quàm voluntate eam Philippus vir, nonnihil ut ferebatur, amore Eliſabethæ, florente tum forma & elegantibus moribus, ac magno ingenio magnoque ad ineundam promerendamque gratiam artificio captus: Subdidit enim Sacerdotem, cui Maria delicta Chriſtiano ritu confitebatur, qui eam commonefacе-

faceret, cavendum eſſe ei ne qua cupido vindictæ huic ſtudio Religionis, quoad ſumendum de ſorore ſupplicium incitaretur, ineſſet. Sed Maria, quaſi præſagiret quæ poſtea evenerunt, in hanc voluntatem tollendi Eliſabetham prorſus incubuerat, diſtulitque magis læſit eam, quàm unquam depoſuit, novis quotidie cauſis accedentibus: Nulla enim ſeditio, nulla adverſus Mariam conſpiratio aut erupit, aut indicata eſt, in qua Eliſabethæ nomen non editum à conſciis, aut certè cujus aliquis ex intimis amicis ejus particeps non fuerit. Quam & in Hiſpaniam deportari, ut hominum oculis ſummota procul Regno ac Republica haberetur, voluit. Sed huic quoque conſilio viri preces interceſſere, qui ſanè magnas poſtea pœnas inconſultæ clementiæ amoriſque perſolvit; hæc enim ipſa Eliſabetha poſt Mariæ mortem adepta Regnum, ſollicitatis ad rebellandum Belgis, pecuniaque adjutis, longiſſimo ac diuturno bello Philippum implicuit, cujus ne nunc quidem tot poſt annos finis cernitur. Sed utraque ſoror inter claras noſtri ſæculi feminas referri videtur poſſe. Nam Eliſabetha colo nere, acu pingere, domeſticaſque alias mulierum artes; & adhæc ſaltare, pſallere, fides pulſare, in adoleſcentia doctior prope quam Reginæ conveniret: verum, quod magis decorum regiumque, non Latinis ſolùm, ſed Græcis quoque literis & liberalibus diſciplinis erudita, multarum-

rumque exterarum linguarum ſciens, Gallicè, Hiſpanicè, & maximè Italicè, non loqui tantùm, ſed componere, ſcribere, ac verſus etiam facere potuit: quod & frequenter uſurpare, & appetere ob id Italorum colloquia conſuevit. Moribus ejus comitas & ſuavitas, & decoro juncta & gravitati mixta humanitas inerat. Sermo promptus, elegans, & blando propior, ut alliceret facile ad ſe animos & ſtudia hominum. Ad quod quidem artem curamque ſummam ſemper adhibuit, qua ſe in gratiam ac favorem vulgi magnopere inſinuavit. Odium in quo ſe apud ſororem eſſe intelligebat, ſimul lenire obſequiis, ac ficta Catholicæ Religionis reverentia, cultuque ſimul vertere in invidiam illius ſtudebat, non querendo incuſandove, (nam comperta omnia ſua dicta factaque, & plenam eſſe exploratoribus domum, eam non fugiebat,) ſed maximè prædicandis Reginæ laudibus. At ſi rogaretur precibus alicujus ut poſtulata deferret, ita excuſabat, quaſi per modeſtiam non auderet, ſed ut intelligeretur, indignè ſe odio ſororis premi. Et pleriſque nobilium ac Principum, aut ipſos alicui in familiam ejus, aut tradere filios cupientibus, ſummam gerendi in morem voluntatem præferens, recuſandi cauſam in ſuam tenuitatem atque inopiam conferebat. Et erat Eliſabethæ ſubtile, ſubdolum, & ad omnia verſatile ingenium, &, ut ferè fœminis omnibus imbutum ſimulandi ac diſſimulandi artificio. Quo quidem ingenio Regnum, quod poſt

Mariæ

Mariæ mortem multis afflictum inteſtinis malis accepit, ita pacavit rexitque, inter duos præpotentes Reges Hiſpaniæ & Galliæ, ut cum utrique negotium in eorum Regnis fecerit, quæ motis è cértamine Religionum ſeditionibus magnopere turbavit, ipſa nullis infeſtata bellis, perpetua pace potita ſit: & quod admirabilius videatur, cœlibem ætatem egit, eluſis ſæpe mira arte ſuorum in ea re deſideriis. Sed quæ nubere, ne ultro ſibi dominationis æmulum acceſſeret, noluit, conjugii expers pudicitiæ famam non tenuit. Prima illi, & maxima probri nota ex Roberti Dudlei amore, pulcherrimi inter Angliæ Nobilitatem juvenis, quem favore ad ſpem uſque Regni ac matrimonii ſui extulit: quippe uxorem fraude ſuſtuliſſe, ut vacuum ſeſe Reginæ præberet, dicitur. Sed ipſa ex magnitudine amoris, ne inde ſperneretur ab eo, ſi maritus ac Rex fieret timens, concubino quam viro uti illo maluit; & natam ex iis filiam educatamque, ac palam haberi ab Eliſabetha, diſſimulato filiæ nomine, Angli narrant, & a Roberto ad alios quoque delapſam. Sed in hac Regina, ut virtutes ſimul & vitia, una ſuperavit obſcuravitque impietas, & contemptus Religionis. Nam etſi inventa Calvini, & ab eo inſtitutam diſciplinam ſequi ipſa videri vult, quam & ſtudioſè non per ſuum modo Regnum, ſed in alias quoque Provincias propagavit; tamen id non pietatis ſtudio, ſed quia dominationi ſic expediat, creditur ab ea fieri. Verum condita nuper nova in Bri-

tan-

tannia ſacra, novique opinionum errores enati; & ad eos Calvinianorum multi quotidie deficere dicuntur; nec legibus à Regina, nec pœnis coërceri homines poſſe, quanquàm magna ſæpè in eos ſeveritatis exempla ediderit: quippe nullius illi Magiſtratûs, nullarum legum jus aut poteſtatem admittunt, ex æquo omnibus libertatem Evangelio datam ferentes. Vulgus Puritanos appellat, qui ſolos pure caſteque colere pietatem jactant. At Maria, ut ad eam revertamur de qua nobis inſtitutus eſt ſermo, omnes Eliſabethæ virtutes, nullum vitium habuit. Corpus huic puſillum & gracile, facies candida & pallenti ſimilis, fulgentes oculi, ſed hebeti acie, ut legere niſi admotis prope admodum literis non poſſet. Univerſa ſpecies ejus hujusmodi, in qua pulchritudinem fortaſſe quæreres, difforme nihil invenires; ac magis dignitatem in ea, quàm venuſtatem laudares. Vox ampla & virilis, celer quoque inceſſus, & minimè muliebris. Verùm ſi quid in corporis habitu deſiderares, compenſabant ornamenta animi atque ingenii, quod illi magnum & quantumvis magnæ rei capax fuit. Nobilium linguarum, ut ſoror, gnara. Gallicè ita loquebatur, ut ſi eſſet in media Gallia educata. Sed, quod rarum & ſingulare in femina, longè optimè ac expeditiſſime ſenſa animi Latinè explicabat. Doctrinarum non expers in divinis literis ita verſata, ut de ſacrorum diſciplina & fide cum intelligentiſſimis hominibus diſputationes haberet, ac

Hæ-

Hæreticorum dicta peracutè refutaret. Dignitatis, decorique tum etiam retinens fuit, cùm ejecta à fratre, maximèque deſpecta haberetur. In adverſis, etſi lamentis ſe lacrymisque ſæpè muliebriter dederet; tamen nunquam deſperâſſe, nunquam nimis fracto aut abjecto animo fuiſſe dicitur: in periculis etiam animoſior conſtantiorque, quàm viri. Virginitatis pudor, cùm prope ſenuerit, antequam nupſerit, non integer modo illi, ac ne ſuſpicione quidem ullâ aſperſus, ſed ſummam pudicitiæ laudem per omnem vitam conſtantiſſimâ fama promeruit. Cæterùm, nihil in eâ æquè laudares ac Religionis & pietatis ſtudium, quod non in afflictis ac deploratis rebus ſuis diligentiùs flagrantiusque, quàm poſt adeptum Regnum coluit. Cùm ſacrificiis ac divinis rebus in Templis quotidie operam dabat, tum domi ſuæ ſtatutas orandi precandique horas habebat, quam cum domeſticis Sacerdotibus paucisque matronis ſingulis obibat diebus; certos invigilandi jejunandique dies Chriſtianis inſtitutos legibus, ne valetudinis quidem omiſit causâ unquam, & multos ſibi ipſa ultro adjecit. Sed non ſolùm innocentiam in moribus vitaque præſtitit, verùm quod difficillimum putant, in ipſa quoque Regni adminiſtratione, ne quid contra juſtitiam, atque adeo contra divinarum legum juſſa fieret, cùm ipſa diligentiſſime cavit, tum doctis ac religioſis hominibus, & ante omnes Polo Cardinali, quem ſummæ rei præfecerat,

R hanc

hanc curam animadverſionemq; delegavit. Denique mulier inſigni in Deum pietati religionique admodum dedita fuit. Quod non anteacta ſolum vita & conſtantia, patris quoque juſſa in eo detrectantis, ſed eſſe animo ejus id antiquiſſimum, initio ſtatim Regni declaravit, ut quanquam maxima apud eam Caroli Cæſaris auctoritas eſſet, ex cujus aviâ orta erat; tamen monenti Carolo, ne ſe feſtinaret, tam immaturis & perturbatis rebus indicare, ne popularium animos novarum opinionum labe contactos ſibi alieno tempore irritaret, reſponderit, cùm in ſua calamitate deſerta ab omnibus abjectaque jaceret, unius ope ac benignitate Dei fultam ſe ac ſuſtentatam, ſpem ac vitam retinuiſſe; ejusdem beneficio ac manifeſto Numine ad eam dignitatem provectam eſſe. Itaque ergo ſtare ſibi mentem atque animum ſium, clam non habere, neque Deo cui uni ſalutem omniaque deberet, conſtanter: ſed ſtatim ac propalam gratiam profiteri, & Regnum atque vitam à Deo acceptam ejus reſtituendo cultui ac Religioni maximè impendere. Nec tam piam vocem non continuò ſecuta res eſt. Primum regni opus fuit, patris fratrisque leges adverſùs jura ſacrorum latas abrogare, edicta refigere, appellationem Principis vicem Chriſti in Britannia obtinentis repudiare, Templorum divinarumque rerum cultum ſplendoremque, quoad potuit, reſtituere: quas Henricus fanis ereptas poſſeſſiones prædiaque Fiſco adjudicaverat,

verat, reddere: quæ dona ablata delubris, ſacrariisque inventa in Regia ſunt, ea conquiſita referre; multaque ipſa de ſuo addere: Dei Divorumque ſimulacra multis locis revulſa exturbataque reponere: quæ autem diſtracta Nobilibus Principibusque aut pater dilargitus erat, aut ipſi Regis exemplo per vim atque injuriam occuparant, ab iis, ne cupiditate rapta tenendi tumultus excitaretur, abjudicare non auſa, cujusque arbitrio ac religioni permiſit ut redderent juſtis Dominis res, aut ſibi haberent. Atq; hæc omnia ex Pontificis Maximi auctoritate per Reginaldum Polum Cardinalem ritè acta ac procurata ſunt: hunc enim ad eam Legatum cum magna poteſtate, etiam creandi Epiſcopos, Julius Pontifex miſerat, cui quidem Regina, & merito virtutis ejus, & memoriâ matris à qua ipſa educata atque inſtituta fuerat, tantum tribuit, ut præſidere publico Conſilio, ad eumque de omnibus rebus publicis, ab ſingulis Magiſtratibus referri juſſerit. Sancitis rebus ſacris, proximum pietatis officium fuit, impoſitam matris ſuæ nomini ignominiæ notam abolere, & legem de matrimonio ejus contra fas atque jus latam abrogare, novamque ferre qua veram eam ac legitimam Henrici conjugem fuiſſe, eſt ſcitum. Appetierat magnopere Carolus Cæſar ut Maria Philippo filio, quem unicum habebat, nuberet: quod tum maximè odiis belloque cum Gallis contendens, haud parvum rebus momentum additurum

R 2 reba-

rebatur, ſi validum ac propinquum Regnum per eam affinitatem in partes traduxiſſet. Ea res inde ab initio actitata, aſſentiente Maria quæ firmatura ſibi Regnum tantis viri opibus exiſtimabat, exitum quem utrique cupiebant, habuit. Ad illiciendos Britannos, qui externum Regem perinviti paſſuri videbantur; conditiones dictæ conjugii fœderisque, quas ipſi voluerunt: Inter quos ita conventum, ut Philippo Regis nomen tribueretur, procuratio Regni penes Mariam maneret: Nemini externo Magiſtratum, aut aliam publicæ rei adminiſtrationem capiendi jus eſſet: Tabulæ, Literæ, Actaque publica non aliâ quàm Anglica linguâ notarentur: Liberorum qui eo matrimonio naſcerentur; natu major in materno Regno ſuccederet, à patre Belgarum imperium acciperet: Ad eumdem redirent reliqua patris Regna, ſi Carolum Philippi aliâ matre natum filium mori ſine liberis contingeret: Si virili ſtirpe deſtituerentur, idem jus feminis quoque eſſet: Si Maria ſine liberis deceſſiſſet, Philippus Britannia excederet, appellatione Regis atque omni jure in Angliæ Regnum decideret: Si ſuperſtes Philippo Maria fuiſſet, ei ex mariti bonis centum aureorum nummûm millia quotannis penderentur: Amicitia fœdusque cum Philippo patreque ejus perpetuum eſſet: Fœdera quæ Britannis cum Rege Galliæ eſſent, ſalva inviolataq; manerent; neque ipſi bello quod Cæſar cum Gallis gereret, inviti admiſcerentur: Additum his, ut Philip-

lippus in Anglia Angliæ legibus viveret, vivereque alios pateretur: Item, ut è gente Anglorum numerum qui convenire videretur, in familiam ſuam aſciſceret, Reginam ne ſecum extra Regnum invitam duceret, neu filios qui ex ea naſcerentur: Non ex publico ærario detractas gemmas aurumve, non bellica tormenta ex Inſula exportaret, neu naves niſi in uſus Regni abduceret. His conſtitutis, & oppreſſa Huniati conjuratione, rebusque compoſitis, Maria Philippo ex Hiſpania in Angliam magna cum claſſe tranſgreſſo jungitur, annis undecim minori, florente ætate & ſpecie juveni egregiâ, quanquam brevi & puſillo corpore. Nuptiæ cum Rege inter Chriſtianos longe maximo ac opulentiſſimo & dignationem Mariæ apud ſuos, & multum rebus firmitatis ac roboris adjeciſſe ſunt viſæ: & pacato ab omnibus inteſtinis motibus Regno, ac nullo impendente externo hoſte, & nacta Polum, in cujus fide atque virtute conquieſcere, & in quo omnem prope molem rerum ac negotiorum deponere tutò poſſet. Poſtremò in ſpem jam adducta liberos procreandi, aliquando lætam tranquillamque vitam curſu ingreſſa videbatur. Verùm id quoque gaudium nec diuturnum illi, & mox etiam in curam ac ſollicitudinem vertit. Nam Philippus vix annum in Britannia apud conjugem moratus, trajicere in continentem ad propulſanda Gallorum arma, quibus in Belgis magnopere

urgebatur, eſt coactus. Hinc mirè auctus Reginæ mœror, & deſiderio viri cujus amore urebatur, & ex non dubiis ſterilitatis ſuæ ſignis, ſpe amiſſa liberorum, quod unicum rerum Regni ſuique ſtabilimen erat futurum: & diſſitæ ab illo, ne quo ſolaretur quidem ſolitudinem ſuam, relictum ſibi querebatur; & ſæpè componere controverſias, & bello finem afferre, quod illi cum Gallis erat, conata, rem arduam ac prope inexplicabilibus involutam difficultatibus experta fuerat; nec manente bello, rediturum ad ſe virum ſperare videbatur poſſe, quod Carolus pater, ſeu ſatietate rerum humanarum, ſeu dolore ex incommodis bello acceptis, ſeu deſperatione valetudinis, quâ fractâ planeque perditâ utebatur, tradiderat filio Regnum, ac ſe in ſolitudinem abdiderat, ut abſcedere ab hoſte Philippo non liceret. Et Galli, quanquam armis palam abſtinebant, tamen occultum cum ea bellum gerere videbantur, nunc hos nunc illos ad defectionem ſollicitantes. Nec ab ullo oppugnata dignitas ejus eſt, à quo non communicata cum Gallis conſilia comperiſſet, quam ut in invidiam ſuorum adducerent, exhauriri ab ea Regnum, ingentesque pecunias aſſiduè ad virum ſummitti, idque clam agi, ut Regnum quoque ipſum in poteſtatem ejus tradatur, in vulgus ſpargebant: quibus ſermonibus Anglos externis omnibus naturâ infenſos magnopere commoveri, Maria intelligebat. Poſtremò Galli etiam Caletem oppidaque quæ Britanni majorum

rum virtute parta in continenti poſſidebant, inopinato adorti bello cœperant, quam cladem Britanni in Mariam Philippumque conferebant. Sed haud minus ſtimulabat angebatque Mariæ animum ſororis cura, cujus quotidie creſcere dignitatem favoremque apud Britannos, & in eam conjectos oculos, verſasque ſpes & ſtudia omnium, tanquam haud dubiè regnaturam, ſuamque ſperni orbitatem valetudinemque cernebat: & ortam non pellice ſolum matris ſuæ, ſed prope vulgati corporis probris coopertâ, & inceſtæ cum fratre libidinis damnatâ punitaque publici carnificis manu, ſuccedere ſibi in Regno, pati non poterat; præſertim quam ſciret, à Catholica pietate averſam, ac praviſſimis opinionibus contaminatam eſſe, perturbaturamque iterum ſacra, iterumque abolituram Catholicos colendi DEI ritus, ſi ſe mortua potita Regno fuiſſet, non dubitabat. Quæ piam ac ſtudio Religionis incenſam cogitatio incredibiliter cruciabat. His noctes diesque conflictata curis, cum triſtitia ac dolore animi conficeretur, valetudinis retinendæ cauſa, ſæpe ſanguinem maximè ex pedibus mittere cogebatur: unde ei pallor & gracilitas oris & hebetes oculi erant: ſæpè item in lacrymas & lamenta ibat, præteritorum commemoratione & præſentibus curis ſuis ſeſe affligtans: quibus conſumpta, ſexto anno poſtquam regnare cœperat, diem ſuum obiit.

DE
Joanne Dudleio,
Duce Nortumbriæ,
Britanno.

EBoracenſis Cardinalis auctoritatem apud Henricum VIII. ſuperavit Joannis Dudleii Nortumbriæ Ducis apud Edoardum filium potentia: ſed calamitas quoque hujus & caſus gravior. De quo antequam dicamus, pauca de Edoardo ipſo intexere ab re non fuerit. Hic exenteratæ matris utero, ut quidam tradidere, eductus, patri ſuperſtes atque heres Regni fuit; indolis magnæ puer, & ubi paulùm adolevit, ſpei magnæ: Nam & oris ſpecie fuit eximiâ, & ingenio ſupra ætatem acri, & omnibus inſtructus artibus, quibus ad regiam fortunam pueri inſtituuntur. Magnos & in literarum ſtudiis pro ſua ætate progreſſus habebat, magnam item notitiam plurium linguarum, prorſus ut Henrici ſani, necdum in vitia ſua prolapſi ſimilis futurus videretur. Sed bonam mentem indolemq; adeo in ſacrorum diſciplina magiſtri corruperant, ut imbutus praviſſimis erroribus animus, ſummam impietatem ſummam

eſſe

eſſe Religionem putaret: nulla enim opinio, quibus tum quotidie multis illa recens licentia ſcatebat, nulla de divinis rebus ſentiendi perverſitas fuit, quam adoleſcens non imbibitam animo haberet; usque eò, ut de Jeſu Chriſti cultu tollendo quidam diſſerere & tentare animum ejus non ſint veriti. Nam Martinus Bucerus, qui apud nova omnia admirantes, & antiqua ſimplicitatis nimiæ arguentes magnus architectus & inventor veritatis eſt habitus, cùm fortè apud puerum Regem de Pontifice Maximo ortus ſermo eſſet, (quem quidem ille Pontificem ex aſſidua obtrectatione turpibusque maledictis, quibus eum ſui quotidie inceſſebant, ne hominem quidem, ſed monſtrum aliquod horribile atque peſtem hominum eſſe rebatur,) cùm igitur apud hunc ſermo de Pontifice haberetur, admiratus puer quæſivit, cur ſi tam ſævum ac prodigioſum malum in Chriſtiana Republica Romanus Pontifex eſſet, ferrent eum Chriſtiani Reges diutius, nec illum cum ſua pernicie atque peſte è Republica atque humanæ naturæ finibus exterminarent. Tum Bucerus (quem ſtirpe Judæa natum quidam tradidere,) ita de Pontificum Maximorum majeſtate, ac de fuſa per gentes penitusque impreſſa mortalium mentibus opinione, eum à JESU Chriſto Deo inſtitutum, ab eoque divina inter homines poteſtate eſſe inſtructũ locutus fertur, ut diceret poſtremò, tolli Pontificatum non poſſe, niſi is prius de Chriſto ipſo error quo Pontificatus

nititur, ex animis hominum evelleretur; puerumque devolvere porrò inde præcipitem ad Judæorum obſtinatam hæreſin ſit conatus. Adeo ſemel incitata errandi peccandique licentia contineri, donec ad ultima impietatis deſcenderit, non poteſt. Apud hunc igitur Edoardum talibus magiſtris ad doctrinam contemnentem DEI juſſa eruditum, ſummam auctoritatem adeptus erat Joannes Dudleius Dux Nortumbriæ, magnæ vir induſtriæ animique; ſed ejus ſapientiæ, cui omnia ad opes atque potentiam referri, huc jus fasq; omne revocari placet. Is magno aſtu Edoardum ſibi & conſiliis ſuis obnoxium fecerat, cujus inſtinctu Sommerſetii Ducem, quem ei ætatis Rectorem ac Procuratorem Regni pater reliquerat, dejectum prius honore ſummotumque, deinde accuſatum quod necem Nortumbrio eſſet molitus, avunculum ſuum Edoardus occidi juſſerat, inſontem, ut fama fuit; ſed non indignum eo ſupplicio quo ipſe Thomam fratrem ſuum pari calumnia ab ſe circumventum, biennio antè affecerat. Hoc ſublato potentiæ æmulo, Nortumbrius, cum ob fidei & prudentiæ opinionem flagrantiſſima eſſet apud Regem gratia, Rege ipſo refugiente indies magis labores, & jam unâ curâ perturbatæ valetudinis diſtento, omnia ad Nortumbrium rejiciente, ſolus rerum potiebatur, qui muniendis rebus cùm Principum plerosque, tum multos ex omni genere beneficiis devinxerat ſibi, & quàm latiſſimè gratiam potentiamque diffuderat, accuratius, poſt-

poſtquam ancipiti morbo implicitum Regem ſenſit. Quo ingraveſcente Nortumbrius qua metu, qua ambitione anxius, de ſe ipſe deliberat; omnibusque penſitatis, & ſuum meritum, & ſororum Regis in ſe odium reputans, ſtatuit nihil medium ſibi poſt fata Regis, aut ſuccumbere aut occupare dominationem neceſſe eſſe; vel innoxium invidiam recentis potentiæ antè oppreſſuram ſe eſſe, quam defenſioni locus detur, niſi remedium ab audacia peteret: Quippe cui res in præcipiti eſt, & ultimum diſcrimen impendet, optimum conſilium eſſe audaciſſimum. Igitur cum eodem & vis & cupido raperent, quomodo transferret in domum ſuam Regnum, agitare ſecum cœpit. Ut fraudi aliqua juris ſpecies obtenderetur, optimum viſum, Regiæ ſe ſtirpi per conjugium inſerere. Henricum Ducem Suffolcii appellat, & rebus communicatis, Joannam Suffolcii filiam Gulfordio uni è filiis ſuis jungit, nuptiasque ex auctoritate Regis regio apparatu ac celebritate fecit. Joanna Franciſcæ erat filia, Franciſca ſorore Henrici Regis nata. Interea Regis morbus gravior in dies fiebat. Tum Nortumbrius ſecreto Medicorum conſilio habito, ubi tabeſcere eum paulatim, nec multos ſupervicturum dies comperit, Edoardum ægrum animi, & ſui incertum apto ſermone aggreſſus, perſuadet adoleſcenti, Religione quoque injecta, ut Regni incolumitati, ſi quid humanitus accidiſſet, conſultum velit, voluntatisque ſuæ ſententiam Teſtamento firmet. Sorores ille

duas

duas habebat, Mariam & Eliſabetham; inviſam utramq; arte Nortumbrii; & Mariam magis, Religionis avitæ odio, ab cujus illa cultu abduci nunquam potuerat. Et Nortumbrius, utri earum Regnum obtigiſſet, par periculum eſſe oſtendebat; feminas enim Rege natas, & jam nunc regiâ ſuperbiâ, Anglorum connubia, ut imparium faſtidientes, haud dubium quin externis eſſent nupturæ; ita advenæ Regi, ignoto ignaroq; patrii moris, ac nullâ erga priores Reges caritate, nec memoriam eorum probaturo parendum Anglis fore. Proſpiceret ipſe, & patriæ & ſuorum, & Regni & familiæ, nomini dignitatique, nec eas ſuccedere ſibi pateretur, quæ patris atq; concilii decreto tanquam non juſtis ortæ uxoribus ignominiâ notatæ eſſent. His adoleſcentem impulit, ut exheredatis ſororibus, Joannem conſobrinæ ſuæ filiam, Nortumbrii ipſius nurum, Regni heredem Teſtamento inſtitueret. Quo facto, quinto decimo poſt die Non. Julii M. D. LIII. deceſſit. Prodidêre quidam, Edoardo veneficiis paratum aut certè acceleratum interitum fuiſſe à Nortumbrio. Id ſeu verũ, ſive, quod exiſtimare licet, ex hominis moribus ingenioque conjecerint, nobis neque ſilere eſt viſum quod traditum ab aliis eſt; neque affirmare quod incompertum habemus. Prodigiis mortem ejus, mutationemque rerum quæ ſecuta eſt, prænunciatam, & crinitum Sidus diu à Septentrione ſuper Angliam apparuiſſe, & Templum quod primum Hæreticis Londini patuit, fulmine ictum

ictum, & ventorum ingentes turbines fuiſſe, Nos ut inania & ſupervacua prætcrimus, quæ plerumque à natura profecta, ignorantia aut metus in Religionem vertit. Id Teſtamentum quo ratum magis haberetur, complures Principes ac pene totum Conſilium obſignaverat. Eo citius ad Mariam indicium emanavit; quæ verita, ne ab Nortumbrio interciperetur, e Mediterraneis locis per cauſam vitandæ peſtilentiæ, maritima Inſulæ petierat, parato navigio quo ſe in Belgas, ſi urgeretur, proriperet, aut reciperet inde auxilia. Auditâ Regis morte, quam Nortumbrius biduum, donec deſtinata diſponit, occultaverat, concurritur ad Mariam, & ab ignaris Teſtamenti, & ab non probantibus. Salutatam Reginam ad capeſſendas res hortantur, nec ſegnem, & vel ceſſantibus ſuorum ſtudiis, jus ſuum ultro repetituram. Cum jam eam non negligenda armatorum manus circumſiſteret, miſſis Londinum literis Senatum cunctationis increpat, quod ad ſe non convenirent, ſolitumque Regibus cultum tribuere negligerent. Nortumbrius interea Londini palam factâ Edoardi morte, Teſtamentum aperit, ac in frequenti conſilio Procerum recitat, ex eoque Joannem ab domo privata in Arcem, quam Turrim vocant, deduci magna omnis generis frequentiâ jubet. Arx imminet Urbi, nec vere Rex quiſquam more eorum creditur, niſi eam Arcem in poteſtate habuerit, ac decem in ea dies fuerit immoratus: ea poſſeſſio Regni habetur

in-

Intranti ArcemNortumbrius ipſe in porta occurrens, poſtquam illam, ut mos genti, adoraſſet, claves tradit, omniaque ſolita fieri veris Regibus peragit, cunctis metu magis quam ſtudio approbantibus. Crebri inde à Maria nuntii, & literæ ipſius inſecutæ fiduciam oſtentantes aliter aliorum animos affecere. Terror alios, alios opes & præſentium tædium, & invidia Nortumbrii, & favor Reginæ ſollicitat. Nortumbrii ea res neque animum neque ſpem fregit. Milites ſcribit evocatque Joannæ literis, & locum ad conveniendum edicit: iis duplex ſtipendium repræſentari jubet, Præfectis item largè pecuniam impertitur, quorū diffidebat animis, largitione ac præmiis pellicere ac firmare ſibi contendens, properanſque, ut Mariam, antequam convaleſceret, celeritate opprimeret. Omnibus copiis Suffolcium, Joannæ patrem, cum imperio præficit; ipſe manere Londini, ne quid abſente ſe mollius conſuleretur, ſtatuerat. Sed Suffolcio munus per ignaviam detrectante, ipſe conſtitutis Londini rebus, traditaque Suffolcio Joannæ & publici conſilii curâ, cum quatuor filiis ad exercitum proficiſcitur. Verùm eo amoto, magna ſubito rerum ac voluntatum inclinatio ad Mariam eſt facta. Principes contemptu Suffolcii, in quo nequaquam par pondus tantæ regendæ rei erat, per ſpeciem exequendi Nortumbrii imperata, egreſſi Arce ſecedunt, privatamque coacti in domum conſilium habent; in quo Arundelio gravi ora-

tione

tione Nortumbrium affectatæ tyrannidis accuſante, & Pembrochio ſtricto gladio perniciem his qui ſe Mariæ Regno opponere auſi eſſent, minante, decretum fuit ut accerſatur Maria, eique paternum Regnum reddatur. Summiſſis inde clam armatis, portam occupant Arcis, & Suffolcium ad conſilium in oppidum evocant: qui ſubitâ re perculſus, opisque & conſilii inops, filiam jubet deponere regium cultum, & vertenti parere fortunæ; atque ipſe egreſſus Arce, ſcribendo decreto adfuit. Arx Vandemio traditur cuſtodienda, qui Principibus feminis quæ cum Joanna erant, dimiſſis, ipſam manere in arce, ac Mariæ de ſe voluntatem opperiri juſſit. Haud felicius interea res apud Nortumbrium ceciderant. Hutentonii frater, quem cum quatuor hominum millibus ad continendas in officio civitates præmiſerat, ad Mariam cum omni illa copiâ tranſierat. Naves armis viriſque inſtructæ, quas ad impediendum ne quid externi auxilii in Inſulam advheretur, miſerat, Mariæ ſe tradidêre. At ex ipſis quoque Nortumbrii caſtris adeo crebra quotidie transfugia fiebant, ut Nortumbrius Londinum aliasque in civitates mittere ad novas accerſendas copias fuerit coactus. Nec tamen antè infenſæ ceſſit fortunæ; quàm quæ poſt ſuum diſceſſum Londini acta erant, accepit; & literæ ad eum ex auctoritate conſilii ſcriptæ venerunt, copias dimittere jubentes. Tum Suffolcii ignaviam ac ceterorum perfidiam accuſans, proceſſit ad milites,

nihil ſe adverſus Reginam niſi ex auctoritate publici Conſilii feciſſe dixit, cui & in ſumendis & in deponendis armis æquè obedienter paruiſſet. Deinde cum hanc reſpui orationem, & fruſtra prætendi nomen Conſilii, cujus auctor & rector ipſe fuiſſet, & in quo unus obſervaretur, uniusque nutus decreti vim haberet, animadvertit, ne ipſe quidem ultra morari perditam cauſam voluit, ſed defungi fato, & cuncta ſuo interitu ſimul luere: Quum enim ſpem vitæ foveret, in quo ſervando non tam clementiæ laus, quàm ſtultitiæ notæ Reginæ eſſe videretur? Faſſus (ſic mos apud illos) mortem meritum eſſe ſe, à Judicibus damnatur pœna, quæ proditoribus debetur, injuncta. Ea eſt, ut altero pede patibulo ſuſpenſus, lento diuturnoque ſupplicio occidatur. Tum ille, ne id quidem meritum ſe inficiatus; genus modo tam atrocis ac ignominioſæ mortis eſt deprecatus. Poſtremò jam nihil pro ſe recuſans, filios ſuos flens commendare Judicibus cœpit, nihil peccaſſe eos niſi quod ſuam auctoritatem ſecuti eſſent, patrisque imperium antiquiſſimum ſanctiſſimumque habuiſſent. Reginæ clementiæ bonitatisque non eſſe, velle ut miſeri adoleſcentes paterni delicti, ſuique in parentem obſequii ac pietatis pœnas penderent. Poſtremò poſtulavit à Principibus qui inter Judices ſedebant, ut eorum aliqui venire ad ſe in carcerem ne gravarentur; habere enim ſe quæ de Republica cum iis communicaret, & ſibi probi alicujus viri

S ſacra-

ſacrarum literarum & divinarum rerum periti copiam facerent, quocum de ſacris deque cultu Dei, ac de veræ pietatis ratione fideque ſententiam conferre poſſet. Horum nihil a Judicibus, omnia a Regina impetravit, etiam filiis gratiam vitæ. Miſſus Epiſcoporum unus in carcerem ad eum, vir in divinis literis eruditus, a quo non tam Nortumbrius Catholicæ Fidei ac Religionis rationem eſt edoctus, (neque enim infirmitate ille ac ignoratione veri lapſus erat,) quam ipſe Epiſcopo, ut ſe animumque expiaret, flagitia ſceleraq; atque intima conſilia cogitataque rite confeſſus eſt, atque inde Eccleſiæ ſocietati redditus. Haud multo poſt cum præfinita ſupplicio ejus adveniſſet dies, & pridie ipſe rei divinæ ritè peractæ integram operam dediſſet, ſeque cum magna religione perceptâ divina Hoſtia communicaſſet, ad ſupplicium eſt ductus, cum Joanne Gatio & Thoma Palmerio, qui item capitis damnati idem ob crimen erant. Tabulatum in foro in medio eminens conſtitutum erat, ut videri ab omnibus poſſet. Eò univerſa civitas ad ſpectaculum concurrerat, locaque omnia, ut nos multitudini, compleverat. Conſpectus Nortumbrius excitavit omnium animos contemplatione priſtinæ potentiæ & præſentis fortunæ ejus. Ipſe cum in ſuperiori loco conſtitiſſet, & ſilentium quod jam ſponte ſuâ cœperat, oraſſet, populum copioſa oratione pro conſuetudine gentis eſt allocutus: nam Angliæ inertiæ ac ſtupori datur, ſi quis damnatus tacitus nec

neci ſuccumbit. Sed nobis intereſſe omnium videtur, qualis Nortumbrii concio fuerit, non ignorari. Optimi Cives, inquit, finis vitæ ſemel omnibus ſtatutus mihi nec gravis nec immaturus fuerit, ſi exactus vitæ terminus non dura neceſſitate præventus eſſet. Cæterum, id quoq; ipſum mihi feliciter eveniſſe vel ruina domus & ignominia mortis duco, quod Deum eſſe, nec poſſe falli ejus ſanctiſſimũ Numen, tandẽ edoctus ſum, atq; ejus factum munere eſt, ut qui publice in vos peccaveram, publicè etiam vobis inſpectantibus pœnas penderem; & cujus improbũ inceptum hanc hæreſin atq; has impias opiniones propagandi, fraudi omnibus damnoq; fuit, omnibus item coram aperiendi nefariæ mentis conſilia facilitas eſſet, atque omnibus ſalubre ad cavẽdum exemplum fierem. Pleroſq; veſtrum qui adeſtis, meminiſſe arbitror, quæ a me per hos annos adverſus ſacrorum inſtituta, traditaſq; a Deo & piè cultas majoribus noſtris divinarum rerum ceremonias acta decretaq; ſint. Ego Edoardũ Regem ſummi probiq; ingenii adoleſcentem, quo conſiliis meis obnoxiũ haberem, depravavi. Ego Regnum Angliæ peregrinis ſacris, falſiſq; de Deo opinionibus patefeci maximè. Ego hos pravitatis Doctores, a quibus imperitum vulgus in fraudem erroremque induceretur, traduxi. Per me hæc peſtis diſſeminata latiſſimeq; diſperſa in Regno eſt. Ego Pontificem Maximũ, quem venerationis cauſa nomino, ut pro portento aliquo ac monſtro hic haberetur, effeci; atque

hæc fieri à me novæ doctrinæ ſtudio,odioque veteris Religionis mentiebar. Quo igitur iſta ſpectabat impietas? dicet aliquis. Cœca & pravis cupiditatibus corrupta mens,plurimùm poſſe,plura habere, reliquos opibus anteire, denique metui atq; imperare, unicum atque ultimum bonorum putabat. Quæ quam fluxa, quam non expetenda ſint,quam ſæpe poſſidenti exitioſa, ut innumerabiles alios ſileam, meus unius caſus ſatis magnum documentum mortalibus,& vobis imprimis, mei Cives,erit. Atq; ego manſiſſem fortaſſe idem eadē obrutus cupiditate, & ſimulatione Religionis, ſi ſecundæ res fluere porro, ut cœperant, perſeveraſſent. Nam apud animum ſemel Dei metu exſolutū,non jus non fas reputatur, vilia omnia, niſi quæ commodo ſint,ducuntur;& mihi nihil pluris fuiſſet, quàm alere vires factionis, cui Evangelii nomen ad vos decipiendos obtendebatur, tueri ſuſceptas clientelas, & tradere filiis poſteriſque: hæc ēnim ego ſola bona putabam, prorſus immemor divini illius præcepti quod ipſum nobis Evangelium,cujus ego cuſtos exactorq; videri volebā, tradit: Fruſtra homini terrarum omnium imperium quæri, quod animæ jactura & pernicie aſſequatur. Quippe humanæ opes lubricæ inſtabilesque & breves tum quoq;, cum maxime diuturnæ. Animus ſeu cœlo ad præmia benefactorū Dei benignitate receptus,ſive ad inferorū ſupplicia inter impios detruſus fuerit,immortalis & æternus manet. Hunc me hiſce ſempiternis malis quæ tot male-

lefi-

leficiis commerui, calamitas hæc quam ſpectatum veniſtis, mei Cives, & lux divini Numinis vindicarunt: Illa enim humanæ infirmitatis admonuit, cùm qui tantis munitus præſidiis, tantorum opum faſtigio impoſitus, cui non ſatis regnare, niſi Regnum quoq; raperem, fuit, is repente rerum culmine deturbatus, turpi ac fœdæ morti damnatus jam nunc noxium caput publico carnifici feriendum præbiturus ſim. Hinc mihi ſuum prætulit lumen Deus, deditq; ut mea recogſcerē malefacta; facta nollem, dolenter acerbeque feram, & eorum me adeo tædeat pœniteatque, ut ea confiteri & palam facere non erubeſcam: malo enim fieri vos meo exemplo cautiores, & Dei reverētiores, quam me pudori meo conſulere. Et quando bonis malisque meis ego edoctus ſum, quàm lubrico, quàm præcipiti in loco ille verſetur, cujus animus potentiæ ac divitiarum nimia cupidine captus fertur, vos hortor ut honores copiasque modicè & optetis & habeatis; fidesque vobis & officium in omni actione longè ſit antiquiſſimū. At verò vos per patriæ caritaté, per ſalutem veſtram liberorumq; veſtrorū, moneo obteſtorque, Cives, ut hos nuper inventarum Religionum & novæ ſapientiæ Doctores auctoresq; fugiatis, ut peſtem animi vitetis; ne vobis contagio eorum adhæreſcat, ſermonem, congreſſum declinate, & quod utilius fuerit, procul Republica ſummovete: eorum enim lingua, ut flagitiorū & pravorū errorū flabello veſtræ mentes ventilantur, metuq; ac ſuperſtitionibus vanis tur-

bantur, ut inde obedientiam Magiſtratuum, humani divinique juris reverentiam exuatis. Inventa hæc & commenta eorum ſunt, quibus in tranquilla quietaque Republica locus non eſt, quæ alienâ pernicie creſcere, omnia miſcere, convellere, à melioribus diſſentire, rudem ignarumque vulgus poſt ſe trahere & concitare moliuntur. Quod cum nulla re citius vehementiusq; quam Religione objecta commoveatur (quippe Dei opinio omnium pulſat animos,) novis ipſi ſectis ſtudent, ut cujusmodi illæ ſint, dum antiqua eludant, obterant, polluant, eorum auctores ipſi ferantur, dum qui eos probent, qui laudent, qui diligant, qui ſequantur, unde ipſi ampli metuendiq; evadant quicquã penſi habent. Hinc Religio nuſquam niſi per ſeditiones & bellum mota: quæ Germaniæ clades licet intueri; nam gentis noſtræ vulnera reputari a vobis quam a me commemorando refricari malo. Hæc illi ſuæ potentiæ, ſuarum opum, non veſtræ ſalutis veſtrive commodi cauſa, aut amore Religionis movent. Ita ex veſtro furore inſaniaque illi creſcunt; vos alieno ſcelere præcipites in exitium ruitis ſempiternum. Hæc ego quæ uſu cognita perſpectaq; habeo, ut vos, Cives mei, monerem vobisque indicarem, haud aliud me hoc tempore quam caritas veſtri patriæq; impulit; ita mihi jam morti ſuccumbenti placatum propitiumque habere Deum contingat: quam ad rem, optimi Cives, me piis ut precibus ſupplicationibusque adjuvetis, vos oro obteſtorque. Hac habita cõcione

quam

quam ſilentio ingenti omnes audivere, Epiſcopo Vigornienſi qui prope abſtabat, eiq; omnia Chriſtianæ humanitatis officia per eos dies præſtiterat, gratias egit, mentiſque & animi ſui teſtem appellavit. Poſt hæc proſtratus ad terram, oſculum humi fixit, inde os manusque ad cœlum retulit, & precationes quasdam immotus tacitusque peregit: poſt, collum nudavit aptavitque ictui, & mox cervice præbita, lege agere carnificem juſſit, à quo caput unico ictu præciſum eſt, commotis adeo qui ſpectatum venerant, ut per triſte ſilentium diſceſſum inde ab omnibus ſit.

DE

Quatuor Britanniæ

Reginis.

EXpoſitis ſuprà quæ de Britannis accepimus, complectamur nunc paucis quatuor Reginarum gentis ejus caſus, ne minus fragilitas humanarum rerum, & clades ejus Regni in feminis quàm in viris ſpectentur. Ferdinandus Hiſpaniæ Rex cui Catholici cognomentum, & res feliciter in Bœtica contra Mauros geſtæ, & Romani Pontificis beneficium dedit, duas ex Iſabella conjuge filias ſuſtulit; virilis ſtirpis heredibus caruit. Harum neutri in tantas naſci opes magnopere profuit.

Nam majorem Joannem, cui ſucceſſio in paternum imperium debebatur, Philippo Maximiliani Cæſaris filio in matrimonium Ferdinandus collocavit, e quibus natus Carolus V. Cæſar, & Regnum Hiſpaniæ ad Germanos, Auſtriamq. familiam translatum. Hæc vero dementis mentis deſipiens, quanquam Hiſpaniæ Regina ferretur, atque ejus nomine, quamdiu vixit, (vixit autem ad ultimam ſenectam,) Regnum adminiſtraretur; tamē clauſa domi cuſtoditaque, neque adiri neque videri ab ullo poterat, ne, cui Reginæ veneratio deberetur, ejus inſipientia ſtultitiaque, atque intempeſtivi, nunc cachinni, nunc fletus, ridicula adeuntibus eſſent. Altera nomine Catharina, Arthuro Britanniæ Regis filio, neque ſane familiæ fauſto omine nupſit. Siquidem Henricus VII. Arthuri pater, qui ex crudeli loco Regnum, occiſo Ricardo, occupaverat, cunctante Ferdinando eam tradere filiam, ſuperſtite adoleſcente Edoardo, interfecti Regis fratris filio, adoleſcentem ipſum, quem in cuſtodia habebat, quo ſecuriorem de filiæ Regno Ferdinandum redderet, necari inſontem, populo inſpectante, juſſit. Sed ſcelus, cujus Henricus ultores ſuſtulerat homines, vindicavit Deus, quintum intra menſem poſt deductam in Britanniam novam nuptam, & intra quartum decimum ætatis ſuæ annum, priusquam illi jungeretur, fato puerum, puero nuptias ſuas acerbo funere præveniente. Tradita deinde virgo eſt Henrico Arthuri fratri, veniæ

Legis

Legis à Pontifice Maximo impetrata, & cum eo duo de triginta annos vixit, duos enixa liberos; quorum prior, paterno nomine Henricus appellatus, infans deceſſit; poſterior Maria non ad ſolatium vitæ, ſed ad fortunæ utriusque ludibrium, parentibus ſuperſtes fuit. Sed Henricus ſeneſcentis Catharinæ pertæſus, & perditus amore alterius, quo vacuum novæ libidini regium thorum, depulſa uxore faceret, fingit, ſe matrimonio ejus Religione prohiberi, quæ nupta ante fratri fuiſſet. Ita Catharina ſepoſita deſertaque cogitur de conjugio, in quo conſenuerat, jure apud Laurentium Campegium, ad id Româ in Britanniam miſſum, & Thomam Volſæum, Cardinales (hunc enim Campegio collegam, petente Henrico, addiderat Pontifex) judicio cum viro contendere; & ſedentem fortunæ & famæ ſuæ judicem Volſæum videre, quem infenſiſſimum ſibi ſuæ contumeliæ extuliſſent, quemque unum Regi calumniæ, ac ſimulatæ Religionis auctorem fuiſſe ſciret, hominem non pudendis natalium ſordibus quàm animi vitiis inſolentia atque arrogantia faſtidiendum magis. In eo judicio cum hinc jus & cauſa pro Regina eſſent; inde gratia ac reſpectus Regis valeret, ut neque mos geri Henrico, quin violaretur ſanctitas Religionis; neque reddi jus Catharinæ, quin Rex alienaretur, poſſet: ad extremum Pontifex, à quo ſatis peccatum in alenda Henrici ſpe fuerat, revocato Romam Campegio, jus atque fas antiquiſſimum habuit.

Sed Henricus, ſpreto Pontificis judicio, quòd libidini ſuæ non reſpondiſſet, cunctâ vi atque effrenato impetu egit. Ita Catharina maximo Chriſtianorum Rege orta, vivente ſorore tot Regnorum Dominâ, & Carolo Cæſare ſororis filio incolumi & opibus florente, matrimonio ac Regia per injuriam exacta, & tanquam vulgaris & contempta concubina abjecta eſt; & non prælatam modò ſibi humilem atque obſcuram pellicem, ſed in regio faſtigio atque ſuo in ſolio collocatam aſpicere eſt coacta; & ne quid cumulandis miſeræ contumeliis deeſſet, filiam ex ſe genitam, unicam atque juſtam Regni heredem, privatam publico Decreto jure hereditatis, ut non vero conjugio natam, & ancillaribus miniſteriis famulantem adulteræ videre. Demum tertio poſt repudium anno, ſeu veneno, ut ferè tenuit fama, ſeu perpetuis lacrymis ac mœrore confecta, ſive utroque, privata in domo omnis non ſolùm auxilii, ſed ſolatii quoque inops atque deſtituta, periit Januario menſe, anno M. D. XXXVI. eò quoque infelix, quòd vitam ad æmulæ ſuæ ſupplicium, quarto poſt menſe interfectæ non produxerit. Dum Catharina ſuam apud virum dignitatem diſſidii expers tenuit, in famulatu ejus puella erat, ingenuis magis atque honeſtis, quam claris parentibus orta; Annæ Boleniæ nomen fuit. Mater ejus inter famoſas habita ita in pellicatu Henrici vixit, ut tenuerit opinio Annam Henrico ipſo genitam fuiſſe.
Illud

Illud quidem pro non dubio fertur, natam pater, cum tertium annum Regis miſſu in Gallia abeſſet, & reverſum eum domum, nec Annam pro ſua agnoſcentem, & uxorem adulterii ream facere parantem, Regis auctoritate fuiſſe deterritum; Annamque, tegendæ uxoris maculæ, ut communem filiam educaſſe. Adulta in Galliam deducta, aliquot annos inter nobiles puellas, pro gentis inſtituto Reginis famulanda in Aula fuit, adeò adverſa pudicitiæ fama, ut Equa Anglica appellaretur à Gallis. Reducta inde domum, matris gratia in Regiam admittitur. Erat inſigni & conſpicua forma, quam & cultu eximio augebat, & ejus fiduciâ erigere ſe ſuper fortunæ ſuæ modum, & blando quodam faſtu ſpernere æquales videbatur. Conjecerat ergo in eam oculos Rex; neque ipſa non ſtatim ſenſerat: ſed diu pertinaciter diſſimulavit, quo irretiret magis animum Regis, qui & ipſe, quantò indies magis cupidine accendebatur, tantò diligentius occulere amorem, ſeu verecundia uxoris, ſeu puellæ ipſius reſpectu, ne quid incommodi rumoris famæ ejus afflaret, ſtudebat. Illa ſæpè occultis nuntiis ſollicitata abnuere, & amorem pudicitiæ obtendere, eâ amiſſa, nihil reliquum feminæ eſſe dicere, docta in matre ac ſorore, utraque uno tempore in voluptatibus à Rege habita, non magni æſtimari ab eo, quas facilè corrupiſſet. Itaque non niſi incenſo, & ad infimas preces deſcendenti, planèque flagranti ac perdito aſſenſa eſt Regi:

Cujus potita, adeo ſimulatione amoris muliebribusque blanditiis circumvenit, ut non ad tædium ſolùm, ſed ad odium atque diſſidium, & mox etiam ad repudium Reginæ uxoris impulerit: Atque ipſa prægnans in Regiam deducta turpitudinem admiſſi ſtupri non conjugii tantùm nomine tegeret, ſed nuncupatione Reginæ in honorem ſui atque gloriam verteret; adeoque mariti atque imperii juxta potens fuit, ut & Volſæum Cardinalem præverterit, quia ſororis Galliæ Reginæ nuptias conatus conciliare Regi ferretur; & alios æquè claros viros, aut gratia atque honoribus depulerit arbitratu ſuo, aut provexerit. Sed ſic ſe res mortalium habent: ſæpè

——— *Tolluntur in altum*
Vt lapſu graviore ruant.

Evecta ad tantas opes Anna eſt, ut à majeſtate Regii nominis præcipitata vitam demum in publici carnificis manu relinqueret. Utero quem gerebat, feminam edidit hanc ipſam Iſabellam, quæ nunc Regnum tenet, de qua ſupra nobis eſt memoratum. Sed majores Anna ſpes affectans, nihil actum ſibi potentiæ ac dominationi firmandæ exiſtimat, niſi filium ſucceſſorem patri procreâſſet: & Henricum flexâ jam ad ſenium ætate, parum gignendis maribus aptum putans, corruptum ſemel animum facilè ad flagitii cogitationem convertit: & quod ex viro non ſperabat, quomodo conciperet ex alieno, mente agitat. Frater erat illi nomine Georgius, validus juvenis & flo-

& florenti ætate, quem ipſa & diligebat plurimùm, & ad honoratam fortunam præter cæteros produxerat. Hunc pariter rata, & gignendæ ſoboli & tegendæ rei accommodatum haud difficulter, conſilium & curam domus, non libidinem prætendens, ad inceſtos amplexus pellexit; & qui cuſtos ac vindex pudicitiæ ſororis eſſe debuerat, ultro temerare eam non erubuit. Sed ipſa conceptum ex nefando concubitu aſpernante naturâ, cum Annam fratris ſpes fefelliſſet, faſtidito jam eo, liberorum deſiderium ad licentiam libidinis tranſtulit. Primùm in amorem Noretii illapſa, mox ipſa facilitate invitata, Veſtonium, ac deinde Bruerthonium, nobiles in Aula juvenes, & forma excellentes, adulteros adſcivit: donec ſtimulante libidine ad usque ſervile probrum ſe demiſit, humilique citharædo corpus ſubjicere ſuſtinuit, cujus pulchritudine ſublata ad regium faſtigium fuerat. Nec tot flagitiorum delator inveniebatur, niſi ipſa miniſtrarum unam gnaram omnium, cum amatore deprehenſam, ſeveriùs quàm tot ſibi dedecorum conſciam deceret, objurgatam, indignatione compuliſſet, judicium ad Regem deferre. Comprehenſi ſtatim Georgius, reliquique, & pro magnitudine flagitii acriter torti, de ſe quisque eſt confeſſus, & continuo omnes merito ſupplicio ſunt traditi. Anna in carcerem ducta ac damnata eſt nobiliori judicio, quia pœnæ miniſtrum filiæ fortuna patrem dedit; qui

forte

forte capitalium rerum Judex, adverſus eam ca-
pitis ſententiam tulit, cujus gratia in illum [illegible]
derat locum, & quem ipſa culpæ deprecatorem
ſperare debuit, eum potiſſimum exactorem ſup-
plicii habuit. Felix pater, cui filiam in tenuem
fortunam ab ſe genitam, Reginam videre contin-
gerat; felicior, ſi nunquam vidiſſet, quando eam
Reginam ream & mox damnatam truncatamque
ſecuri aſpexit! Quæ ſummæ majeſtatis atque ho-
noris titulum in domum ideo intuliſſe eſt viſa, ut
inde inuſta ignominiæ nota traduceret ad poſte-
ros infamiam ſempiternam. Cum e carceribus
in aream, quæ perampla eſt ante Arcem, produ-
ceretur, quo omnis multitudo concurrerat ad
ſpectandum [illegible], quam nuper [illegible] ad-
orare conſueverant, nec tranſeuntem ullo ho-
nore dignarentur, illa ne tum quidem oblita ſu-
perbiæ contumelioſiſſime eos compellans con-
vicio [illegible], eſſe morituramque ſe Reginam
eorum ferens, diſrumperentur omnes licet. In
extructum inde ad id tabulatum cum aſcendiſſet,
vultu adeo conſtanti interritoque ut ſpecie Regi-
nam agnoſceres, circumſpexit intenta in ſe undi-
que populi ora. Poſt verba ad paucas pediſſe-
quas, quæ ſecuræ eam flentes adſtabant, pauca
conſolatoria nihil aliud quam ut (quod ipſa non fe-
ciſſet) pudorem ſervarent, admonuit: deinde [illegible]
cantes crines ſua cura in reticulum collegit alli-
gavitque. Tum ad extremam [illegible]
ſtem collo amovere [illegible]

tam

tam fœdis manibus caput, cui nuper maximus Britanniæ Sacerdos Regium Diadema impoſuiſſet; adeo Reginæ ſpiritus ne inter extrema quidem exuerat. Digna prorſus, quæ tam firmum adverſus mortem animum pro pudicitia exhibuiſſet. Ipſa ſibi veſtes à collo removit, candidamque cervicem ad humeros usque ſedulo aptans componensque nudavit. Poſtremò genibus poſitis ultimos quoque pedes, quò honeſtiùs procumberet, veſte contexit, illis manibus tam triſte ſibi miniſterium præbens, quibus paulo ante placiturum Regi corpus mollire & componere erat ſolita. His ita actis, ultro ſubjecit ſecuri collum, quod abſciſſum inſigne humanæ imbecillitatis documentum mortalibus reliquit. Poſtridie Rex, ut interemptæ funeri inſultaret, nuptias cum Joanna Semeria fecit, omnique lætitia celebravit. Ne in hanc quidem ipſam clementior, cui difficultate parturiendi laboranti; luxari membra, divulſæque ac extinctæ utero extrahi fœtum imperavit: aliis etiam exenterata juſſu ipſius, antequam exanimaretur, fertur. Qua mortua, Annam Cliven ſem, claro genere apud Germanos natam, cœlibis vitæ impatiens duxit, & paucos poſt menſes divortium cum ea fecit, nulla extante cauſa niſi fortaſſe novi amoris quo cum conſpecta & eximia forma, & ſuaves Cathatinæ Havardæ mores cœperant. Ea ut non par regiæ amplitudini, ita ſplendida honorataque apud Britannos familia orta, fratris filia erat Tho-

Thomæ Havardi, claris victoriis ſub Henrico ipſo nobilitati Ducis: Quæ pulchritudine cæteras anteïens, alliciendique animos magno ſtudio erudita, oculorum prius illecebris, deinde commoditate ingenii, blandis & mollibus moribus ita irretivit effeminatum Regem, ut Clivenſi dimiſſa, eam uxorem duxerit; Reginamque, ut & ipſa oſtentum fortunæ eſſet, nuncupavit. Neque enim biennium eâ potitus (adeo pares huic Regi incontinentia & infelicitas in matrimoniis fuère) cùm non adulteratam modò, ſed delibatam priùs ab altero virginitatem ejus, vitiatamque ad ſe deductam comperiſſet, idem de ea quod de priore Anna ſupplicium publicè ſumpſit; Durantio & Culperio mœchis pariter interfectis: ut non facere adulteria proclivius quàm vindicare ſeveriùs videretur. Atque hic finis Henrico ſæviendi in uxores fuit: nam Catharina Pacia, quam occiſa Havarda, ſtatim duxit, ſuperſtes illi fuit. Mortuo Henrico, Joannes Dudleius ſub Edoardo ſummas opes invaſit, ſed adeo præcipitem in locum, & ambitione ſua, & aliorum invidia eſt progreſſus, ut extrema tentare eum, niſi cupido adegiſſet, neceſſitas cogeret. Is proviſa Edoardi morte, perſuaſerat puero ut, exheredatis ſororibus, Joannam Suffolcii Ducis filiam heredem Regni diceret. Hanc ipſe Joannam nurum ante ſibi aſciverat, traditam in matrimonium Guilfordio, tertio filiorum. Atque hæc conſilia illi occupandi Regni erant. Joannæ materna nobili-

bilitas annexa Regiæ ſtirpi erat, cujus avia Maria, Henrico VII. genita, Aloyſio XII. Regi Galliæ, & eo mortuo, uni è Principibus Britanniæ nupſerat, unde orta Franciſca, Joannæ mater. Nuptias Gulfordii magnopere fuerat aſpernata, non contemptu illius, ſed ſe ſoceri ambitioni immiſceri, & inſtrumentum Regni adſciſci ſenſerat, idque veluti præſagiens quæ evenerunt, refugiebat. Nuptiæ, jubente Rege, regio ſumptu ac ſplendore fiunt, omnibus Regni Principibus ad eas celebrandas accitis. Conceſſit fato paulò poſt Edoardus, & Nortumbrius, aperto Proceribus coram Teſtamento, Joannam Reginam appellarat, adeo invitam, ut haud minus repugnanter Regnum ſuſceperit, quàm alii relinquunt. Ab domo privata tranſire in Arcem juſſa, non niſi patris minis, & convicio matris adigi potuit. In Arce omnis ſolitus Regibus cultus illi tribuitur. Profecto inde ad exercitum Nortumbrio, Suffolcius Joannæ pater curam publici Conſilii, & ſummæ rei molem inque ſubiit. Itaque Principes amoto Nortumbrii metu, & Mariæ rebus auditis, quæ paternum Regnum ſibi haud ſegniter vindicabat, ſpreto Suffolcio ad Mariam defecerunt, & Arcem, priusquam ſentiret Suffolcius, occuparunt: Qui re ſubitâ territus, ſecutus reliquorum conſenſum, ſcribendo de Mariæ decreto adſuit: Filiam adit, ut omni detracto regio ornatu, parere Conſilii voluntati, & Mariam accipere Reginam jubet.

Ferunt, Joannam his auditis reſpondiſſe patri, libenter ſe deponere quod invita ſuſcepiſſet. Cæterùm, eandem ſe, & ſoceri ambitionis,& parentum ſtultitiæ pœnas immerentem eſſe daturam. Occupatam Arcem Vandemius ex Conſilii auctoritate cuſtodiendam accepit. Ab hoc juſſæ abire domum Principes feminæ, quæ ad cultum Joannæ in Arce erant; & Joanna ipſa, ac vir ejus & pater cuſtodiæ traditi, eam fortunam habituri quam victrix Maria dediſſet. Ingens ludibrium! quam modò Reginam procumbentes humi venerabantur, eam momento non privatam modò, ſed ne liberam quidem videre. Huic Maria, viroque, ut innoxiis & alieno ſcelere, non ſuâ ſponte Majeſtatis crimini implicitis, errati veniam datura,& vitam conſervatura, haud dubiè eſt credita, niſi Suffolcius pater priori facinori, nova defectione addita, inexpiabilem noxam feciſſet. Is cùm in carcere aut vero, aut ſimulato morbo decumberet, uxoris precibus exorata conceſſerat Maria, ut in domum ſuam curandæ valetudinis cauſa deduceretur, fide accepta aliò nusquam deceſſurum. Magnum futuræ ſalutis ac veniæ pignus, niſi ille aut vano metu, aut nova ſpe ſe ſuosque perditum iviſſet, & inita fuga, cum Huniato magni tumultûs & ſeditionis Duce conſilia adverſus Mariam conſociaſſet, iterumque filiam Reginam acclamari juſſiſſet. Itaque & ipſe ex fuga retractus necatusque eſt; & Joanna, ne maneret ea ſeditionum materia,

capi-

capitis damnata. Nunciantibus, meritam eſſe ſe ut puniretur, reſpondit, quæ alieni Regni ſedem occupare non fuiſſet verita, (ſed rem actam expoſuit) ſeque non ſua ſponte, ſed coactu ſuorum feciſſe oſtendit; neque adoleſcentulæ, ſoceri parentumque, ac tot circumſtantium ſe Principum auctoritati obſiſtere, facilè fuiſſe: ita quod eſſe ſimul vix videretur poſſe, & innocentem eſſe ſe, & jure damnatam videri: atque eò minùs mortis aſpectu terreri ſe, & bona ſpe eſſe eam certioris vitæ initium ſibi futuram. Tantum roboris in juvenculæ animo eſt inventum, ut nuntium mortis moderatiùs quàm antea Regni tulerit: ſiquidem illud majori obediendi laude, quàm imperandi cupiditate ſuſcepit. Mortem tam conſtanter contempſit, ut vel unâ hac virilis animi præſtantiâ ne Regni quidem honore indignam ſe fuiſſe oſtenderit. Guilfordius vir ejus item capite damnatus, ne tum quidem, cùm depoſiturus vitam eſſet, amoris in conjugem oblitus, viſere eam atque ultima accipere ac dare oſcula cupivit. Sed illa negavit ſe eum videre velle, cui aſpectu ſuo auctura dolorem, & captura ipſa eſſet: hæc teneræ benevolentiæ officia vivis jucunda, morituris ſupervacua eſſe, juvenemque admoneri juſſit, abjectis ut humanarum rerum curis, animum cœleſtium accommodaret cogitationi; ſic enim fore, ut paulò poſt corporis vinculis ſoluti, unà bonis fruerentur ſempiternis. Fuerat Joanna ſummâ parentum curâ

inſtituta omnibus artibus, quæ ſummo loco natam puellam decere viderentur. Sed ipſa multò maximam literis operam impenderat; & in ea inciderat tempora, cum antiquæ Religionis ſanctitas inventis novis, ſacris novisque erroribus ſorderet, iis imbuta deditaque opinionibus plurimùm ſtudii in id contulerat, divinarumque literarum volumina evolverat; quorum majus eſt pondus quàm ut ferre infirmum ac muliebre ingenium poſſit. Etenim retruſa atque abdita iis veritas ægrè à ſummis viris, & pari ſanctitatis ac ſapientiæ laude excellentibus elici explorarique videtur poſſe. Imbecilla certè ingenia, ut fere ſunt feminis quæ ſibi aliquid ſapere atque intelligere videntur, aut in adamata ſemel ac præjudicata opinione confirmat, aut magnis involvit implicatque erroribus ſacrorum librorum lectio: quod Joannæ accidit, ad quam Regina Sacerdotem in divinarum rerum ſcientia, atque in omni ſacrorum diſciplina apprimè eruditum miſit, qui à pravis ſententiis ad Fidem Catholicæ pietatis eam revocaret. Quod adeo fruſtra fuit, ut illa ſerum beneficium eſſe diceret, nec vacare jam ſe inquirendo vero, quod in ipſo Deo perſpicuum mox eſſet viſura. Nec, quanquam ejus rei cauſa producta illi ſupplicii dies fuerit, quicquam eſt profectum; adeo alte in puellæ animo deſcenderat error. Cùm duceretur, Cuſtodi Arcis petenti ab ea precationum libellum, quem manu ferebat, dono dedit: ſed prius tres in eo ſententias

tias ternis linguis ſuâ manu exaravit, Græcè, Latinè, Britannicè, quibus ſignificabat inſontem perire ſe, & quod apud homines non inveniſſet, jus ſibi apud Deum futurum. Conſcenſo ſupplicii loco, multitudinem haud alia oratione compellavit, quàm ut placido vultu ſalvere omnes, memoresque innocentiæ ſuæ eſſe juberet. Deinde Sacerdotis ad ſe à Regina miſſi, qui nunquam deſtiterat monere atque hortari, ut averteret à pravo errore animum, dexteram apprehendens, agere ſe illi gratias dixit, quòd nullum in ſe iis diebus humanitatis officium prætermiſiſſet, ac tanto ſtudio trahere in ſententiam ſuam conatus eſſet; ſcire enim animo id optimo ab eo factum: Cæterum ſic haberet, non tantùm ſibi formidinis ex præſenti morte offundi, quantum moleſtiæ per eos dies ex ſermonibus ejus cepiſſet. Atque eo dimiſſo, poſuit ante ſecurim genua, ac detracto capitis velamento, exſolutis everſiſque in faciem crinibus oculos texit, ac cervicem ſecandam ſubdidit; defixis miſeratione omnium animis, reputantium & innocentiam ejus, & ætatem, & ſingularem in perferenda morte conſtantiam.

DE
Alexandro Medice,
Florentinorum Duce.

MEdiceorum primordia, ingentiaque incrementa, & inde fortunam exilio inopiaque afflictæ domûs, ſuprà in Petro memoravimus: Cujus infelici exitu, inpoſterum quoque inciſæ ſpes reditûs in patriam, & ad priſtinam dignitatem, fratribus ejus videbantur. Nam & Florentini eò intentiùs ad cuſtodiam arreptæ libertatis excubabant, quò flagrantiùs odium adverſus Dominos induerant; & Medicei ipſi conatibus toties ad irritum cadentibus feſſi, & ſumptibus exhauſti, ipſa etiam labante jam amicorum fide, defecerant animis. Ad Petri cladem acceſſerat Joannis Cardinalis captivitas, qui Legatus à Julio Pontifice Maximo ad exercitum miſſus, nobili illa ad Ravennam pugnâ in Gallorum poteſtatem pervenerat: Sed fortuna humanarum rerum jus uni ſibi vendicans, cùm in Galliam vinctus duceretur, & jam major de libertate quàm de imperio cura inceſſeret, repente ex ipſa infelicitate læta benignaque apparuit; & veluti ex adverſo jam reflans, brevi haud dubio curſu in optatum portum patriæ revexit.

In transgreſſu Alpium, per incuriam aſſervantium cuſtodiâ elapſus, rediit Romam, & recenti merito toleratæ pro Republica calamitatis, & veteri Julii Pontificis in Florentinos odio, qui Gallorum ſecuti partes, Ludovico eorum Regi Piſarum urbem habendo in Julium Concilio accommodaverant, ab eo atque partium Ducibus qui Civitatem avertere à Gallis cupiebant, ſtrenuè adjutus, haud ſpernenda cum copia in Etruriam tranſiit, & Prato, valido oppido de Florentinis capto ac direpto, territis hinc Prati caſu Florentinis, & ob vetera diſſidia parum ſe ad reſiſtendum expedientibus; hinc Mediceorum amicis ad occaſionem haud ſegniter exſurgentibus in urbe eſt receptus, & ejecto Petro Soderino, perpetuo Vexillifero, id erat ſupremi Magiſtratûs atque Imperii nomen, Rempublicam ita conſtituit, ut Magiſtratuum atque libertatis ſpecie, auctoritas tamen ac jus dominationis penes ſe familiamque ſuam eſſet. Neque hic ſecundarum rerum finis; inſequenti enim anno, mortuo Julio, cùm Cardinales de more ſeſe Conclavibus creando Pontifici incluſiſſent, Joannes ipſe, conſpiratione Juniorum, Pontifex Maximus eſt renunciatus, & Leo X. appellatus: raro quidem exemplo, cùm octavum & trigeſimum annum vixdum attigiſſet; rariore, quòd ex carcere ac vinculis, quorum adhuc recentia manebant ſigna, ad ſummum inter mortales gradum dignitatis pervênit, florenti ætate, & nequaquam illi faſtigio

ſtigio maturâ. Quæ fortuna non erexit modò, firmavitque, ſed prope in immenſum extulit Mediceorum opes. Leonis annorum decem Pontificatus Maximus pene continuatus eſt Julio Cardinali patrueli ejus, qui Clemens VII. eſt dictus; nam interjectus Adrianus biennium non implevit: Clementem verò fortuna haud minus in ipſo Pontificatu quàm antea privatum alternis caſibus agitavit: quod ſuo loco à nobis fuſiùs memoratum eſt. Nam per ſummam nominis ſui contumeliam à Colonnienſibus vi atque armis Vaticano Palatio expulſus, & celeri fugâ in Adriani Arcem ſeſe recipere eſt coactus. Palatium, & regii apparatûs pretioſa ſupellex, ipſumque D. Petri Templum, etiam barbaris ſacroſanctum, militum avaritiæ ceſſit; qui nullo Religionis pudore, nec ſacris quidem Altaribus avidas abſtinentes manus, omnia fœdum in modum diripuerunt. Sed plus ignominiæ quàm damni habere ea clades videri potuit, præ ſumma illa calamitate quam biennio pòſt ſub eodem Clemente Romana civitas pertulit à Cæſarianis militibus, ducente impiam manum Carolo Borbonio, capta & barbarâ crudelitate direpta, cædibus, incendiis, rapinis, ac mille divinarum humanarumque rerum ludibriis divexata deformataque; & ipſe Clemens in Arce obſeſſus ægrè libertatem immani pecuniæ ſolutione redemit; & quod acriùs animum ejus perfodit, Florentini ab eo defecerunt, libertatemque arrepta occaſione, ipſo

gente-

genteque ejus acerbiſſimis decretis proſcriptis, uſurparunt. At idem, converſa mox rerum vice, Carolo V. Imperii Diadema Bononiæ frequentiſſimo Principum conventu impoſuit; Mediolani Regnum Gallis Hiſpaniſque pertinaci cupidine armis ſibi vindicantibus, unde tot per annos ſævis uſti bellis ſumus, tandem in Italia retinuit, & Franciſco Sfortiæ Ludovici filio tradidit. Rem Florentinam adeo in manu habuit, domitâ armis civitate, & jugum iterum accipere coacta, ut dominatum non jam tectè, ut anteà, neque fictis nominibus, ſed palam veris appellationibus familiæ ſuæ firmaret, Alexandrumque in ea Ducem cum ſumma poteſtate conſtitueret, junctâ illi matrimonio, quod ſtabilimen potentiæ futurum erat, Margaretâ Cæſaris filiâ. Hunc Alexandrum Laurentius Petri filius, cùm ſub Leone Pontifice Maximo Franciſcum-Mariam Rovereum Urbino expuliſſet, Regnumque ejus occupaſſet, ex Urbinati pellice tulit: & Clemens infantem à patre relictum inopiâ prolis ita ſuſcepit, ut amplæ fortunæ innutritum ac principali cultu habitum, approbatâ ejus indole, ſtirpi Regnoque in familia propagando elegerit. Is igitur poſt Clementis mortem Margaretæ nuptiis potitus, à Carolo Cæſare rejectis exulum poſtulatis qui Neapoli cauſam libertatis apud eum rehementer egerant, in fidem fuerat receptus: nam Carolus rem Florentinam unius imperio contineri, quàm populi jus valere, aptius rationibus ſuis eſt ratus,

cum

cum ſciret, ingens Civitati inſitum eſſe erga Regem Galliæ ſtudium; & malè poni apud omnem multitudinem donum libertatis, & beneficii ſui meritum plus in Alexandro gratiæ habiturum ſperaret. Ergo Alexander ex ipſius auctoritate Cæſaris omnia firmandæ dominationi præſtruxerat. Arcem Florentiæ idoneo loco ædificatam magno opere, magno æneorum tormentorum, atque omni bellicarum rerum apparatu communierat, & probatæ fidei homini cum juſto militum præſidio cuſtodiendam tradiderat. Florentinis arma ademerat, eaque ſociorum juventuti tradiderat, quam totâ ditione in militiam deſcribi, centuriarique juſſerat, datis Præfectis qui ordines ſervare & militiæ munia ex diſciplina obire docerent. Germanorum cohortem egregiè fidam ad corporis ſui Prætoriique cuſtodiam in Urbem induxerat, multoſque domi ſuæ Centuriones militareſque viros ſpectatæ virtutis, præmiis ſtipendiiſque allectos habebat. Alexandrum Vitellium Tifernatem, hominem ſtrenuum & militiæ gnarum, toti rei bellicæ cum magna poteſtate præfecerat; cui vel ex eo præcipua fides, quod patrem ejus Florentini ob ſuſpicionem adminiſtrati parum ſincerè Piſani belli, ut nos ſuo loco memoravimus, ſupplicio affecerant, ut ipſe eorum premenda libertate, etiam privatam ultionam petere crederetur. Regendi civitatem, conſiliaque dirigendi curam Innocentio Cybo Genovenſi Cardinali delegaverat; cui, & quia

Cæ-

Cæſarianarũ partium habebatur, & quia per matrem Alexandrum propinqua affinitate attingebat, (erat enim ſorore Leonis Pontificis Maximi genitus,) fidebat tribuebatque plurimùm. Sed ne quid huic adoleſcenti deeſſet, quo minus ſecurus ætati indulgeret, etiam Hippolytus Medices Cardinalis qui exulibus ſe junxerat, & haud dubiè æmulum ſe atque inimicum Alexandro ferebat, & ſi dejectus ille fuiſſet, per ſpeciem reddendæ libertatis dominationi imminebat, in ipſo novandarum rerum apparatu opportunè deceſſerat; nec abfuit ſuſpicio, Alexandri ipſius fraude ſublatum fuiſſe. Hac igitur fortunâ, atque his potentiæ munimentis fretus Alexander, velutiſi invitis & vi oppreſſis imperare ludus eſſet, penitus ſe juvenili intemperantia voluptatibus tradidit; quarum gliſcente indies ſtudio, brevi adeò effreni licentiâ in omnem ſe luxuriam demiſit, ut non contentus ſolitis juventutis artibus, matronarum amores ſollicitare, & nova ſemper vagaque implicari ac diſtineri Venere, nulli corruptelarum generi parceret, quo morem Civitatis, alioquin in feminarum luxuria coërcenda, pudoreque cuſtodiendo ſatis rigidæ diſciplinæ, conviciis, ſpectaculis, ac ſæpè etiam cœtibus parum pudicis depravaret. Denique, ne ſacratis quidem virginibus corrumpendis, inceſtâ libidine abſtineret; quarum tranſcendere ſepta, perrumpere clauſtra, & nihil clauſum ſibi, nihil ſatis cuſtoditum pati ferebatur. Et cui modeſtiæ exemplis

plis

plis leniendus impoſitæ ſervitutis dolor in civium animis fuit, imfamiâ vitiorum odia intendit. His corruptus juvenis non Regni ſolùm curas omiſerat, ſed ſui quoque ipſius videbatur oblitus: nam quibus libertatem ademerat, eorum fidei vitam committere, dum cupitis voluptatibus potiretur, non verebatur. Quid ergo mirum, ſi incautus & negligens inſidiis exceptus oppreſſusque; eſt? Et quidem, quem eadem ſtirpe ac ſanguine ortum, & à ſe gratia & beneficiis auctum, ſalutis ſuæ vindicem ſperare debebat, eum potiſſimùm exitii auctorem, & machinatorem nefariæ fraudis eſt nactus. Laurentius erat Medices, qui à Laurentio, fratre majoris Coſmi, cujus divitiis virtuteque clareſcere familiæ opes cœpere, originem ducebat; adeo propinquus Alexandro, ut ſi ille ſine liberis deceſſiſſet, ad eum ſucceſſio in Regnum perveniret; juvenis ingenii magni & pravi, quod non mores ſolùm quanquam ſtudioſiſſimè occultati, ſed oris quoque habitus prodebat, perpetuo pallore ſuffuſi: ridentem rarò, ſubtriſtem plerumque ac tacitum vidiſſes: in cultu corporis reliquisque vitæ inſtitutis adeo negligens ſui, ut Philoſophus per contemptum à pleriſque & ab ipſo Alexandro appellaretur. Et abdebat ipſe ſe ſæpè in ſtudia haud ſanè expers bonarum literarum, ſi diſciplinam morum, alias non artes fallendi petiiſſet; gaudebatque irrideri ſe, quod plebia pannoſaque in veſte, omni ſpreto elegantiori ornatu incederet. Et quærenti

renti Alexandro, cur ita gladio non ſuccingeretur, inertiæ ac formidinis opinionem affectabat; & cùm res vim atque arma poſceret, tum ſibi ut nihil fideret, Alexandrum monebat; ſe enim pedum, non manuum auxilio uſurum; proinde non certaminibus ſe ac periculis objiceret, quorum ne aſpectum quidem pati poſſet, ſed otii ac pacis artibus adhiberet, his haud ſegnem operam polliceri. Et expediendis quidem vel magnis de rebus conſiliis, operæque navandæ haud facilè quisquam promptior. Inerat profunda calliditas, aptus & fluens ſermo, ſumma audacia, trux & ſævus animus, & maximè avidus nocendi. Is apud Alexandrum flagrantiſſimam gratiam, & gratiæ parem fidem ſibi fecerat malas per artes. Nam juvenis affectus rimans, ubi & odio erga eos qui acrius pro libertate contenderant, & impotenti amore voluptatum maximè vinci agitarique animum ejus ſenſit, hinc blandiēdo luxuriæ, hinc ſuſpectorum civium dicta factaque ſagaciſſimè veſtigando obſervandoque ita ſe inſinuavit, ut brevi in omnia familiaritatis jura pervenerit, eumque Alexander & amorum miniſtrum, quo uno gratiæ genere maximè Regum animi devinciuntur, & iræ metusque arbitrum haberet. Et ille hanc nactus facultatem, multos cives occultis criminationibus ſubvertit, amicos etiam ſuos de induſtria trahens, vitio animi omnium pernicie lætantis; & quo majorem inde ſibi ſtrueret fidem, cùm unam Principes vicem ſollicitus,

ne

neceſſitudines quoque ſuas negligere pro ſalute ejus crederetur; & altiori conſilio Alexandrum ipſum in atrocius odium civium conjicere ſtudēs, cùm alii vitâ, alii exilio mulctarentur; alii in peſtilentis cœli urbes ab oculis civium amandarentur, aliorum bona Fiſco addicerentur, aut gratioſis & dominationis ſatellitibus diviſa eſſent. Quid autem Laurentius tanto ſimulationis ac doli apparatu, & cæde Alexandri quam mox eſt executus, ſpectarit, haud facilis conjectura fuerit, cùm libertatis auctorem ipſi quoque qui maximè unius dominatum detrectabant, aſpernati ſint. Quidam invadendæ tyrannidis ſpem affectaſſe eum crediderunt, ratum, Alexandro extincto in perturbatâ ac nunquam concordi civitate, tanto ſuo ac tam recenti merito locum ſibi occupandæ potentiæ, ipſumque invadendi Regnum aliquem futurum. Plerique mala agitatum mente, furore atque invidia, ſævum facinus auſum exiſtimant: quæ enim reddendæ libertatis, aut omnino mutandi ſtatum civitatis ſpes eſſe poterat, prævalidis in Italia Cæſaris opibus, procul diſſitis Gallorum auxiliis, Arce veluti jugo in cervicibus hærente, civitate exutâ armis, & armato præſidio inſeſſa; ipſe non aliud quæſitum ſibi, quàm otioſo Tyranno vindicatæ in libertatem patriæ gloriam prædicabat; idque conſilium ſtatim poſt Clementis mortem ſuſceptum ſibi dilatumque, quia magno atque ancipiti facinori apta occaſio opperienda fuiſſet. Nec defuêre qui virtutem,
ma-

magnitudinem animi, pietatem erga patriam, totum denique cogitatæ perpetratæque rei conſilium ita efferrent, ut Laurentium antiquo illi Bruto, qui Regibus exactis libertatem Populo Romano dedit, laudibus æquarent. Impenetrabili certè ſilentio totum conſilium ita texit, ut ne ad ipſos quidem Alexandri inimicos vel tenuiſſima ſuſpicio permanaverit, quāquam ipſe poſtea ferebat, cùm ſcriptam ab ſe Comœdiam edidiſſet, veniam dari ſibi à ſpectatoribus in Prologo petiiſſe, ſi Fabula minus placeret; polliticumque eſſe aliam brevi daturum, cujus Argumentum omnes probarent; hisque ambagibus facinus quod mente agitabat, innuiſſe. Quo tutius fraus procederet, libidinum Alexandri veluti ſedem, domum ſuam delegerat; eò corruptæ matronæ virginesque nocte concubiâ, quo occultiora flagitia eſſent, deducebantur; nec alius niſi Laurentius deductor. Et cùm Alexander loricâ munire corpus conſuêſſet, idque facere ſe diceret, quod aptiſſimam membris ſuis haberet, aliter eo armatu non uſurum, Laurentius ut inſidiis ſuis opportuniorem haberet, captato tempore, loricam ipſam ex Alexandri cubiculo clam ſuffuratus in profundum puteum dejecit. Quæ res cùm magnam turbam inter cubiculi miniſtros, dum auctor facti quæritur, conciviſſet, nemo tamen de Laurentio ſuſpiciari eſt auſus: poſt mortem demum Alexandri, ipſius indicio, & inventa lorica in puteo, & res palam facta eſt. Cæterum, per hæc

hæc tantam ipſe ſibi fidem apud Alexandrum fecerat, ut uni illi & vitam & Regnum fidentiſſime crederet; monentesq; amicos ut à tecto fallacique ingenio ejus caveret, cum ſtomacho rejiciebat, non curam ſalutis ſuæ illam, ſed obtrectationem & invidiam adverſus Laurentium eſſe ferens. Diſceſſerat fortè Florentiâ, ut in pacatis rebus Vitellius, qui Urbis Alexandrique cuſtodiæ præerat, ac Tiferni unde ortus erat, apud ſuos moram agebat. Opportunum id cogitatis patrandis tempus Laurentius ratus, nuntiat Alexandro, proximâ nocte copiam ei futuram nobilis matronæ inſigni formâ quam ille deperibat, ac diu donis, precibus, omnibusque amatorum artibus tentatam eò ardentius cupiebat, quo probior illa & pudicitiæ tenacior videbatur. Expugnatam tandem ab ſe Laurentius fingebat, venturamque maximè intempeſta nocte in domum ſuam. Lætus, improvidus adoleſcens, peractâ cœnâ, amicisque ac miniſtris dimiſſis, poſtico egreſſus uno comite Laurentio, in ejus ædes tranſit. Ibi expectandum tempus erat, dum omnia ſilentium & ſomnus tenerent. Interea hortatur Alexandrum Laurentius ut proſternat ſe lecto, & quietem capiat, quo vegetior inde cupitis amplexibus ſe offerret. Aſſentienti gladium quo accinctus erat, eximit Laurentius, & involutum implicitumque balteo ſeponit; veſtium quoque laxat vincula, quo liberioribus membris quieſceret: & juvenem quidem, ſimul ac decubuit,

ſomnus

ſomnus arctiſſimus cepit. At Laurentius, circundato conopeo & clauſo cubiculo egreſſus, vocat è familiaribus ſuis nomine Scoruncunculum, hominem audacem, facinoroſum & cædibus aſſuetum, & ex eo intimum Laurentio fidumque; cui paucis antè diebus, brevi ultrum ſe operâ ejus denuntiaverat, quod occidere ſtatuiſſet quemdam, qui Alexandri fretus gratiâ licentius ſe derideret, quàm ut ferri jam poſſet. Et ille haud cunctanter ſe ad quod vellet facinus promptum obtulerat. Hunc igitur Scoruncunculum in maximè abditam ædium partem abducit, & Age, inquit, de quo te nuper appellaveram, domi clauſum teneo; atque is eſt Alexander, quem tollere, & aliquando à cervicibus patriæ ſervitutis jugum detrahere certum habeo; nunc tuâ mihi opus eſt fide ac virtute. Quanquam nihil eſſet tam atrox ad quod ille conſuetudine ſcelerum animum non efferaſſet, tamen novitate rei perculſus cohorruit primò, immotusque ac tacitus ſtetit; Mox vide, inquit, quod facinus cœptes, Laurenti; nam Princeps eſt cui vim afferre paras. Inſtante illo, & omnia proviſa ſibi tutaque eſſe affirmante, & gladium capere, ac ſe ſequi jubente, Scoruncunculus animo ad priſtinam audaciam revocato, nec jam contentus momento ſe Principis neci accommodaſſe, impiam in ipſum quoque Deum vocem adjecit: Et quando ita vis, inquit, occidamus, vel ſi Chriſtus eſſet. Ita gladiis nudatis, taciti conclavis oſtium ubi Alexander

dormiebat, accedunt. Impulſæ fores fortè modicum ſtrepitum edidêre. Tum retinens Laurentium Scoruncunculus, Nos verò, ſi pergis, inquit, in exitium temerè præcipitamus, & cras, ut video, unà vitam fœdo ſuſpendio finiemus. An, inquit, Laurentius, times, & non egregii facinoris gloria confirmat? Simul intrant unà cubiculum, & Laurentius, amoto paulùm conopeo quo lectus claudebatur, Dormiſne? inquit: Simul hæc dicens, gladio punctim adacto latus transverberat, & Scoruncunculus cæſim gravi ictu faciem vulnerat. Proſiluit ſtrato Alexander, & repulſis percuſſoribus, erumpere eſt coactus; ſed cum amplexus Laurentius retinuit, tardumque vulneribus quamvis reluctantem in lectum repulit. Alexander cùm aliud quo læderet non haberet, morſibus lacerare hoſtem contendebat; & cum Laurentius ne clamorem tolleret, manum ori injeciſſet, pollice ejus dentibus apprehenſo, tantâ vi conſtrinxit, ut ille dolorem non ferēs, Scoruncunculum, ut opem afferre maturaret, imploraverit: Sed quia impliciti luctatione & amplexu erant, nec ictus adigi in alterum ſine alterius periculo poterant, Scoruncunculus ferrum inter utrumque inſerens, terebrando miſerum juvenem confodiebat, donec pluribus vulneribus debilitato Laurentius cultro ſecuit fauces, & cum ſanguine animam eructantem, feſſus & ipſe, ac vix ſpiritum ex contentione ac metu recipiens, reliquit. Narrabat poſtea Laurentius, Alexan-

Alexandrum ad primos ictus ſe nomine compellaſſe, & ut ſibi vitæ gratiam faceret, oraſſe, reſponſumque ab ſe his totidem verbis: Atqui non aliud tibi ego ereptum veni. Peractâ cæde, Laurentius è cubiculi feneſtra, ſi quis eſſet in via, & an exaudîſſet quisquam, explorat; & ubi nihil motum, & ſilere cuncta intellexit, alium è familiaribus ſuis è ſomno excitat, cui ab celeritate & agilitate corporis Frecciæ erat nomen, (id ſagittam Etruſcè ſonat,) atque in cubiculum ubi Alexander jacebat, deduxit; qui eo viſo attonitus & ſtupens, (pendebat enim è lecti ſponda exſecto jugulo caput,) Here, inquit, hic quidem Princeps eſt, cujus illi pavorem admirationemque ingenti riſu excepere: tanta animis feritas inerat, ut in re tam truci ac tam ancipiti ridere & jocis garrire etiam poſſent. Gloriabatur poſtea Laurentius, ſibi in animo fuiſſe accitos per varias cauſas in domum ſuam quosdam ex Alexandri intimis miniſtris, quos æmulatione gratiæ maximè oderat, & item infantem puerum, quem Alexander ex nobili pellice ſuſceptum alebat, omnes confodere, atque jugulatos juxta Principem collocare, quo ſcilicet ſpectaculi fœditatem, hac ſceleris acceſſione quaſi ornaret; ſed Scoruncunculi precibus ceſſiſſe, qui amplectens ejus genua ſummè contédit, ut eo facinore contentus, omiſſis jam aliis, ſaluti conſuleret. Clauſo igitur cubiculo & ablata clave, comitantibus iisdem Frecciâ & Scoruncunculo, ali-

quot primariorum civium domos adivit, quos præter cæteros cupidos libertatis, &, ſi daretur facultas, auſuros repetere eam ab occupantibus ſenſerat. Hos de patrata cede celans, per ambages & fictas cauſas hortatus eſt, ut ad liberandam patriam aliquando exſurgerent, & occaſione abſentis ab urbe Vitellii, & alterius rei quam brevi ſcituri eſſent, uterentur; per hæc præparare animos eorum ſtudens, ut cùm poſterâ die Alexandri caſum cognoviſſent, alacriores ad res novandas invenirentur; ſed nemo quiſquam aut ſe commovit, aut omnino ullam dictis ejus fidem habuit; omnes ſubeſſe fraudem & tentari ſenſus ſuos ſuſpicati ſunt; & ob id, ne cædes quidē Principis, niſi ſerò & poſtquam omnibus palam facta à pleriſque credita eſt; eaque res multorum in aſſerendâ libertate ſtudia tardavit. Laurentius opperiendam ſibi lucem quæ jam apparebat, non eſſe ſtatuens, Prætorem urbanum ad quem portarum claves per noctem deferebantur, oravit ut ſibi aperire portas juberet, fictâ pietatis cauſa, quod frater ruri ægrotaret, cui periculoſe laboranti præſenti ope neceſſario ſubveniendum eſſe. Ea re impetrata, cum Scoruncunculo & Freccia urbe emiſſus, per diſpoſitos equos ſumma celeritate adhibita, ne quis ſe aſſequi in itinere poſſet, Bononiam contendit; ac ne ibi quidem moratus eadem celeritate Venetias profugit, & Philippo Stuzzio aliiſque exulibus Alexandri cædem patrator idem ac nuntius attulit.

tulit. At Florentiæ cubicularii & miniſtri corporis Alexandri, cum totam noctem vigilando, ut domum dormitum rediret, ſolito diutius morantem expectaſſent, (neque enim pernoctare foris in more habebat, quamvis ſæpe ad multam noctem abiiſſet,) & progreſſa jam die, nec veniret ipſe, nec quiſquam ubi eſſet, nuntiaret, nonnihil de eo jam ſolliciti, cum Innocentio Cybo Cardinale qui ut ſupra oſtendimus, cum Alexandro Rempublicm procurabat, colloquuntur. Ille ratus, ſolitus amoribus per noctem operatum ſomno alicubi detineri, quærere de Laurentino eos jubet. Profecti renuntiant, Laurentium ea nocte duobus cum comitibus urbe egreſſum, rus conceſſiſſe, quo à fratre gravi morbo correpto accerſitus diceretur. Placuit eò ſtatim mittere; vix enim villa horæ unius iter properanti ab urbe aberat. Qui miſſi fuerant Laurentium ruri non viſum, fratrem valere, ipſumque mutatis ad celeritatem equis, contento curſu Bononiam verſus euntem dici conſpectum, retulerunt. Tum Cardinalem ingens metus inceſſit, ne Laurentii dolis inſidiisq; interceptus Alexander eſſet. Acciri confeſtim procuratorem domûs ejus imperat, ſeductoque mortis metum intentat, niſi verè, quo profectus Laurentius, & quid factum Alexandro eſſet, promeret. Ille omnium ignarus, eadem illa de Laurentii diſceſſu edidiſſerit; adjecitque, ſtrepitus aliquid circa mediam noctē in ejus cubiculo exauditum eſſe, ſed cubiculum clauſum

& claves eum ſecum abſtuliſſe. Cardinalis ire protinus eos, & effractis foribus, ſi qua veſtigia fraudis invenirentur, explorare jubet. Ingreſſi cubiculum tetrum miſerandumque ſpectaculum infelicis adoleſcentis fœdè trucidati, è lecto pendentis, lectum ipſum totum ſanguine ejus madentem, inquinatumque aſpexere. Mortem interminati, ſi quis quidquam enunciaſſet, rem ad Cardinalem deferunt. Eripuerat primò dolor & miſeratio, & mox pavor omnibus mentem; ſed cùm inſtans periculum, ſi metu torperent, torporem exemiſſet, conſilia explicari cœpta. Convenientibus de more ad ſalutandum, deducendumque manè Principem primoribus civium, nuntiant Alexandrum, actâ inſomni nocte, quieti ſe tradidiſſe, neque ad ſacra proditurum, neque omnino copiam ſui ea die facturum. Ante omnia properi ad Vitellium nuntii mittuntur, qui demonſtrato periculo in quo res eſſet vertendi ſtatum civitatis, eum poſthabitis omnibus rebus Florentiam contendere, nullâ ſibi ad proficiſcendum facta mora, & in itinere milites cogere, & undique evocare, juberent. Præfecto Arcis mandatum, daret operam, ut cuncta in poteſtate ſua haberet, & portis occluſis, & ponte ſublato, nec ingredi nec egredi, ac ne colloqui quidem ſuos cum quoquam pateretur. Dimiſſi & in proxima oppida Nuntii, ac nominatim fidiſſimi quiq; Centurionum acciti, & quàm plurimos ſecum ducere milites juſſi; quos omnes noctu, ſine tumultu ac ſtre-

ſtrepitu in urbem introduxerunt. His proviſis, poſtera die quidam è primoribus civium, ex eorũ numero qui Mediceorum factionis putarentur, in Mediceorum domum coguntur, expoſitoque Alexandri caſu, fides, opera, conſiliumque eorum exquiritur, cùm nec opinatæ atrocisque rei nuntius omnium animos defixiſſet, in præſentia ne orbata Principe Reſpublica Rectore careret, idẽ jus imperii quod Alexander habuerat, Cardinali Cybo eſſe juſſerant. Præjudicium, haud dubiè, manſuram in unius Imperio Rempublicam. Hac Cardinalis accepta poteſtate, in eam curam maximè intendit, ut milites ad cuſtodiam urbis Prætoriique ſcriberentur; promta ad id ex ærario publico pecunia in eo verti momentum conſervandæ civitatis exiſtimans, ſi populus armorum metu à vi atque ſeditione contineretur. Et paulò poſt Vitellius advenit, & idoneis urbis locis, & maximè in foro, Prætorioque firmis militum præſidiis collocatis, vocantur ad conſultandum de Republica, & formandum præſentium rerum ſtatum cives, qui omnes aboleri regni ſpeciem, reddi populo libertatem, & Rempublicam ex unius arbitrio receptam annuis Magiſtratibus tradi cupiebant, idque inter ſe omnibus circulis, congreſſibusq; diſſeruerant; in id principes & honeſtiores cives, in id plebs conſentiebat. Sed hic conſenſus magis in omnium animis cernebatur, quàm ut multi palam profiteri, ac proloqui auderent, cùm omnes intelligerent quid illi vel-

lent qui armis obſeſſam libertatem tenebant, & quorum in manu Reſpublica erat. Cum igitur appareret in præcipiti rem eſſe, nec ſine bello ac cædibus aliam quàm quæ Cybo Cardinali & Vitellio probaretur, formam Reipublicæ conſtitui poſſe, itum in ſententiam eorum eſt, qui conſervandum in Mediceorum familiâ principatum cenſuerunt, potius quàm in Hiſpanorum ſervitutem concederent; pervaſerat enim omnes ea opinio de induſtria à Mediceorum fautoribus diſperſa, Cæſarem ipſum civitatis dominatui imminere, ſi qua ex diſſidio civium ſeditio orta eſſet. Quod ei facile videbatur futurum in tantis ſuis amicorumque in Italia opibus, ad quas accedebat, quod & Præfectus Arcis, & Vitellius, & Cardinalis ipſe Cæſarem maximè reſpiciebant, & civitatem in ejus fide atque amicitia retinere vehementer cupiebant. Et cùm in Alexandro majoris Coſmi ſtirps defeciſſet, (nam infantis ab eo relicti, quia non juſto matrimonio eſſet ortus, haberi ratio non poterat,) & Clemens Pontifex Maximus & Carolus V. cùm Alexandrum Florentinis Dominum impoſuerunt, etiam ſucceſſores ordinaſſent, ſi ille ſine liberis deceſſiſſet, quæri cœptum, qui à Laurentio majoris Coſmi fratre procreati, Alexandro proximiores eſſent, quando Laurentius Alexandri interfector parricidii damnatus, non ſolum à regni ſpe, ſed à civiũ quoque jure abalienatus, & capite diminutus eſſet; nec magnoperę dubitatum, quin ſucceſſo in

Ale-

Alexandri locum Coſmo Joannis filio, cujus proavus majoris Coſmi frater fuit, deberetur: qui opportune audito Alexandri exitu, ac de turbidis civitatis rebus, & dubiis civium animis certior factus, multum renitente matre quæ filium imbellis ætatis miſceri tantis Reipublicæ & familiæ ſuæ turbis invita patiebatur, e villa in urbem redierat. Ingreſſus curiam, Cardinali qui publico Conſilio præſidebat, & duo de quinquaginta viris in quibus Senatûs inſtar erat, operam & ſtudium ſuum tam gravi Reipublicæ tempore obtulerat, adoleſcens in quo & modeſtia & maturior ætate ſuâ indoles elucebat. Hunc igitur, referente Cardinale, & eodem tempore militibus qui curiam circumſtabant, de induſtria cum armis irrepentibus, Principem haud magnopere variantibus ſententiis crearunt. Ad dolorem deinde civium leniendum, qui ab ipſo pene complexu libertatis repelli ſe, eo altius gemebant, quo minùs per metum profiteri animos licebat, permiſſum, ut Octoviri, quos Balias (id Etruſcè ſummum rerum arbitrium ſignificat,) appellârunt, crearentur, qui Coſmi ætatem regerent, quorumque conſilio ille in gerenda Republica uteretur; & præterea, ut Coſmo non plus mille nummi aurei in quotidianos uſus ſingulis menſibus de publico penderentur; reliqua pecunia in poteſtate eſſet Magiſtratuum, nec ſine eorum auctoritate diſtrahi à Coſmo poſſet; Magiſtratusque ipſi dare operam juſſi, ut non niſi

V 5 neceſ-

neceſſariis Reipublicæ impendiis erogaretur: ſcilicet, quorum cervicibus inditum ſervitutis jugum erat, ii vocabulo Reipublicæ ſpeciemque libertatis uſurpare ſinebantur. Et Coſmus ipſe brevi oſtendit, nihil medium inter dominationem ac ſervitutem eſſe. Nec cui creditum regimen rerum, cujus in manu Arces, cui milites pareant, penes quem belli pacisque arbitrium, à quo Magiſtratus petuntur, unde præmia obſequii ſperes, ultionem contumaciæ metuas, & haud quoque difficile eſſe, cuncta ad ſe trahere. Coſmus quidem ab his initiis ad illam amplitudinem potentiamque pervenit, quâ non ſtabilivit ſolùm ſibi, filiisque tradidit regnum, ſenſim omni abolito jure libertatis, ſed etiam Senenſibus bello ſubactis, imperium pene duplicavit; adeoque inter reliquos Italiæ Principes enituit, ut appellationem magni Ducis Etruriæ à Pontifice Maximo impetratam, etiam adverſante Cæſare, in domum ſuam intulerit, regnumque non auctum modò, ſed pecuniâ, munitionibus, terreſtribus navalibusque copiis ornatum firmatumque reliquerit. Coſmo in novo dominatu antiquiſſima cura fuit Alexandri necem ulciſci, non ob id ſolùm quòd Reges, Regum cædes impunitas non ſinendo, ſuam ipſi ſancire ſalutem videantur, ſed privatâ etiam in Laurentium ira, quòd is ſub Alexandro præpollens gratia Coſmum lite aggreſſus, in magnum amittendi patrimonii diſcrimen adduxerat. Contemplari libet quàm improvidæ futuri mor-

mortalium mentes ſint: Laurentius Alexandrum occidendo, & amicum Principem perdidit, & inimico atque æmulo aditum ad Principatum aperuit: & Coſmus ultor extitit Alexandri cædis, cujus ſtudio in Laurentium paulò ante de fortunis ſuis periclitatus fuerat. Sic longè aliter quàm ille deſtinârat, & cui fuerat cariſſimus necem indignam attulit; & quem habebat infenſiſſimum Principem fecit, ac demum ipſe meriti ſupplicii exactorem habuit. Laurentius, ubi quæ acta Florentiæ poſt fugam ſuam eſſent, accepit, haud ſatis tutum exilio locum Venetias ratus, mutandis ſæpè ſedibus, ſummiſſos, quos ſenſerat à Coſmo percuſſores fallere vitabundus ſtudebat: nam & ad Turcas Byzantium transfugerat, & inde in Galliæ Regiam ſe receperat: poſtremò Venetias reverſus, à Coſmi Centurione eſt interceptus.

DE
Henrico Secundo
Galliæ Rege.

MAgno atque inſito utrique, & tradito maximè à patribus odio Henricus & Philippus, ſummi Chriſtianæ Reipublicæ Reges, ditium Regnorum

rum

rum ac bellicoſarum gentium ſuccincti viribus, arma mota ante à Carolo & Franciſco, & multos per annos in communem perniciem exercita tractabant, mutuisque ſe cladibus inceſſebant; non aliâ (quod æquè inteſtabile ac luctuoſum eſt) tot malorum causâ, quàm prava æmulatione ac libidine ſævâ dominandi. Nec Dei in utrumque ira, ac manifeſtum numen victorias ſemper eorum invertentis (quippe non aliàs periculo propiùs fuiſſe ſunt viſi, quàm cùm viciſſent) pertinaces animos ad reſpectum Religionis, & ſalutis publicæ curam revocabat. Gallica res ſuperior videbatur, Sabaudia omni ac multis ſubalpinis populis ſubactis, finibusque in uberrimam Italiæ partem extenſis: proſperis quoque apud Belgas rebus, & quà Germanorum concilii jurisque erat, Meti in Mediomatricibus, Tullo ac Verduno magnis Urbibus Imperio adjectis. Poſtremò cùm Paulus IV. Pontifex Maximus, & Hercules Ferrarienſium Dux partibus acceſſiſſent egregiis cum copiis, claro ſub Imperatore Franciſco Guiſiæ Regulo in Italiam transmiſſis, cupidinem ad Mediolanenſe ac Neapolitanum Regnum Galli adjecerant. Philippus contra, juncta ſibi matrimonio Maria Britanniæ Regina, opulenti Regni acceſſione, animis magnopere auctis, pari ſpe atque conatu ex Belgis in ipſam invadere Galliam parabat. Coacto ingenti exercitu, in quo quadraginta peditum & quatuordecim equitum millia fuiſſe dicuntur; ignaris omnibus quà potiſſi-

tiſſimum eſſet irrupturus, repente, quò minimè ſuſpicari Galli potuerant, in Veromanduos ad Fanum Quintini oppugnandum omnes copias avertit; atque ante circumſedit, quam firmari præſidio à Gallis potuerit. Eo capto oppido, in ipſos penetraturus Pariſios atque in intimis Regni ſui præcordiis de omnibus ſimul rebus dimicare hoſtem coacturus videbatur. Huic regioni ab Henrico præpoſitus cum imperio erat Gaſpar Colinius, ille qui poſtea Galliæ cladibus inclaruit, vir impiger & conſilio promptus. Is raptis quot in re ſubita potuit militibus, noctu ſe in oppidum injecit, majori tamen parte militum qui ſequebantur, cùm ſenſiſſet hoſtis, excluſa. Et Landelotius ut fratri auxilio eſſet, idem cum aliquot cohortibus interdiu auſus, multis ſuorum amiſſis, verſus in fugam fuerat. Cum neque obſeſſi ob paucitatem diu vim toleraturi, neque furto immitti ſubſidium tam diligenti cuſtodia hoſtium poſſe videretur: ne ſitu peropportunam urbem, & ab ea parte clauſtrum Regni ſui amitteret Henricus, ſtatuerat ipſe cum expedita manu ad ferendam opem proficiſci: ſed damnantibus conſenſu omnibus id conſilium, neque Regem, in quo ſalus ac ſumma omniũ rerum verteretur, dare ſe in diſcrimen non dignã ob rem debere dicentibus, Annæum Momorantium equitum Magiſtrũ, datis quindecim peditũ, quatuor equitũ millibus, & aliquot æneis tormentis, ire porrò ac juſto impoſito præſidio properè ſe in tutũ recipere juſſit.

Annæ-

Annæus cùm ad oppidum ſub lucem acceſſiſſet, quingenti promptiſſimi milites quibus imperatum erat, navigiis excepti (nàm Quintinenſium urbem Somma fluvius præterlabitur) Duce Landelotio, celeriter ſeſe intra mœnia intulere; & cum his primæ nobilitatis juvenes aliquot qui ſe ei periculo obtulerant. Plures alii quibus idem mandatum erat, ab hoſte prohibiti, ingredi urbem nequiverunt. Annæus nihil moratus, receptui intentus, ſervatis ordinibus, tormentisque aliquot quæ curribus agebantur, in extremo agmine contra hoſtem locatis, pedem referebat: Sed equitatus hoſtium inſtructus paratusque ad inſequendum, interfluentem trajecerat amnem. Præerat Egmontius nobilis Belga, ac gentis ejus facilè Princeps, juvenis acer, & pugnæ avidus & gloriæ; qui abeuntes conſpicatus Gallos, haud dubiâ victoriæ ſpe elatus, miſſis ad Philibertum Sabaudiæ Ducem nuntiis, qui eum conſilii ſui facerent certiorem (ſuo hic exul Regno, datus à Philippo Imperator ejus belli fuerat) protinus, quantum accelerare ordines poterant, in hoſtes infertur. Philibertus re probatâ, & collaudato Egmontio, cùm omnibus copiis caſtris egreditur: terrentur Galli, ſuæ paucitatis conſcii, & tantâ undique mole ingruente. Popinqua fortè ſilva erat, quam munimento ſibi fore rati, ad eam incitato gradu contendunt. Sed dùm pro ſe quisque properat, ruptis ordinibus, ante ſe ipſi in fugam conjiciunt, quàm imminens hoſtis impelleret;

qui

qui in territos atque inordinatos invectus, fuſo equitatu, qui ſolus virtutis memor exceperat ſtrenuè prælium, omnem disjecit ac diſſipavit Gallorum aciem. Sed Germanis, ne initâ quidem pugnâ, abjectis humo corporibus armisque, ultro victori ſe dedentibus, nec magnopere reſiſtentibus Gallis, major captivorum quàm interfectorum numerus fuit: ad tria millia hominum cæſa, ſupra quatuor millia capta dicuntur; atque in his Dux ipſe Annæus, & multi præterea Principes Galliæ. Quintini quoque Fanum non multò poſt, verberatis ac dirutis muris, vi captum ac direptum eſt. Clara hæc victoria fuit, magnumque in metum ac difficultatem conjeciſſe Gallos videbatur: patebat certè in intima Galliæ iter; nec Henrico ab eâ clade promptæ vires erant, quas hoſti prævalido ac victoriâ feroci objiceret, ni Deus inſtandi perculſis mentem Philippo eripuiſſet: qui duobus modò oppidis regionis ejus in deditionem acceptis, ſingulisque firmo præſidio impoſito, milites partim dimiſit domum, partim in hiberna reduxit; in quo oblatæ premendi hoſtes fortunæ magnopere defuiſſe eſt viſus. Galli, qui ipſi timuerant Pariſiorum Lutetiæ, nacti ſpatium, exercitum cum cura reparârunt; revocatoque proſperis nuntiis ex Italia Guiſio, de ſarciendo incommodo dies noctesque conſiliæ habebant. Oppidum eſt Cales in ultimis Belgarum littoribus, (Icium portum olim fuiſſe exiſtimant) unde breviſſimus eſt in Britanniam trajectus.

jectus. Britanni de Gallis captum, omnibus ejectis habitatoribus, ſuorumque coloniæ incolendum traditum, duodecim ſupra ducentos jam annos tenebant, frequens & opulentum, & egregio opere munitum. In eo miles gregarius bello captus aliquot annos ſervierat, ac genus munitionum, locorum ſitum, aditusque omnes, & quot in præſidio milites, & quæ ratio cuſtodiendi, omnia cum cura obſervata explorataque rediens ad Petrum Strotium Florentinum exulem, inter Gallos Duces hominem clari nominis detulerat. Quibus ille cognitis; cum miles non vanus auctor eſſet viſus, in ſpem venit occupari eam urbem repentino bello poſſe. Verùm quò cuncta certiùs noſceret, ut erat ad omnia audax & gerendæ rei cupidus, Caletem ipſe clam eſt profectus, delecta nocte D. Martini, quâ ex more gentis, Britanni convivia agentes maximè epulis ac vino ſopiti negligentiùs omnia habebant. Cùm, quæ à milite audiverat, circumiens ipſe mœnia oculis ſubjeciſſet, bonâ ſpe auctus, rem ad Regem, atque ex auctoritate ejus ad Conſilium refert. Nec Galli tantæ rei oblatâ ſpe cunctantur, quam occaſionis eſſe, & maximè in celeritate ſitam intelligerent. Mittitur extemplò cum maxima exercitûs parte Guiſius, nuper ex Italia reverſus, & cum eo Strotius ipſe, unàque multi Principes Galliæ, quibus mos ambire belli munia, nec ulli ſe expeditioni non offerre, proficiſcuntur. Britanni nec opinatâ re territi, cùm neque firmum in oppido præ-

præſidium,neque præſidii Dux peritus belli eſſet, magnopere perturbantur. Ac Heunabrigo & Riſbano primo Gallorum acceſſu amiſſis, & altero caſtello quod oppido à mari jungitur, verberatis, ſubitò labefactatiſque muris, vi atque armis depulſi, omni alia ſalutis ſpe damnata, Legatos de deditione ad Guiſium miſere. Recepti his legibus ſunt, ut quinquaginta quos Guiſius dixiſſet, captivi apud ſe manerent, cæteri inviolati urbe omnes excederent, præter unum veſtimentum nihil ſecum ferentes. Habitatoribus abeundi quò vellent, poteſtas fieret, milites in Britanniam reportarentur. Ingens præda fuit cùm reliquarum rerum, tum maximè æneorum tormentorum, & omnis bellici inſtrumenti, atque omnium rerum quæ ad bellum uſui ſunt, quarum erat in oppido magna copia atque facultas, quòd diu hîc armamentarium Britanniæ Regibus fuerat: qui tanti hanc Urbem fecêre ſemper, ut eam Galliæ frenum haud ineptè appellarent. Ita nobile oppidum & tot per annos ab hoſtibus poſſeſſum, Galli paucis diebus recuperarunt, novosque in illud Colonos ex ſuis reduxerunt. Nec Calete ſolum Guiſius, ſed eodem victoriæ curſu Guineâ quoque, atque omni continente Britannicum nomen exegit; magna ſua Henricique gloria, qui quæ majores ſui tot ante annos amiſerant, quodque oppidum Britanni diuturna undecim menſium obſidione in poteſtatem redegerant, ipſe paucorum dierum ſpatio, vi atque

armis expugnatum recepiſſet. Hoc ſucceſſu elatus, nec jam incommodum ad Fanum Quintini acceptum egregio auſu reſtituiſſe contentus, eumdem Guiſium ad oppugnandam Theonvillam, magnæ munitionis urbem in finibus Lucemburgii Metenſibus oppoſitum miſit; qui pari felicitate, contra quàm fama atque opinio hominum de inexpugnabilibus tum munimentis, tum ſitu ejus oppidi erat, perfractis latè propugnaculis, atque vi dejectis defenſoribus, turri opportuno loco potitus, ad deditionem, antequam quisquam ſubveniret, oppidanos ſimul ac præſidiarios milites compulit. Sed hæc eò minùs læta victoria fuit, quod Petrus Strotius plumbeâ glande majori ſclopo excuſſa lethaliter ictus, in eâ oppugnatione occubuit. Eodem tempore quo Guiſius ad oppugnandum Theonvillam eſt profectus, Termius, vetus Dux & magni in re militari nominis, cum decem millibus peditum & mille quingentis equitibus ab Calete in eam Belgarum partem, quæ nunc propriè Flandria dicitur (nam Itali omnes Belgarum gentes Flandriam vocant) impetum facere, atque dare operam ut quàm maximè hoſti noceret, eſt juſſus; qui impigrè illatus ad Haam flumen, magnâ armatorum multitudine quæ alteram ripam, ut eum tranſitu prohiberet, inſederat, fuſa fugataque, Duncherchium haud ignobile oppidum regionis ejus vi cepit, ac relictis qui novas munitiones firmandæ poſſeſſioni ejus ad mœnia excitarent, ipſe cum reliquis

copiis progreſſus Bergam, diripuit diruitque, ac latè ad Neuportum usque, cuncta ferro atque incendiis populatus, acta ingenti præda ad muniendum Duncherchium rediit. Fama proſperæ ab illa parte expeditionis ejus, ab alia captæ à Guiſio Theonvillæ, gloria adeo inflaverat ſpe & cupiditate animos Gallorum, in ſecundis rebus præter cæteros natura inſolentes, ut omne ſubacturi Belgarum nomen viderentur, cùm repente verſa retro fortuna eſt, divinaque ultio eorum fiduciam novâ clade caſtigavit. Guiſius experiens atque efficax Dux, nulla moræ digna extante cauſa, ſegniter hæſit; qui ſi ab capta Theonvilla ſecutus ſecundarum rerum curſum fuiſſet, omnia ſibi armis patefacturus videbatur. Sed Philippus tot urbium amiſſarum pudore ignominiaque excitus, refecto novis delectibus exercitu, ac magna Germanorum manu mercede conducta, Egmontium, quem præter cæteros recens ad Fanum Quintini victoria extulerat, in Flandriam cum parte copiarum in quibus erant tria equitum, duodecim peditum millia, ad opprimendum Termium omnem illam regionem per otium vaſtantem, miſit. Is celeritate adhibita, ad Gravelingam, quæ media eſt inter Caletem & Duncherchium, caſtra poſuit, ut inde redituro hoſti in itinere occurreret. Termius cùm grave prædâ agmen ducens, fruſtra omiſſo hoſte recipere ſe Caletem tentaſſet, & neque ſe diu in hoſtili terra alere exercitum poſſe, & Egmontii copias

 mora

morâ magnopere augeri, confluente quotidie ad eum undique magno armatorum numero, animadverteret, quod jam unum ſalubre conſilium videbatur, ſtatuit quàm primùm experiri fortunam pugnæ. Aciem ita inſtruxit, ut dexterum latus tegeret mare; in ſiniſtro vallum ex carris ſarcinisque objecerat; è tergo Haa flumen tuebatur; in fronte tormenta aliquot contra hoſtem direxerat. Egmontius ex ſuis qui longè numero ſuperabant, pluribus aciebus, ut ex uſu eſt viſum, factis, ſtrenuè in hoſtem invadit. Atrox prælium fuit, cùm Galli non pro præda ſolùm, ſed pro ſalute pugnarent; Belgæ ira direptarum rerum etiam ultionem ex hoſte peterent. Diu ancipiti marte dimicatum, nec ſatis quò inclinatura res eſſet, cerni poterat. Tandem caſus nec opinatus tradidit Belgis victoriam. Britannorum naves decem fortè fortuna iſthac prætervectæ, animadverſa pugna conſtiterunt, ac ne ſociis, ac rei deeſſent, apertam à mari Gallorum aciem inſtiterunt tormentis inceſſere. Ea res & ordines & animos perturbavit ſic, ut Belgis hoc ipſo acriùs inſtantibus, terga dare Galli cogerentur. Cecidêre in acie eorum ad duo millia, reliqui diſſipati fugâ, ab agreſtibus qui gnari locorum omnes obſederant vias, ferè ſunt cæſi, pauci Calecem evaſere: pluſquam ducenti mare ingreſſi, à Britannis capti, & veluti teſtes adjutæ ab ſe victoriæ ſervati aſportatique in Britanniam ſunt. Terminus ipſe æger pedibus, & recenti morbo parum firmus,

firmus, tamen cùm nulli ſtrenui ac periti Ducis officio defuiſſet, duobus vulneribus ſaucius in hoſtium poteſtatem pervenit, & cum eo exercitûs primi. Ingens eâ die res, & major quàm pro victoria, geſta Philippo eſt. Nam & Guiſius eâ audita pugna, nihil ultra tentare auſus, ad Regem rediit, & Gallis bis eo anno adverſo ictis prælio retuſa magnopere audacia eſt, & animus Belgis, & virtutis opinio crevit. Secundum hanc pugnam contractis undique omnibus copiis, novisque conductis Helvetiorum ac Germanorum auxiliis, (hæ nationes domi multitudine abundantes exteris populis venalem ſanguinē mercede accommodant; ſemperque magnæ eorum manus contrariis in caſtris pro aliena victoria arma ferunt;) uterque Rex ad exercitum venerat, conſtiteratque omne circa eos in Atrebatum finibus bellum. Henricus trajecta Somma, in ulteriori fluminis ripa ad Ameſium caſtra poſuerat: & Philippus idoneo item loco contra hoſtem conſederat. Cùm collocata caſtris caſtra, ipſiq; adeſſent Reges, & quotidie irritandis animis viribusq; experiundis levia certamina ſierent, videbantur de ſum̄a belli nobili prælio decreturi: Nec ſuorū modo, ſed totius prope Europæ ſuſpenderat ea expectatio animos. Sed neutri Regi ea mens erat, ne ſeque Regnaque in caſum tam dubiæ rei temerè darent. Quin uterque periculum ex propinquo magis reputans, atq; in utriſq; caſtris plus externorum auxiliorum, quam ſui proprii roboris

viriumque eſſe, ſeque veluti alieni juris factos, aliena ſtare fide intelligentes, injectæ pacis mentioni, quam ante pertinaciter reſpuerant, aures præbuerunt. Tractatione pacis ſtatim elanguit bellum, ac paulatim extenuari copiæ, externis ferè auxiliis utrinque velut ex pacto dimiſſis: donec ipſi quoque Reges abductis aut exauctoratis magna ex parte militibus, domum diſceſſere. Interpres pacis ante omnes Regina Britanniæ erat, quæ & ſtudio Religionis, & deſiderio viri, & quia per pactiones redditum iri ſibi Caletem crediderat, magnopere id cupiebat finiri bellum. Verùm Regina, ante confectam rem, feſſa curis vita exceſſit. Magnum ea mors dolorem attulit bonis, cùm propter feminæ probitatem, tum quia pacis ſpem abrupiſſe videbatur. Verùm, ut ſæpè humana fallitur mens, hæc ipſa res, ut pax celeriùs componeretur, effecit. Magna de Calete diſceptatio futura fuit, quòd eam urbem neque reddituri Galli, neque Philippus aliter aſſenſurus paci videbatur. Elizabetha nova Britannorum Regina, Mariæ ſorori in Regno multis ægro inteſtinis morbis ſuccedens, cùm domi ſatis multùm ſibi fore negotii intelligeret, ne quid externæ accederet curæ, cum Gallis, remiſſo Calete, celeriter transegit; atque hoc amoto impedimento, (neque enim de re nihil jam ad ſe pertinente Philippo pugnandum fuit,) pax inter Reges convenit anno M. D. LIX. cujus Henricum cupidiorem, nova pravaque in ſuum Regnum invecta Religio

fecit,

fecit, cujus contagio per licentiam belli, & commercia Germanorum magnas in Gallia ſumpſiſſe vires videbatur. Ejus abolendæ ſuperſtitionis curam cæteris rebus omnibus prævertendam ſibi Henricus putavit. Ipſis quoque attingere junctæ pacis conditiones non pigeat, quando ſub earum fœdere quintum & vigeſimum jam annum omnis expers belli Italia conquieſcit.

Henrico Philippoque, ac regnis eorum amicitia fœdusque perpetuum eſto. Leges pacis octavo ante anno inter Carolum Philippi patrem & Henricum initæ utrinque ratæ firmæque habentor. Uterque Rex, ut Chriſtianæ Reipublicæ Concilium ſanciendæ ſacrorum diſciplinæ convocetur, cum Pontifice Maximo agunto. Nulli ſuorum ad alterum defeciſſe Regem, eo bello, noxæ eſto. Omnibus res ſuæ redduntor. Neu quis reditu in patriam prohibitor. Uni Neapolitani exules excepti ſunto. Oppida hoc capta bello utrinque redduntor. Philippo Carolenſe Regnum, Hesdinumque: Franciſco Henrici filio Crevacorenſe traduntor. Philiberto Sabaudo Regnum, unde pater ejus expulſus fuerat à Gallis reſtituitor. De eo Henricus Taurinum, Pinarolum, Chierium, Civaſium, Novamvillam in tertium annum, donec utri debeatur jure, cognitum fuerit, retineto: Item Philippus Aſtam & Vercellas, quandiu quinque illa oppida in Gallorum poteſtate fuerint. Philiberto Henricus Margaretam ſororem in matrimonium collocato.

Galli Senenſis agri oppidis præſidia deducunto, atque Senenſibus redduntò. Item Bolionum Leodienſium Epiſcopo, & Genuenſibus, quæ in Corſica inſula occupaſſent; apud quos nemini Gallicas ſecutum fuiſſe partes, fraudi eſto. Quæ uterque Rex in Monferrato cepiſſet, Mantuanorum Duci reddito. Henricus Mariam Philippi ſororem bona, quæ mater ei in Gallia reliquiſſet, poſſidere patitor. Philippus Sampolum agrum, oppidaque Tutavillæ urbis Dominæ reddito. Primus, Henricus intra nonageſimum diem, quæ ex hoc fœdere debet, reſtituito: Triginta poſt dies Philippus, qui interea obſidibus Gallo caveto: in ejusque poteſtatem quatuor amicorum Principes, Albanum, Archium, Orangium, & Egmontium tradito. His omnibus Franciſcus quoque Henrici, & Carolus Philippi filii tenentor; par ab utroque jusjurandum exigitor. Quò pax firmior ſtabiliorque utrique ſit, Iſabellam Henrici filiam Philippus uxorem ducito.

Pacis hujus nuntii, quâ Chriſtianæ Reipublicæ reddita quies videbatur, ubique ingenti omnium lætitiâ ſunt accepti, paſſimque ignibus, & quibus præterea ſignificari publicum gaudium ſolet, celebrati. Ante omnes exultare Galli videbantur, quorum Regno gravibus ac diuturnis agitato feſſoque bellis, aliquando lux optatæ pacis affulſerat: cùm unde erecturum ſeſe, ac reſpiraturum ſperaverat, (adeò res hominum incertę inſtabilesq; cœcis perpetuò caſibus agitantur,) inde

inde repente inſanabili affectum vulnere in multò maximas calamitates cladesque eſt revolutum, ingensque luctus illi ex ipſa lætitiæ celebratione eſt ortus. Philippus, qui ſponſalia ſuo fecerat nomine, ut mos Regibus, Iſabellamque novam nuptam ad ſe ut deduceret, Ferdinandum Toletum Albæ Ducem Lutetiam miſerat, & cum eo multos è regia cohorte Principes, & magnum nobilium numerum. Eodem Philibertus Sabaudus magno comitatu venerat, ut inde accepta conjuge in ſuum Regnum rediret. Ibi (ut par fuit) apparatæ regiâ magnificentiâ ac ſplendore nuptiæ ſunt, ludique multi ac ſpectacula variè edita. Sed longè celebratiùs equeſtre munus Rex ipſe dedit, qui ſociis ſibi aſſumptis Alfonſo Eſtio Ferrarienſium Principe, ac Guiſiæ & Lotharingiæ Regulis, omnibus ſe, qui virtutis periculum facere voluiſſent, obtulit. Armati in equo infeſtis haſtis, ut juſto in bello, niſi quod cuſpidis acies nonnihil hebetatur, concurrunt, ac ſinguli pugnam capeſſunt. Et apud Gallos, gentem ad arma natam, decorum Regibus in omni exercitatione armorũ ſpecimine cæteros anteire: Sic incitari juventutem, & maximè ad virtutem acui exemplo Regis putant. Et Henricus, cùm naturâ alacer & promptus ad hæc, tum robore ætatis & multâ exercitatione excellere videbatur; appetebatq; cum iis congredi, quorum eſſet magnum in equeſtri militia nomen: Nam cum fortè veniſſe in Regiam Jacobum Zachariam Cyprium

accepiſſet, qui longè fortiſſimus eques haberetur, multorumque per Italiam atque Hiſpaniam ludorum victor diſceſſiſſet, ac multos congredi ſecum auſos impulſu haſtæ equo dejeciſſet, lætus Rex nominatim hunc provocari ad pugnam juſſit: qua ferociter peracta, cùm uterque pari ictu illatam alterius pectus haſtam perfregiſſet, neuter ſuperior fuit; quanquam Cyprius ſtatim deſiliens equo, advolvens ſe ad Regis pedes, victum ſe fateretur. Sed Rex, eum verò macte virtute eſſe juſſum, collaudatumque magni ponderis atque egregii operis aureo torque donavit. Cum multis eâ die ſuſcepto certamine, ac multis editis fortibus facinoribus, ſpectatâ jam abundè virtute ejus, & haud dubiè victor, finem non faciebat, quanquam ſæpè rogatus à conjuge filiaque eſſet, in cujus hæc honorem fiebant, ut tandem depoſitis armis quietem caperet, aliorumque ſpectaret pugnas; quarum Rex preces, ſive ardore pugnandi elatus, ſive ut Belgis Hiſpaniſque advenis eximium virtutis ſpecimen oſtentaret, ſemper joco rejecit. Pluribus fatigatis mutatiſque, equum poſtremò aſcenderat, dono ſibi à Philiberto Sabaudo datum, bellatorem egregium ac inſignis ferociæ, ex quo aliquot haſtas in adverſos equites confregerat, quæ cum plauſu & clamore, ut fit, acciperentur; miſit Rex qui Sabaudo, (is cum Reginis illuſtribuſque aliis feminis edito in loco ludum ſpectabat,) fieri ea, vi ac ferocitate equi quem dono ab illo accepiſſet, diceret. Sabaudus cùm

cùm Regis ipſius fortitudini omnia tribuiſſet, nuntium juſſit orare magnopere Regem, ut jam tandem ſtudio pugnandi parceret, & vincendi finem faceret. Ille recordatus Mongomerii cujusdam, nobilis è Scotia equitis, qui ſtipatoribus corporis ſui præerat, viri magnæ equeſtri gloriâ, ac multis claris nobilitati pugnis, acciri eum, ac ſecum congredi juſſerat. Re[illegible] autem, ac humilibus precibus id certamen deprecantem, ſimul à Sabaudo remiſſus nuntius, idem orans, adiuit, & alii è circumſtantibus acceſſere, & ante omnes Alfonſus Eſtius & Guiſius, inclinatam diem & calorem atque [illegible] jam nimio fervere Regem [illegible] ipſius ferentes, magnopere rogarunt ut equo deſcenderet, armaque exueret. Vicerant prope jam flexum eorum precibus, ſi cuique ſtatutum divino nutu ac providentia fatum vinci potuiſſet: Geſturus enim jam iis morem, Mongomerium conſpexit, qui imperio coactus ipſius, in contrariâ ſpatii parte curſum initurus conſtiterat: Tum, agite, (inquit) unam hanc haſtam atque hanc ultimam pugnam peragi ſinite. Summotisque illis, concitat equum. Idem Mongomerius facit, haſtamque in ſummum Regis pectus, qua collo jungitur, dirigit; cujus perfractæ fragmen per rimam, quæ galeam inter & galeæ buculam relinquitur, violentiâ ictûs adactum, in dextro Regis oculo alte eſt infixum; inclinatum in dexteram caput conatus attollere, in alteram partem vulnere debilitatus dela-

delabitur. Accurſu ſubito omnium cùm eſſet exceptus, detracta galea, magnam vim ſanguinis atque ſopitum Regem, & exanimato ſimilem invenerunt, mœſtique & attoniti inter Reginarum ploratus in Regiam detulerunt. Cùm animus paulatim ſpiritusque rediiſſet, & accedens Mongomerius abjectus ante Regis lectum, ſibi quanquam culpæ experti non tam veniam, quàm ut infanda dextera, atque unà inde infelix caput præcideretur, oraret; benignè admodùm Rex, nec peccaſſe ipſum qui imperio Regis paruiſſet, nec venia opus habere, & fortis viri functum officio pronunciavit; flentemque & dolore ac metu confuſum conſolatus, ſecuro & bono eſſe animo juſſit. Nec filiis inde uxorique impenſius quicquam, quàm incolumitatem illius; & ne quid ei noceretur, mandavit. Medici cruento fragmine extracto, lethale vulnus, & exiguam curandi ſpem eſſe prædixerunt. Decimo demum die poſt omnia tentata quæ efficere humana ars poſſet, omnibus Chriſtianis ſacris ritè ac piè procuratus, commendataque maximè filio cura purgandi pravis Religionibus Regnum, inter ſuorum lacrymas & amplexus expiravit. Ita dies lætitiæ deſtinatus longè luctuoſiſſimus Galliæ fuit; & feſtam nuper pace ac nuptiarum celebritate regiam, non mors ejus magis, quàm quæ mortem ſecuta ſunt, funeſtarunt. Neque enim ab ulla memoria ullum externum bellum tantùm cladium Regno Galliæ attulit, quantum morte

morte Henrici atque immatura filiorum ætate, ob diſſidia novæ Religionis ortæ inteſtinæ ſeditiones, quarum ne nunc quidem finis cernitur, apportarunt.

DE

Carolo Carafa

Cardinale,

Joanne Paliani Duce,

Fratribus.

PRiusquam de Carafis, Carolo & Joanne dicamus, conſentaneum eſſe videtur, ut Pauli IV. Pontificis Maximi eorum patrui mores fortunamque tradamus, qua ipſi quoque magna ex parte comprehenduntur: idque à nobis pro inſtituto, quam breviſſimè fiet. Is igitur ante adeptum Pontificatum Joannes Petrus dictus, familia majoribusque haud dubiè nobiliſſimis, Neapoli eſt ortus anno M. CCCCLXXVI.

Ab ipſa adoleſcentia omnibus ingenuis artibus inſtitutus, in ſacrarum literarũ ſtudiis non doctrinæ modò laudem, ſed perpetuæ innocentiæ atque integritatis famam meruit. Sub Oliverio Carafa Cardinale, viro præſtantiſſimo, propinquo ſuo prima Sacerdotalis diſciplinæ rudimenta poſuit, apud quem Romæ aliquot annis juvenis vixit. Mortuo Oliverio, cùm in Hiſpaniam tranſiſſet, eum Ferdinandus Rex, ſub cujus ditionem, expulſis Gallis, Neapolitanum Regnum venerat, ab eximia vitæ ac morum religione in amicorum cohortem receptum, [illegible] publi- [illegible]

Eundem honoris ac [illegible] obitum, apud Carolum V. tenuit, ſed nequaquam gratiâ pari, cùm adoleſcens Carolus ſanctitatem illam ac ſeveritatem morum non perinde atque avus æſtimaret. Cupidè itaque Hadriano VI. Pontifici Maximo evocanti ſe Romam paruit: ſed eo brevi extincto, temporum illorum corruptelas vitiaque non ferens, cum ſe Archiepiſcopatu Theatinorum, cui ab Julio II. Pontifice Maximo ob ſpectatam virtutem præpoſitus fuerat, abdicaſſet, ab turbis curisque humanarum rerum ad divinarum ſtudia, & contemplationem, relictâ Urbe, in ſolitudinem conceſſit; ac nationem illam Sacerdotum condidit, qui ab cognomento ejus Theatini vocitantur, ii Romæ in Quirinali ædem Silveſtri incolunt, vitamque honeſtè inprimis ac piè inſtitutam agunt. Cum iisdem ipſe

Venetiis plures annos, ſacris & rebus, & doctrinis intentus, paupere victu cultuque vixit, magnâ religionis, & ſanctitatis fama; qua permotus Paullus III. Pontifex Maximus, anno M.D.XXXVI. cooptatum in Cardinalium Collegium, Romam invitum ac recuſantē reduxit. At ne in eo quidem honore ſuſceptam vitæ, ac ſtudiorum diſciplinam deſeruit, quâ per viginti ferme aňos Romæ exemplum ſe innocentiæ ac religionis, & juſti ſacrorum Antiſtitis & Senatoris præbuit. Sententia ejus publico bono addicta, privatis ne Pontificum quidē Maximorū ſtudiis gratificata eſt. Paulo III. a quo ipſus Cardinalis fuerat, Placentiam Parmamque urbes filio poſtulanti conſtantiſſime reſtitit. Cum Julius item tertius Innocentium Montium, non humilibus modò ac ſordidis, ſed nec ſatis quidem notis parentibus ortum, nec ullius ingenuæ artis ſpecimine, aut omnino ullo animi corporiſve dono commendatum, inopiâ prolis adoptatum à fratre, legeret in ampliſſimum Ordinem, non ſatis habuit, in Senatum non venire, ſed Scribæ miſſo ad ſe à Julio, qui rogaret eum ut honori fratris filii ſententiâ ſuâ ſuffragaretur, ſcriptum in ſcheda reſponſum Pontifici ferendum dedit, cujus hæc ferè totidem verba fuerunt: Cùm mihi neque unde ortus ſit puer iſte, ſatis conſtet, neque quibus moribus, quave indolis ſpe tibi in mentem venerit, tantum in eum ornamenti ac dignitatis conferre, quantæ vix natura ac ſpectata virtus par fuerit, ignoſces mihi, ſi ego me & Senatu hodie, & dicenda

da

da de eo ſententia, & omnino ferendo ſuffragio abſtinuero. Eandem conſtantiam atque libertatem in reliquis quoque ſervavit rebus. Amplitudinis Romanæ Eccleſiæ, Sacerdotalis dignitatis, & Chriſtianæ Religionis non cultor modo, ſed unus omnium acerrimus cuſtos atque vindex fuit. Lutherana hæreſi non per Germaniam modò diffuſa ſed in Italiam quoque transvecta, & coërcente nemine, latiùs indies ſerpente, ut quæſtiones adverſus violatores, deſertóresque veterũ ceremoniarum inſtitueret, Paulo III. perſuaſit: à quo judicibus quatuor Viris è Cardinaliũ numero delectis, ipſe, qui rei auctor fuerat, omnibus præeſſe eſt juſſus: Qui Magiſtratus magna præditus poteſtate, nunquã poſtea creari eſt deſitus, Inquiſitionisque nomen ab re accepit. In quo parem ille diligentiam ac ſeveritatem præſtitit, hominum odiis, quæ inde incurrere ſe intelligebat, adeo facilè contemptis ut ne Regum quidem gratiæ quicquam datum ab eo, unquam eſſe memoretur. Poſt Julii mortem in Pontificiis Comitiis id ſpecimen moderati ac minimè ambitioſi animi dedit, ut Marcello Cervino, qui ſecundus eſt dictus, quod ejus ſumma eſſet virtutis opinio, perſtudioſe ſuffragatus ſit, annis quatuor & viginti minori. Quæ res tantùm illi exiſtimationis apud Patres addidit, ut mortuo intra alterũ & vigeſimum diem Marcello, eum conſentientibus ſtudiis Pontificem Maximum creaverint. Cæterùm his tot virtutibus inerat ingenium ferox & pervicax, & elatus

elatus animus vaſtusque, & adverſanti neſciens cedere, prorſusque imperii nimius. Inde ortæ inter ipſum & Carolum Cæſarem, & fraude ſuorum auctæ incitatæque ſimultates, facilè in apertum & utrique periculoſum bellum eruperunt. Nam Paulus inprimis oderat, odioque erat Hiſpanis, & Carolo eorum Regi; ſeu tum contractâ offenſione, cùm in Regno ejus vixit; ſive ſtudiis partium inficientibus animum, quod gens Carafa Neapoli Gallos ferè ſecuta, amica factionis ejus exiſtimetur. Has quacumque ex re ortas odii cauſas multæ certè & graves injuriæ aluêre. Lotrechio Duce Gallorum cum exercitu in obſidione Neapolis abſumpto, præter cæteros Principes qui ad Gallos deſciverunt, vehementer propinqui ejus vexati ab Hiſpanis victoribus afflictique ſunt; aliis exilio fortunisque, aliis morte mulctatis. Ipſe, dum Archiepiſcopus Theatinus eſſet, Neapoli publicis Conſiliis ſolitus adhiberi, nullo ſuo merito, nec ullâ extante causâ, à Cæſare excluſus atque motus loco fuerat. Et cùm Paulus III. Archiepiſcopum eum Neapolitanorum renunciaſſet, diu uſurpatione poſſeſſionis Sacerdotii, ac muneris ejus ab Hiſpanis eſt prohibitus: quin eodem tempore deprehenſum apud Hiſpanum quemdam, cubicularium ejus venenum ad ipſum necandum, quidam tradidere. Poſt Pauli III. mortè in Pontificiis Comitiis ex Cæſaris ipſius auctoritate, omnis Hiſpanorum cura, conatusque ad ejus impediendum

honorem incubuit, omnibusque ſtudiis contendêre, ne Pontifex fieret: Item poſt mortem Julii ita ille bis per factionem Pontificatu dejectus, tandem poſt Marcellum, quamquam refragantibus & ſummâ ope contrà nitentibus iisdem Hiſpanis, honorem tenuit, exactâ jam ætate, quippe natus annos novem & ſeptuaginta, eaque una re minus adverſariis formidoloſus. His vehementem atque acrem virum, & animi immodicum ac ſe aſperatum atque irritatum injuriis eo impenſius timere, & ſuſpectum habere Hiſpani cogebantur, quod antè multa infenſi animi ejus ſigna collegerant. Cùm aliquando Paulus III. Pontifex Maximus de ingraveſcente Germanorum hæreſi, torpenteque Regum in ea re ſtudio queſtus in Senatu eſſet, ille pro cætera in dicenda ſententia libertate, Cæſarem ipſum acrè perſtrinxit, eum id malum non ſolùm, cùm poſſet, non oppreſſiſſe, ſed per ambitionem etiam foviſſe, ferens. Et quanquam conſtaret, quoties res & occaſio poſtulaſſet, haud minùs liberè eum adverſùs Gallos dicere ſolitum; tamen ea re vehementer Hiſpani offendi ſunt viſi. Et ipſe, expoſtulantibus cum eo Cæſaris Legatis, quòd Regem ſuum impii in hæreticos ſtudii inſimulare non eſſet veritus, ita non demiſſè reſponderat, ut acrius pungeret ſugillaretque Cæſarem. At longè altius in eorum penetraverat animos, quod ſub eodem Paulo III. cùm Neapolitani à Petro Toledo Prorege contumeliis acerbitatibusq; agitati ad arma ivi-

iviſſent, atq; eſſet propterea civitas illa in magno motu atque tumultu, ipſe ferebatur magnopere adhortatus Paulum eſſe, ut occaſione, quam pulcherrimam ei fors obtuliſſet, uteretur, Cæſarem Hiſpanosque Neapolitano Regno expellendi, atque illud ſub priſtinum jus ac ditionem Romanæ Eccleſiæ redigendi. Augebat hanc curam metumque Carolus fratris filius, quem Pontifex ſtatim Cardinalem creaverat, participemque ac miniſtrum omnium rerum atque conſiliorum habebat: Vir minimè idoneus, qui è caſtris armisque in quibus ætatem egerat, ad curam ſacrorum Senatoriumque officium transferretur, non congruentibus moribus ſtudiisque, & vita per facinora ac licentiam traducta. Ex quo diu patruo inviſus abjectusque fuerat, non in domum, non in conſpectum admiſſus. Sed non multò antè quàm Pontifex fieret, cogente inopia, ſimulato præteritorum dolore, veniaque inde impetrata, ita ſe in omnem ſimulationem probitatis ac religionis compoſuerat, ut Paulus, dum adhuc Cardinalis eſſet, apud amicos grates DEO referret, quòd Caroli ſui animum ex tam depravata vivendi conſuetudine abductum ad modeſtiæ & pietatis cultum convertiſſet. Sed ille repente ad magnas evectus opes, tanto deterior ac facinoroſior evaſerat, quanto plus licentiæ atque impunitatis erat nactus. Et Pauli vitia (nam in vitio ponimus vim illam immoderatam animi indomiti ac imperioſi, & juris ſui nimio plus retinentis,) inten-

dere, quàm virtutes imitari ſatius habuit. Is quia ſub Gallorum ſignis cum aliis Neapolitanis exulibus aſſiduè militaverat, hoſtile odium adverſus Hiſpanos hauſerat, præter inſitum factionis adverſæ ſtudium, & acerbam recordationem vulnerum ab iis domui ſuæ impoſitorum, quæ in poſterorum quoque animos ſæpè deſcendunt. Et tum nactus fortunam, cùm Gallorum Legatis & principibus partium miſcere conſilia, exulumque frequentiâ aſſiduè ſtipatus conſpici. Et erat ipſe ingenio turbido, ac res novandi audendique magna cupido, ne ſegniter pro factione uſus tempore ſuo videri poſſet. Per hæc exulceratis ſuſpectiſq; utrinque animis, Hiſpani tempeſtatem, quam imminere prævidebant, præpropero occurrendi atque avertendi ſtudio excitârunt; & Carolo cupienti armorum cauſam præbuerunt. Erant in ipſa quoque Urbe magnæ Cæſaris opes, magnæ clientelæ, multis Cardinalium gratiæ ac beneficiis ejus obnoxiis, multis etiam Principum ſtipendiis & militiæ Ordinibus ei illigatis. Ante omnes Colonniorum familia, magna in civitate pollènsque pro illo ſtabat, cujus Princeps Marcus Antonius, cùm paulò ante Aſcanium patrem, à quo hoſtili odio diſſidebat, inſimulatum Majeſtatis in cuſtodiam tradendum Neapoli curâſſet, aliquot oppidis intra fines Romanæ Eccleſiæ haud longè ab Urbe imperitabat. Per hunc adoleſcentem, in quo eminebat indoles præſtantis animi, & gerendæ rei & na-

navandæ Cæſari operæ inprimis cupidum, ac per alios item clientes, amicosque ſuos opulentos homines, & magnæ in civitate auctoritatis, Paulum, antequam in novo Principatu, cujus neceſſe eſt imbellica eſſe initia, convaleſceret, ſeque viresque ad nova conſilia colligere poſſet, terrere ac proprio occupare & continere periculo, metuque conſtituunt. In hanc cogitationem ſæpius ad capita conferenda clam noctu in Marci Antonii domum coëunt. Quod cum Carafæ Cardinali renunciatum eſſet, enimverò rem atrocem protinus ad Pontificem defert: nocturnos cœtus apud Colonnam agi, arma in Urbem clam comportari, manus cogi, loca idonea militarium hominum ſtationibus cuſtodiisque occupari, haud dubiè Pontificis vitæ inſidias fieri. Adjecit, in majus & deterius omnia augens, comparata eſſe venena, ut priùs fraude graſſarentur; & ſi ea feſelliſſet, tum prompta arma atque vis foret. Vix obſequiis certantes præferocem & tot antè injuriis exaſperatum Pauli animum placatum habuerant; his quidem certè adeo irritaverunt, ut pacis conſiliis, curæque novarum legum, quas ſolutis civitatis moribus, luxuriæque Sacerdotum cohibendæ ferre parabat, intentum, & aut delaturum præteritorum iram, aut omiſſurum, ad vindictam ſui protinus convertérint. Siquidem illi his conſultationibus facinus haud minùs grave atq; audax adjecerunt. Erant in Portu apud Centúcellas duæ Gallicæ triremes,

quibus Carolus Sfortia, Aſcanii Santaflorii Cardinalis frater præfuerat; cui, quia Gallis in ſuſpicionẽ venerat, & præfectura & triremes ademptæ fuerant. Ad eas igitur intercipiendas triremes ſubmittitur Alexander, alter Aſcanii frater, unus è ſeptem Urbanis Quæſtoribus, quos Cameræ Clericos appellant, juvenis animi atque audaciæ ingentis, à quo naves dolo captæ, atque Caïetam protinus abductæ ſunt. Ea verò re vehementer accenſum Pontificis animum inſuper aſperavit Hiſpani Legati intempeſtiva contumacia. Nam cùm ob hos motus certæ militũ ſtationes ad portas Urbis, qua maximè Neapolim itur, locatæ eſſent, mandatumque iis, ut ne quem exire illac injuſſu paterentur; Legatus invitis ac ſpretis cuſtodibus animi cauſa, ut ferebat, ea porta eſt egreſſus. Idem, cùm ei negata petenti facultas conveniendi Pontificis fuiſſet, in contumeliam ſuam Cæſariſque vertens, non admitti ſe quoties vellet atque opus eſſet, in Palatium venit, ac tum quoque aditu excluſus, obverſatur foribus, & multa ferociter conqueſtus abiit, & ſequenti die miſit qui cum Pontifice expoſtularet, arceri colloquio ejus Cæſaris Legatum. Ad prandentem Pontificem, qui miſſus fuerat, adiit, & ad pedes accedens adeo acri ac minaci vultu eſt acceptus, ut exterrito ac trementi ægrè vox atque animus ad mandata exponenda ſuffecerint: quem Paulus ire properè ac renunciare Hiſpano juſſit, ut ſe intra Legati officia contineret; quod ni feciſſet, ultimi ſupplicii

plicii pœnam interminatus, adjecit longè illi Cæſaris nomen, quo tam arroganter efferretur, abfuturum. Hæc Legati importunitas, rem ad hoſtiles iras atque diſſidium jam ſatis inclinatam, haud parum impuliſſe eſt credita. Acceſſit quoque aliud quod haud mediocriter Pontificem irritavit. Joanna Arragonia Marci Antonii mater, virilis audaciæ femina, quæ virorum quoque conſiliis apud filium habitis interfuerat, continere ſe domi, neque pedem inde efferre fuerat juſſa; id enim ſic indulſerat dignitati ejus Pontifex, ne in carcerem duceretur. Ea cùm rem ſpectare ad arma bellumque, & primum Pontificiorum impetum in oppida filii fore intelligeret, veſtibus manè ſummo commutatis, cum filia & nuru, corruptis aut deceptis portæ cuſtodibns, egreſſa Urbe, conſcenſis quos ad id præparaverat equis, protinus Neapolim aufugit. Pontifex quamquam deceptum ſe deluſumque à femina graviter ferebat, acerbius tamen Hiſpanis, quorum ea conſiliis adminiſtrarentur, iraſcebatur. Atque his rebus commotum inſtigabat aſſiduè Carolus Carafa, nunc ſperni ludibrioque haberi majeſtatem ejus ferens; nunc periculum, ſi cunctarentur, oſtendens; nunc novis commentis ementitisque literis acrem ſponte ſua ac percitum ſenis animum ſtimulans. Ergo Marcum Antonium Colonnam Majeſtatis poſtulatum, cum ad diem non adeſſet, damnavit, oppidiſque exuit quæ ille intra fines Romanæ Eccleſiæ habe-

bat, iisque Joannem Carafam, fratris ſui filium, Paliani Ducem appellatum, præpoſuit. Guidonem Aſcanium Sfortiam Cardinalem, quia conſiliis apud Colonnam habitis interfuerat, enixeque Cæſaris partes tuebatur, quodque poſt abductas à fratre ejus triremes Legatum Hiſpaniæ, aliaque factionis capita in domum ſuam coëgerat: & cùm ei imperâſſet Pontifex, ut intra triduum eas reduci Centumcellas curaret, non paruerat: Hiſpanosque qui tranſigere rem conditionibus conarentur, immiſerat, in cuſtodiam tradidit: neque demiſit antequam redditæ triremes ſunt, & ipſe vades dedit, quos trecentis millibus nummûm aureorum obligavit. Alexandrum navium raptorem, ſubſtituto in locum ejus Annibale Bozuto, Neapolitano exule, quæſturâ privavit; graviori pœnâ affecturus, niſi ille exilio ſibi fugâque ex Urbe conſuluiſſet. Carolus Carafa antè per alterius rei ſpeciem ſuſceptâ Legatione in Galliam profectus erat, & Regem adhortatus fuerat, ut inducias quas paulò antè cum Hiſpanis fecerat, reſcinderet, ſeque ad oblatam divinitus occaſionem compararet, & ſocio adjuncto Pontifice Maximo, qui tantum ad omnia momentum rebus eſſet allaturus, Neapolitanum Regnum, quod majores ſui poſſediſſent, repeteret armis; ſibi curæ fore ut bellum accenderetur, & Pontifex penitus in partes cauſamque deſcenderet; ipſe modò exercitum in Italiam tranſmitteret, reliqua inde proclivia fore; magnam exulum ma-

manum caſtra ſecuturam, à quibus facilè Neapolitanos naturâ infenſos Hiſpanis ad excutiendam ſervitutem, redeundumque ſub vetus ac mite Gallorum imperium, impulſum iri: cuncta denique ipſius fortunam nomenque Regis aperturum. Quibus adhortationibus & ſpem magnam à Rege retulerat, & duo millia Gallorum præſidii cauſa ſecum adduxerat Romam. Tum ſatis jam præcipitatas res, & in apertum bellum mox erupturas nihil dubitans, Annibalem Oricellarium Florentinum in Galliam ad Regem miſit, auxilia fœdusque petitum; nec multò poſt Romæ, interpretibus Carolo Lotharingo & Franciſco Turnonio Cardinalibus, ſocietas inter Pontificem & Gallos eſt inita. At Ferdinandus Toletus, Dux Albæ, quem Cæſar paulò ante cum magna poteſtate Italicis rebus præfecerat, initio ſtatim horum motuum ſe Mediolano Neapolim contulerat. Et cùm viſum eſſet, Colonnæ injurias negligi non oportere, eum antequam Pontifex Gallorum armis inſtrueretur, reſtituere in oppida unde ejectus fuerat, atque bellum occupare decrevit. Conſcripto exercitu impetum in Romanos fines facit, & aliquot in Latio oppida Pontificiæ ditionis expugnat, ac latè populatus agros, Urbis ipſius mœnibus terrorem illaturus videbatur. Interea per literas, perque Cardinales Cæſaris amicos, non ceſſabat Pontificem de pace appellare, vulgi inde ſtudia captans, cùm qui bello ſuperior eſſet, optare pacem atque orare diceretur.

Sed literæ ipſæ quibus deprecari bellum videbatur, adeo acribus aculeis Pontificem perſtringebant, ut indomitum ac præfervidum incitarent magis quàm aut lenirent aut deterrerent. Reſponſum Albano pro cætera magnitudine animi a Pontifice eſt; qui prior injuſta intuliſſet arma, excederet Romano agro, ſeque intra ſuos fines reciperet, atque inde de compoſitione ageret. Ab armato hoſte & ipſi minitante Urbi, pacis conditiones ferri ſibi ſe non paſſurum. Hanc Hiſpani duritiam pertinaciamque vocabant. Pontificii contrà nullâ re, ajebant, provocatos Hiſpanos initium belli feciſſe, cauſamque quam illimet præferrent, ipſo bello iniquiorem eſſe: quippe Pontificem in ſuo jure impedire, & ne in eos legibus animadverteret, qui ditioni ſuæ ſubjecti eſſent, interpellare æquum cenſerent. Albanus Pontificem incitari, non frangi periculis cernens, circumductis copiis, vicina Urbi oppida ab ea parte omnia occupavit, ac poſtremò etiam Tybur atque Oſtiam ſub Cæſaris poteſtate ſubjunxit. Carafii fratres, adjuvante Petro Strozii viro militiæ artibus claro, ſuſtinebant magis bellum quàm propulſabant, Gallorum auxilia expectantes. Nam Henricus Rex ſpecioſo cum titulo defendendi Pontificem, maximè impiis armis ab Hiſpanis oppugnatum, Franciſcum Lotharingum Guiſiæ Regulum, magni nominis Ducem, cum juſtis equitum ac peditum copiis in Italiam ad invadendum Neapolitanum Regnum miſe-

miſerat; cujus adventantis fama tantùm Hiſpanis injecerat terroris, ut Albanus cedere agris, ſeque ſuoſque intra oppida recipere, & muris arcere hoſtem, diffidens armis, cogitaret; pecuniam enim ad ſcribendos milites, juſtumque conficiendum exercitum, quem Guiſio objiceret, nec promptum eſſe ſibi ajebat, & à populis exhauſtis tot ſumptibus, & perpetuis ac vix ferendis collationibus exinanitis exprimere, nec facile & longum videbatur. Ab hoc conſilio, ſalubri ſententiâ revocavit eum Ferdinandus Gonzaga, denuncians, ſi vel neceſſitate, vel metu concedere hoſti, ac recipere ſe in munitas urbes eſſet creditus, brevi fore, ut iis quoque expelleretur; tantùm eam rem incolis Regni, & cupidis ab inſita levitate mutandi Reges, & diuturno Hiſpanorum imperio feſſis, & ab veteri in Gallicum nomen ſtudio erectis animorum ad res novandas eſſe facturum; & fideles quoque Principes non ſolùm dubios, & pleriſque exulum cognatione ac neceſſitudine illigatos, à quibus aſſiduè ſollicitarentur, juſtam ſibi cauſam deſciſcendi, & conſolendi rebus ſuis, præbitam exiſtimaturos; ita inclinatum, inde omnia ad Gallos, & ſe ſuis viribus ubique oppugnatum obſeſſumque iri. Cùm & ratio & auctoritas Gonzagæ, quæ ſumma erat, valuiſſet, in maximis conquirendæ pecuniæ difficultatibus hærentes, Bona Sfortia Poloniæ Regina peropportunè adjuvit. Ea erat Joannis Galeatii & Iſabellæ Aragoniæ filia, nupſeratque Sigiſ-

Sigiſmundo Poloniæ Regi: quo aliquot ante annis mortuo, irata filio, paulò ante à Polonia in Italiam atque Apuliam redierat, ubi Barium, Roxanum, multasque urbes imperio ſuo parentes habebat, & imbuta maternis in Gallicum nomen odiis, quingenta aureorum nummûm millia Albano tradidit. Eâ tum pecunia Neapolitana res ſtetit. Verùm ni Caraſii fratres per ſocordiam & inanem fiduciam, qua ſibi cuncta jam proclivia fore, victoriamque in manibus eſſe perſuaſerant, pactis militum & commeatuum apparatibus Guiſium fruſtrati eſſent, non dubia hominum opinio fuit, Neapoli Regnoque exturbari Hiſpanos haud magno labore potuiſſe. Guiſius cùm ab Alpibus in Italiam deſcendiſſet, magno Mediolanenſibus atque Inſubriæ timore incuſſo, Ferrariam contenderat: Nam Hercules Ferrarienſium Dux in partes transgreſſus, honoris cauſa Imperator ejus belli fuerat à Pontifice Regeque dictus, eratque idem Guiſii ipſius ſocer: Carolus Carafa Cardinalis interea Venetias cucurrerat, atque ibi inſtando, Pontificis ac Regis vires ac victoriam minimè dubiam oſtentando, Senatum in ſocietatem armorum adducere magnopere eſt conatus. Sed Veneti haud ignari, bella quæ non ſuo pondere niterentur, pari impetu moveri deſerique ſolere; nec ſatis grandævi Pontificis ætati fidendum cenſentes, culto magis honoribus officiisque Carafa, quàm ulla ſui ſpe factâ, quietem egêre. Ille Venetiis Ferrariam venit, ac ſtatim in conſi-

conſilium de bello a Ducibus eſt ventum, decretumque in eo, ut Hercules cum ea copia quam ipſe confecerat, ad cuſtodiam ſui Regni maneret, cui Parmenſes Corregiique hoſtes, Hiſpanorum ope fulti, imminebant; Briſachius, alter Gallorum Dux ſua item cum copia res in Inſubribus gereret, infeſtisque ubique armis eos urgeret, daretque operam ut quamplurima de iis oppida caperet: dum Albanus Neapoli majoris mole belli impediretur, Guiſius cum exercitu Bononiam, atque inde per Flaminiam itinere facto in Picenum tranſiret, & ab Aſculo, trajecto Truento, Neapolitanum Regnum invaderet; Carafa Romam rediret, ad expedienda quæ ex fœdere Pontifex deberet; ea erant decem millia peditum, equitum mille. Quæ manus ſi ſtrenuè comparata à Carafiis fratribus fuiſſet, &, ut conſtitutum erat, alterum ab Latio bellum Hiſpanis ad diſtinendas eorum vires intuliſſent, creditum eſt, victoriam haud difficilis negotii futuram fuiſſe. Verùm illi partim avaritia ſuâ ſuorumque, quorum peculatu publica pecunia omnis avertebatur; partim ignaviâ atque inſolentia, qua in primordiis belli veluti in victoria exultabant, rem conſiliaque corrupêre. Guiſius, trajecto Truento, Civitellam, quod primum ab ea parte oppidum occurrit, oppugnare aggreditur. Albanus ſummam prope rei totius in defenſione ejus oppidi verſari haud falsò exiſtimans, quatuor fortiſſimorum militum millia in præſidio

ibi

ibi collocaverat, præpoſito iis Sfortiâ Santaflorio juvene impigro & gerendæ rei cupido; & muro & muris proxima validis erectis munitionibus e[illegible] uſu firmaverat. Sed oppidum non opere quàm natura munitius erat, tumulo edito & undique abrupto impoſitum, ut per arduum atque impeditum ſcandentes hoſtes facilè vel ſaxis arcerent, quæ è ſummo cacumine ad id comparata crebra ingentiaque evolvebant. Et Albanus contractis undique copiis, haud majori quàm quem Guiſius haberet, cum exercitu caſtra haud procul inde poſuerat, ſuis & ex propinquo animos faciens, & opem, ſi res poſceret, laturus; & aſſidens negotio nunc commeatus, nunc alia intercipiens, difficiliora omnia hoſti reddebat. Guiſius accitis Anconâ Ferrariaque muralibus tormentis, ac verberatis ſtratisque multis locis muris, cùm ſæpius audacter adorſus mœnia ſubiiſſet, parique virtute præſidiariorum eſſet repulſus: ne fruſtra inſuperabilibus vim afferret, omittere incœptum eſt coactus, conquerens magnopere de Carafiis, à quibus nihil præſtitum eorum quæ polliciti fuerant, Albanumque cum omnibus viribus in ſe unum incumbere paſſi eſſent, neque, ut conſtitutum erat, diſtinuiſſent. Itaque relictâ Civitellâ, ad Albanum ipſum vadit, explicataque in medio campo acie, æquam illi pugnandi poteſtatem facit: Sed Albanus ſuo ſe loco continuit, non tam metu, quàm ne ſummam belli in unius non neceſſariæ pugnæ aleam daret; cum & naturâ cunctator,

tor, ac minimè pugnax Dux eſſet; ac ne victoriæ quidem par præmium fore intelligeret: Quippe ſi viciſſet ipſe, nihil aliud quàm ſummoturus in præſentia finibus Regni hoſtes erat; ſi fortuna pro Gallis ſtetiſſet, eos non prælio ſolùm, ſed bello victores fore. Guiſius ubi hoſtem nihil temerè acturum, nec ſui poteſtatem facturum ſenſit, cùm ipſe re quoque frumentaria anguſtè indiligentia Pontificiorum uteretur, Carafiis vehementer iratus, in Picenum intra Pontificis fines exercitum reduxit. Inde à Pontifice accitus Romam, placatusque moram trahebat, non tam ſpe Carafios renovaturos impigrè bellum, & quas ex fœdere deberent copias in Neapolitanum Regnum inducturos, quàm ut à Pontifice vim arceret, & Albanum metu ſui detineret; qui ſi aut abſceſſiſſet inde, aut exercitum dimiſiſſet, quem inopia pecuniæ diu habiturus non videbatur, ipſe occaſioni gerendæ rei immineret, & interea ſpatium Briſachio eſſet nudatos præſidio Inſubres vaſtandi. Nec tum finem id bellum videbatur habiturum, niſi à Philippo Cæſaris filio, qui illis diebus abeunti in ſolitudinem patri ſucceſſerat, grave Galli incommodum apud Fanum Quintini in Belgarum finibus accepiſſent. Quâ ictus clade Henricus properis nunciis redire in Galliam cum exercitu Guiſium juſſerat, aliquot modò cohortibus ad præſidium Urbis atque Pontificis relictis. Albanus liberatus Gallorum metu, bellum omne in Romanum agrum tranſtulerat, & caſtris

ad

ad Colonnam caſtellum decimo ab Urbe lapide poſitis, ipſam premere ac tentare Urbem ſtatuit: ſperans fore, ut aut ejus partem aliquam inopinatâ impreſſione occuparet, aut eo metu Pontificem ad paciſcendum ſecum, quibus Rex voluiſſet conditionibus, ſubigeret. Ergo admotis intempeſtâ nocte copiis, milites ſcalas ferre ac ſuccedere muris jubet. *V*erùm populus Romanus veteri Hiſpanorum odio ex Borbonianæ cladis memoria, novò periculo redintegrato, ſtrenuè pro ſalute Urbis arma ceperat, nec ſolùm in muris conſtiterat, verùm, ut eſt omnis concita multitudo ſtolidè ferox, ægrè cohibitus à Ducibus eſt, ne ultra in hoſtes erumperet. Albanus ubi, non ut crediderat, cum imparatis rem fore ſibi, & crebros in mœnibus armatos conſpici, eſſeque omnem in armis civitatem ex clamoribus ac ſtrepitu concurſantium intellexit, ſimul magnitudine ac difficultate rei, ſimul infamiâ tam atrocis auſi deterritus, milites ad Colonnam in caſtra recepit. Et mox Cardinalibus aliquot, *V*enetisque, & Coſmo Medice Florentinorum Principe interpretibus, pax convenit: cùm & Pontifex deſertum ſe à Gallis cerneret, & Hiſpani intellexiſſent, quanto cum motu rerum periculoque eum irritaſſent. Pacis conditiones fuere;

Ut Albanus inermis Romam veniret, abjectusque ad Pontificis pedes ſuo ac Philippi nomine erroris veniam peteret: Idem Philippus paulò pòſt per ſuos Legatos, hujus rei causâ miſſos, face-

faceret: Pontifex utrique ignoſceret, Philippumque in eum gratiæ locum reciperet, quo eſſe apud eum virum bonum,& Chriſtianum Regem deceret; decreta adverſus eum facta omnia induceret abrogaretque: Gallis conditiones, initæ contra Philippum ſocietatis, renunciaret, communemque ex æquo utriusque Regis gentisque parentem ageret: Albanus urbibus, oppidis, agris, quæ de Pontifice cepiſſet, decederet: in ea, quæcunque abſtuliſſet privata publicaque, & maximè tormenta bellica,omnia referret: Idem Pontificii facerent: Quicunque ſeu Pontificis, ſeu Regis ditioni ſubjecti eſſent, eorum nulli, in alterius caſtris fuiſſe, operamque bello navaſſe, fraudi eſſet, ſuæque omnibus res redderentur: Hoc capite ac fœdere Marcus Antonius Colonna,ac Aſcanius Corneus Peruſinus exciperentur. Aſcanius ſororis filius fuerat Julii III. & exorto ſtatim bello,ad Albanum transfugerat. De Paliano cautum, ut Bernardino Carbonio Neapolitano, homini ſpectatæ fidei traderetur, qui communibus Pontificis ac Regis ſumptibus ac nomine cuſtodiret,donec ab utroque,quid fieri placuiſſet, ſtatueretur.

Ita Pontifex viſus dare, non accipere pacis leges, cujus conſtitutæ firmatæque lætitiam Romæ turbavit Tyberis inundatio,qui ingenti aquarum mole ſupergreſſus,ripas ita ſe totâ Urbe diffudit, ut non plana ſolum & humilia compleverit, verum ad altiora quoque loca pervenerit.

 Saluti

Saluti fuit, quòd proviſa vis interdiu incidit, & ſervandi corpora homines, & domibus relictis, tutum evadendi ſpatium habuerint; etſi ſic quoque oppreſſi multi, & plures equi jumentaque periêre. Circumlata navigiis per vias cibaria domi obſeſſis ſubventum. Terribilis aſpectus Urbis latiſſimè aquis ſubmerſæ fuit, multaque vini, frumenti, ac multarum præterea rerum, quæ corrupit illuvies, jactura facta. Decedentes aquas ſecutæ multorum ædificiorum ruinæ, & vix pluribus inde diebus egeſtus è domibus limus, qui multis locis viæ quoque Urbis obſtructæ atque inviæ erant. Eodem anno, atque adeò iisdem diebus multæ Italiæ urbes pari clade, amnium interfluentium exundatione atque impetu ſunt vaſtatæ, ſed maximè omnium Florentia Arno, Bononia Pado; Verona Atheſi. Tanta vis pluviæ aquæ uno tempore ſe cœlo effudit. Quod ferè vulgus ſolet, adverſa etſi fortuita in iram Dei, Principum delicta conferebant: hinc magna invidia Paulus, majori Carafii fratres erant. Belli clades; damna Tyberis, caritas Annonæ, tributorum gravia onera, incredibiliter alienaverant Pontifice ſuisque omnium animos. Et Romani Cives, qui initio Pontificatûs tributi parte levati, publicè privatimque ita aucti ornatique ab eo fuerant, ut & ipſi centum è mediâ nobilitate juvenes delegerint, quorum viginti mutatis vicibus dies noctesque perpetuas in Palatio ad Pontificis cubiculi fores vigilias agerent: & Paulus
cor-

corporis ſui cuſtodiam, quod novum, nec ante ab ullo Pontificum fuerat uſurpatum, Romanis credere non ſit veritus; cui denique ob beneficia marmoream ingentem in Capitolio ſtatuam plebiſcito poſuerant: adverſus eum hoſtile repente odium induerant multi, Hiſpanis Colonnisque & partium ſtudiis & officiis obſtricti, omnes ob belli ſumptus collationibus fatigati, ac multis detrimentis afflicti, & quotidianis Carafiorum fratrum injuriis, ſuperbisque & inſolentibus reſponſis incenſi. Id adeo odium intendebat ipſe quoque Paulus, cujus vim animi, atque inſitam ingenio ferociam, non tam ſedaverat parta pax, quàm improſpera belli aſperaverant. Converſus igitur (quòd antea aggreſſum armorum hic motus interpellaverat) ad corrigendos hominum mores, & multas quæſtûs cauſa inductas conſuetudines amputandas, ſalutares edidit leges: hæ quoque ipſæ priori aſſuetis licentiæ, luxuique eò graviores erant, quòd ille cuncta duriter ac præfractè inciperet, nec ullius vel gratiâ vel auctoritate flecti exorarique ſe patiebatur. Hæreticos & punivit ipſe ſeverè, & Inquiſitioni præfecit Michaelem Ghiſilerium Alexandrinum Cardinalem, virum innocentia ac religione ſpectatum, nec violatæ religionis Paulo ipſo vindicem minùs acrem, qui & ipſe poſtea Pontifex Maximus fuit, & Pius V. eſt appellatus. Ad hanc compeſcendam hæreticorum peſtem, ne tàm licenter graſſaretur, libros ab Hæreticis conſcriptos, qui

permulti in hominum manibus verſabantur, & quorum lectione hauſtum venenum imperitorum animos praviſſimis opinionibus inficiebat; vendi, haberi, legique vetuit; non parentes omnibus diris devovit, ac pleroſque conquiſitos undique cremari aut etiam aſſervari, ut niſi à doctis refellendi cauſa non legerentur, juſſit; relatis in volumen, editiſque Auctorum nominibus, quorum rationem ſcriptaque condemnâſſet. Quod decretum magnis tum literatorum ac bibliopolarum, quibus ea res damno erat, clamoribus querelisque acceptum, poſtea & conſilio prudens, & tempore neceſſarium, & eventu uſuque ſalubre evaſit. Cucullatos ſodalitatis ac diſciplinæ, quâ ab adoleſcentia initiati inſtitutique eſſent, deſertores, quorum erat ingens numerus, omnes in ſua ſepta Monaſteriaque ſeveriſſimis edictis compulit; retrectantes, alios carceribus condidit, alios Navarchis traditos remigio addixit, nullo diſcrimine, nullâ ſatisfactione accepta, cum diceret, quod ſemel quis Deo pollicitus voviſſet, ab eo nullam ſatis diſcedendi cauſam eſſe. Eà tempeſtate Carolus V. feſſus morbis in ſolitudinem concedens, Imperium Ferdinando fratri, deſignato antea Cæſari, tradiderat. Id Paulus, quia non ex auctoritate ſua factum eſſet, ratum non habuit. Neque enim id inconſulto Pontifice Maximo Carolo per leges licuiſſe, periti Pontificii juris ajebant. Nec ut Ferdinandi Legatos, ad deferendum illi fidei offici-

cium venientes admitteret, aut honorem ejus improbaret, ullis precibus adduci unquam potuit. Multa denique ex veterum diſciplina vetuſtate obſoleta reſtituit, multa per injuriam invecta abolevit. Id vero cum omnes, plenos ſonctorum carceres, & alius amicum, alius propinquum notari corripique cernerent: ut ſeveré jus ſine multorum animadverſione pœnaque non poteſt, & in legibus, ſeu novis ferendis, ſive omiſſis obliteratisque revocandis, etiam quæ probant, homines oderunt, rum quanta in omnes ſatietas, quantum eſſerat præſentium tædium. Sed Pontificem ud dubiè maximis præditum virtutibus nihil què premebat, quàm propinquorum, & maxime trium fratrum arrogantia, & vita omnibus gitiis contaminata: Hi erant Carolus Cardilis, Joannes Paliani Dux, Antonius Marchio Montisbelli, quibus ipſi quoque dignitatituli eo majori invidiæ erant, quòd uterque ſibi honorem per alterius injuriam pepere: Nam Joannes Ducis appellationem quanto motu rerum ſit adeptus, ſupra oſtendimus: Antonio item adempta Franciſco Balnei Comioppida Paulus adjudicaverat, ut quanquam eritus Franciſcus, ut multaretur videri poteat, qui in Pontificis Maximi ditione, cui ipſe etiam ſubeſſet, Gallorum Legatos cum pecunia Romam venientes, ut Hiſpanis gratificaretur, ſpoliaverat: tamen invidioſam rem

faciebat translatum jus in fratris filium. Carolus in Hieroſolymitanorum Equitum ſocietatem, à primis annis nomen dederat, qui hodie ab Inſula, quam in noſtro mari obtinent, Siciliam inter & Africam, Melitenſes vocitantur, Neapolitanamque Præfecturam (Prioratum ipſi appellant,) fuerat adeptus, & à Paulo ſtatim inito Pontificatu in ampliſſimum Ordinem lectus, ac ſummæ Conſiliorum omnium præpoſitus. Hi igitur fratres diverſi vitiis, arrogantiâ ac nequitia pariter odioſi inviſique erant: Cæterùm aliis rebus inter ſe diſcordes, obſidendis patrui auribus, ne quid, quod ipſorum ſcelera proderet, permanaret ad eum poſſet, inviolato conſenſerant fœdere; & fidem par metus continebat. Ergo ſuſpectos aut minùs obnoxios, qui initio publicis negotiis consiliisque à Paulo admoti fuerant, alios ſubmoverunt, in locaque eorum clientes ſuos ſuffecerunt; alios fraude ac fictis criminibus circumventos mulctis, carceribus, exiliis perculſos expulerant; unde latè fuſus in omnes metus. Denique, ut ſoli rerum omnium potirentur, neminem ullo amicitiæ aut gratiæ jure pollere apud Pontificem patiebantur, niſi qui ab ipſis provectus eorum beneficium agnoſceret. Improbi, qui fortunæ indulgentia ad libidinem injuriamque abuterentur; improbiores, quòd, cui fortunam ipſam deberent, ejus famæ eximiæque virtuti publica cum offenſione invidiaque officerent, compoſitique ipſi ac falſi innocentiæ ac religionis opinionem impu-

impudenti ſimulatione apud eum affectarent, non ſolùm piis & ad ſenſum auresque ejus compoſitis ſermonibus, ſed ſubornatis etiam atque inſtructis, qui eadem de iis apud patruum facilè ul ea, quæ de ſuis optaret, credulum prædicarent: ut nunquam deſunt, quibus nulla Reipublicæ aut honeſti cura, nec fides religione, ſed utilitate ac ſpe improbâ creſcendi ex publicis malis æſtimetur. Et illi quidem uni patruo probitatis atque innocentiæ inanem ſpeciem præferentes, apud alios flagitiis certabant. Quibus deceptus teſtimoniis ac ſimulatione Paulus abutendum ſe iis permiſerat, & maximam publicarum rerum partem in eos rejecerat. Ipſe jubendis novis legibus, atque hominum frenandæ licentiæ, & quæ peſſimi exempli in publicum valeſcebant malum, tollendis totus intenderat; ita domeſticæ turpitudinis ignarus aliorum ordinabat mores: unde pari odio & virtutes ejus & vitia ſuorum habebantur: quorum flagitia non tam ignorati ab illo credebant homines, quàm non vindicari indignabantur. Quæ cùm omnem exceſſiſſent modum, extitit qui miſereretur Pontificis alioqui egregii & publicæ rei percupidi, & in quo præter aſperius adverſus repugnantes ingenium vehementioremque naturam, nihil quod magnopere reprehendi poſſet, inveniret, quando ille in tantam invidiam atque offenſionem hominum nullo ſuo merito adductus videretur. Is quicunque fuerit, (nam

& in occulto manſit, nec ſciri magnopere ad rem pertinet) dicitur veniâ impetratâ, quòd non hæc antea detuliſſet, vitam, mores, facinora trium fratrum, ac dedecora domûs omnia aperuiſſe; addito, quantum inde ad bonos offenſionis, quantum ad ipſum invidiæ atque adverſæ famæ redundaret. Attonitus ea audiviſſe Paulus dicitur, & ubi haud vana deferre viſo fides auctori fuit, ingenti dolore atque impetu exarſiſſe. Cùm res atrocior viſa eſſet, quàm ut per iracundiam vindicaretur, nec, quod potiſſimùm in eos ſtatueret, pudore iraque confuſo ſatis occurreret, in præſentia qui, omnes quicunque ſe aliquâ propinquitate contingerent, aditu & conſpectu ſuo prohiberet, miſit; & Senatum in ſequentem diem, quia tum nox ſuberat, vocari juſſit. Cùm ventum in Senatum eſt, gravi oratione priùs de Patrum fide eſt conqueſtus, à quibus admonitum ſe oportuit eorum quæ contra publicam rem, famamque & exiſtimationem ſuam fieri animadverterent: quanquam ignoſcere ſe alienis dixit, quando à ſuis tam ſceleratè deceptus ac proditus foret. Deinde trucibus verbis in eos invectus, Carafam Cardinalem Legatione Bononiæ atque omni publica adminiſtratione removit. Joanni militarem ducatum atque imperium, quod ei totâ Romanæ Eccleſiæ ditione erat, item præfecturam claſſis ademit. Antonium ſuâ Burgi & Palatii cuſtodia privavit; atque ipſos & præterea reliquos gentiles atque affines

affines ſuos, præter Alfonſum Cardinalem Antonii filium, notæ continentiæ ac modeſtiæ juvenem, ante noctem excedere Urbe, & in aſſignata cujusque exilio oppida abire imperavit, malum minatus, ſi quis aliquem eorum ullâ re juviſſet. Profeſſusque graviora meritos, adjecit, ulciſcendi ſui, ac dignas à ſontibus pœnas repetendi palmam ſucceſſori ſe relinquere. Cùm multa in hanc ſententiam haud falſus vates atrocia plenus iræ, vultu, voce, oculis terribilis intonuiſſet, (inerat ei dicendi ſumma vis, ſummaque facultas & gravitas) & trux, cùm ira efferbuiſſet, oculorum obtutus adeo exterruit Senatum, ut magis nutu vultuq; mitiora Patres precari viderentur, quam quisquam aggredi ſermone auderet. Et Ragnutium Farneſium Cardinalem, clementi ingenio liberaliq; naturâ ac præſtanti facundiâ juvenem, unum lenire iram, tegere reos, & deprecari tam ſubitam damnationem, audiendosque & copiam adeundi patrui aures, diluendique quæ objicerentur, aut clementiam implorandi fratris filiis non negandam, diſſerere orſum, reſponſo adeo ſævo perculit, ut diceret: Si Paulus III. avus tuus, Ragnuti, eadem ſeveritate Petri Loyſii filii ſui flagitia moresque coërcuiſſet, non illum fœdum in modum trucidatum, laceratumque Placentini è feneſtris in publicam viam projeciſſent. Tum verò ne hiſcere quidem audente, ullo exilium Caraſæ cæterisque indicitur denunciaturque, nullam veniæ ſpem niſi fortè

in obſequio eſſe. Ita Carafa Marinum exulatum abiit, cæteri item, quo quisque juſſus erat. Pontifex ad hæc eorum acta reſcidit; quos ipſi publicis muneribus præpoſuerant, ſtatim ejecit, tributa oneraque, ſe inſcio ab iis impoſita populis ſuſtulit. Nec tamen grata hæc in vulgus erant; quia non tam ex beneficentiâ in alios, quàm irâ in ſuos profecta homines interpretabantur. Et quanquam illos amotos rebus, punitosque gaudebant; tamen quisque quid ſibi timendum eſſet, quando proximis tam implacabilis fuiſſet, magis reputabat. Quantùm verò terroris in omnes ſeveritas illa effuderit, id argumento ſit, quod cùm fortè ignara rei in Urbem eo ipſo tempore N. Marchionis uxor, Pontificis ipſius neptis, veniſſet, inventus nemo ſit qui eam Palatio prohibatam, domo reciperet; quæ ut venerat frequenti comitatu, imbre maximo totam emenſa Urbem, ab ſingulis Principibus cum quibus aliquod hoſpitii jus haberet, excluſa, ad publica diverſoria deſcendit; ſed ne ab iis quidem admiſſa, timentibus cunctis ne quid contra voluntatem Pontificis facerent, poſt diuturnam vexationem ludibriumque, remotâ in Urbis parte, ab Caupone omnium ignaro, humili ac ſordido tecto madida deformisque recipitur: inde inſequenti die primâ luce Neapolim abiit. Et Carafa Cardinalis cùm ab ægritudine animi, morbo quoque corporis graviter decumberet, Medicosque accitum, Romam miſiſſet, nec ire ad eum, nec ea de re Pontificem appel-

pellare quiſquam eſt auſus. Sed Paulum quamquam antè infectâ valetudine conflictari cœptum, & quartum ac octuageſimum agentem annum; tamen ſatis conſtat, non tam ſenio aut morbo confectum, quàm mœrore atque irâ, quod ſcelerum fratris filiorum ut diu neſcius, ita ſerus ultor extitiſſet, quinto poſt exactos illos menſe, ad XV. Kal. Septembris M.D.LIX. mortem obiiſſe: quam cùm ſibi ipſi inſtare, atque adeò jam adeſſe ſenſiſſet, ſummâ religione omnibus Chriſtianis ſacris ritè expiatus procuratusque, Patres vocari ad ſe juſſit: qui cùm ſtatim omnes conveniſſent, admiſſiq; in cubiculum, jacentis lectum circumſtarent, hiſce exorſus verbis, *Ingredimur, Fratres, viam univerſæ carnis*, graviſſimâ oratione eos eſt allocutus, adhortatusque, ut Pontificem Maximum quem ex ſuo numero optimum judicâſſent, crearent, qui collapſam vitæ ac morum diſciplinam è majorũ inſtitutis repetitam, quod perficere ipſe nequîſſet, reſtitueret: & Inquiſitionis Magiſtratum ad cuſtodiam Religionis divino conſilio comparatum, & temporibus maximè ſalutarem tuerentur. Quâ habitâ oratione, Patribus volentibus oſculandam dextram præbuit, iisque dimiſſis expiravit. At Populus Romanus, cùm ex ipſa Patrum in Vaticanum coitione pervaſiſſet Urbem rumor, extinctum Pontificem eſſe, ingenti elatus lætitiâ tabernis clauſis in Capitolium congregatur; ubi erumpente è liberis jam vocibus odio decernunt, ut omnibus Urbis locis publicis

blicis privatiſque omnia monumenta nominis familiæque ejus refigerentur, delerenturque. Hoc promulgato decreto furere multitudo, conſpectaque Pontificis ſtatuâ, in eam facto impetu, ut in viventem ſævire, everſam malleis comminuunt confringuntque; caput è monte præcipitatum arripit veſana plebs, ac tota Urbe provolutum, cœno ſordibusque inceſſentes eluſerunt, donec indignitate rei moti quidam in Tyberim, ut inſanientium ludibrio eriperent, dejecerunt. Ad carceres publicos ingenti tumultu concurſum; quibus omnibus refractis, etiam capitalium rerum damnati dimiſſi ſunt. Domum inde, in quam Miniſtri Inquiſitionis conveniebant, invadunt, ubi aliquot in cuſtodia Hæretici, aut eo crimine poſtulati aſſervabantur; patefactis cuſtodiis, eductos omnes abire jubent. Cæterùm, unâ re non ſimilis ſui multitudo fuit, quòd eos non antè dimiſit, quàm jusjurandum à ſingulis accepit, futuros poſt hac in fide Romanæ Eccleſiæ, neque ab ejus auctoritate unquam diſceſſuros; ut odio Pontificis illa ab ſe, non Religionis contemptu fieri, teſtarentur. Verùm diſcurſu paſſim totâ Urbe furentibus, quod prætererire non eſt viſum, incidit nuntius, vivere Pontificem, nec deſperari ſalutem. Tum verò quàm fluxa vis & inconſtans omnis multitudinis ſit apparuit: Labi manibus arma, intermori clamores, langueſcere licentia, & pro ſe quisque digredi & fugam & latebras ſpectare; adeo penes odium, metus

tus

tus illius viri fuere. Patres, ſcriptis ad cuſtodiam Urbis militibus, ſedatoque tumultu, ac miſſis equitibus qui Carafam Cardinalem ab exilio reducerent in Urbem, ingreſſi Conclavia poſt diuturnam quatuor menſium contentionem, Pontificem Maximum renuntiarunt Joannem-Angelum Medicem, Mediolanenſem, appellaruntque Pium Quartum. Ab hoc, deprecatoribus aliquot Cardinalibus, & antè omnes Carolo ipſo, & Alfonſo Carafis, imperatum, ut Populo Romano quæ in Paulum familiamque ejus per ſeditionem ac tumultum deliquiſſet, ignoſcerentur, præbente ſe facilem Pio, ut initium Pontificatûs ſui clementiæ laude commendaret; ſed paulò poſt, ſive gratiam inde majorem à Populo Romano aliisq, initurum ſe, & ſimul inſigni ſeveritatis ac juſtitiæ documento auctoritatem ſuam ſanciturum, ſperaverit; ſive Regis Hiſpaniæ & Coſmi Florentinorum Ducis inſtinctu, ut deterrerentur, inpoſterum Pontificum propinqui: ne ſibi ita abutendum præſenti potentia opibusque arbitrarentur, ut non redeundum aliquando ſub leges, & vitæ geſtorumque rationem reddendam eſſe ſcirent, utrumque Cardinalem, Carolum & Alfonſum tradi in cuſtodiam juſſit: quibus Palatium unà ingreſſis, ut in Senatum qui ea die habebatur, venirent, obviam factus Glabrio Serbellonus Burgi & Palatii cuſtos, indicta iis Pontificis voluntate, tecta quæ ex Palatio in Arcem Hadriani eſt via, in cuſtodiam deduxit: omni dimiſſo familiarium ac de-

deducentium comitatu, & duos tantùm à Carolo, totidem ab Alfonſo; quos quisque ſibi elegiſſet corporis miniſtros, retineri paſſus. Atque eodem tempore Joannes quoque Paliani Dux, paulò antè Romam ab Galeſio, ubi exulaverat, reverſus cum Comite Alife, uxoris fratre, & Leonardo Cardine, nihil tale ſuſpicantes capti; atque in eandem Hadriani Arcem conjecti ſunt. Antonius Carafiique alii, his celeriter cognitis, prærepta fuga, ſaluti ſuæ conſuluerunt. Pontifex in Senatu, quàm multis & quàm juſtis eſſet rebus adductus, ut eos cuſtodiæ mandari juberet, expoſuit. Et ut ſua ampliſſimo Ordini majeſtas ſervaretur; nec de Cardinalium capite alii quàm Cardinales inquirerent, octo eorum dixit qui Caroli & Alfonſi actioni quæſtionique præſiderent. Protractum ad nonum usque menſem; comperendinatis ſæpe ampliatis reis judicium eſt. Poſtremò in frequenti Senatu Caroli atque Alfonſi cauſa ad Pontificem refertur, & ab eo abſoluto, aut tantùm pecunia mulctato Alfonſo; Carolus Majeſtatis eſt damnatns, ac Judici capitalium rerum tradi juſſus. Convictum ferunt teſtibus, chirographisque ſuis, non hortationibus ſolùm ab eo, ſed etiam dolo ac fraude Paulum Pontificem ad belli conſilia fuiſſe inductum, nunc falſis & ab ſe inſtructis nunciis, nunc adulteratis ſignis, ementitisque literis: & ſuper hæc, belli ipſius occaſione, ad quosdam inviſos ſibi inſontes occidendos abuſum fuiſſe. Damnatus item capite
eſt

eſt à Prætore Urbano Joannes [illegible], & quia cum Carolo ad obſidendum fallendumque Pontificem conſpiraſſet, & quia a Aliſano & Cardine adjutoribus uxorem paulo ante, non tam ob admiſſi, quàm ob cogitati probri perbrevem ſuſpicionem crudeliter interfeciſſet, & quod ipſa quoque cæde atrocius fuit, prægnantem & partui proximam, & Deum innocentiæ ſuæ teſtem & fidem viri nequicquam implorantem. Et à quo eam corruptam rebatur, comprehenſum tormentisque laceratum, conſtantiſſime inficiantem, Joannes impotenti ira exardeſcens alligatum equuleo, ſtricto quo accinctus erat pugione, ſua manu multis vulneribus confodiſſet. Ad Carolum dormientem Miniſtri rerum capitalium intempeſta nocte, patefactis repente cubiculi foribus, adierunt, atque ipſo ingredientium ſtrepitu expergefacto, & quid hoc rei eſſet, quærenti, mortem indicant, duabus modò horis ad componendum animum conceſſis. Securus de ſalute, ac tantùm de libertate anxius Carolus fuerat, eo inexſpectata res vehementius perculit. Fertur primò atroces edidiſſe clamores gemitusque, & Philippi perfidiam Coſmiq; incuſans, proditores eos ſalutis ſuæ appellaſſe. Deinde ſumptis veſtibus & corpori circumdatis exiliens lecto, inambulare cœpiſſe, vultu, oculisque adeo trucibus, adeoque immaniter gemens frendensque, ut qui circumſtabant magnopere terrerentur. Pluribus per iram & crebros queſtus confectis ac repetitis ſpatiis,

de-

demum deferveſcente paulatim ac reſidente animi æſtu, & uno miniſtrorum admonente abeuntis temporis, quod breve præfinitum eſſet, receptum animum tandem morti accomodavit. Admiſſo Sacerdote, delicta ei ſua ex more eſt confeſſus, veniaque acceptâ, ritè eo ſe ſacro procuravit. Sumpto inde quotidianarum precationum libello, abjiciens ſe in terram, ad dimidium horæ tacitus legens, ac ſæpè pectus ſuum pugno pulſans, ſigna dedit placantis ac propitiantis Deum. Poſtremò allata in ſella conſedit, ſeque juſſæ mortis exactoribus permiſit. Tum carnifex properè laqueum collo injecit. Verùm dum conſtringere ac peragere rem æquo plus feſtinat, ſeminecato jam eo, frangitur laqueus, qui, dum nectitur iterum componiturque, audita Caroli vox, ſceleſtum increpantis atque haud dubiè eo caſu commotum, obluctantemque cum morte, ſudario in os injecto, faucibus obſtructis laqueo, manu, linteo ægre confecit. Ita Carolus iterato ſupplicio, duplici pene morte eſt necatus. Corpus manè ſummo in D. Mariæ Tranſpontinæ Fanum illatum ac terræ mandatum eſt. Adeo non ſatiatis tam miſerabili exitu ejus hominibus, ut amaris carminibus ſupplicio ejus quidam inſultarint:

Extinxit laqueus vix te, Carafa, ſecundus;
Tanto etenim ſceleri non ſatis unus erat.

Eadem nocte Joannes quoque Paliani Dux, ſociique, ſecuri ſunt percuſſi. Is & multo ante proſpexerat judicii ſui exitum, omnemque evadendi ſpem

ſpem abjecerat. Deum per omnia Chriſtiana ſacra, piaculaque, ſibi ſumma cum religione propitiaverat. Itaque nuntiatam mortem, ut meditatam proviſamque, Chriſtiano, ac forti animo accepit. Literas ad adoleſcentem filium, quem unicum habebat, ſua manu eadem nocte ſcripſit, quibus eum ad Dei atque pietatis, & ad juſtitiæ & innocentiæ cultum ſtadhortatus: quæ poſtea literæ propter argumenti & ſententiarum gravitatem vulgatæ atque editæ ſunt. Et ingreſſus ſupplicii locum, ſecuri, atq; illo mortis ſuæ apparatu conſpecto, converſus ad Aliſanum & Cardinem, qui flentes fractique pene ducebantur, conſolatusque eos, Bono eſtote animo, inquit, juvenes, & ſpretis, quarum jamjamque ſenſu cariturì ſumus, humanis rebus, Deum cœleſtiaque cogitate, & ſimul, quam meriti ſumus, pœnam recti juſtique amore conſtanter ſubeamus: nam & ex illa machina nobis DEO fidentibus patebit ad cœlum iter. Trunca cadavera capitaque in aditu Pontis Ælii, ut ſpectaculo eſſent, abjecta, totius populi concurſu ſpectata ſunt; & quæ natura vulgi eſt, quorum florentium odio flagrabant, captorum ſupplicia expoſcebant, poſtquam eſſe deſierunt, verſa in miſericordiam invidia, tam fœde necatos etiam lacrimis proſequebantur. Joannem memorabant paulò antè Imperatorem Romanæ Eccleſiæ aurea in veſte, inſigni ſublimem equo, nova cum pompa omnibus proceribus utque univerſo Populo Romano

deducente, ad eum Magiſtratum ineundum, Capitolium aſcendiſſe, ibi ſolemni exceptum epulo, ſummis omnium ſtudiis, ſummis laudibus celebratum, ad tantam recidiſſe calamitatem, ſtupentes vix oculis ſuis fidem habebant; tum conſtantiam ejus in perferenda morte, tum teſtes Chriſtiani atque pii animi voces prædicabant. Et ſanè ſalubre mortalibus ac Romanæ Urbi documentum fuerint Joannes & Carolus, quam incertis caſibus humanæ res verſentur, & quàm inſtabili gradu illi nitantur, qui fixam terræ mentem, cælo nunquam erigunt: Hi enim ſatis amplâ domi fortunâ orti, ea mox per ruinam partium quas ſecuti fuerant, dejecti, diu exules atque egentes fuerunt; & Carolus vitam mercede militiæ ſuſtentavit. Ad eam inde potentiam pervenerant, ut potiundi Neapolitani Regni ſpem animo concipere, atque adeò aggredi potuerint, rerumque arbitri quatuor Romæ annos fuerint. Tandem à patruo ipſo, indelebili ignominiæ notâ Urbe expulſi, quamdiu ille ſupervixit, exularunt. Poſtremò capti damnatique in publici carnificis manu vitam reliquerunt.

DE

DE
Franciſco Lotharingo
Guiſiæ Duce.

CÆſar in deſcriptione Galliæ videtur eam partem Mediomatricibus aſſignare, quæ hodiæ Lotharinga dicitur. Eſt quoque, quia Gallis ab Auſtro ſit, diu Auſtraſia dicta: quanquam Auſtraſiæ vocabulum latius patuit, & aliquot Belgarum gentes complectebatur, quarum nunc nobilitata nomina ſunt. A Lothario, Caroli Magni nepote, qui ei imperabat, Lotharingia eſt appellata. Extincta demum Magni ſtirpe, Lambertus Montium Princeps ducta in matrimonium ex Caroli domo, quæ ſuperfuit filia, Lotharingiam dotale munus accepit, genusque in multa ſecula propagavit: donec in Joanne defecit anno M.CCCXXXVI. Atque Lamberti hujus progenies fuit Gotifredus Bolionus, ille cujus eximia virtus inter clariſſimos Europæ Duces ita enituit, ut eorum ſuffragatione ac ſententiis Hieroſolymorum Regnum communibus armis partum ſolus tenuerit. Sed eorum qui Lotharingiam in ditione habuerunt, ſæpe interciſa ſtirps ac ſucceſſio eſt. Anno demũ M.CCCXL Carolus Dux unica relicta filia deceſſit, quæ cum

Renato Andegavenſi, Aloyſii filio, illius qui Rex Neapolis eſt dictus, nupſiſſet, iterum Lotharingia in Regiam Galliæ redierat, niſi Renatum quoque brevi virilis ſtirpis ſpes deſtituiſſet, quæ in Nicolao nepote defecit: ita imperium gentis ad Federicum Vademontii Comitem pervênit, qui Hiolantem Renati filiam in matrimonio habebat. Atque hoc Federico quique nunc Lotharingiam obtinent Duces, quique Guiſii cognominantur, ſunt orti. Succeſſit filius, avi nomine Renatus, & ex eo tres nati filii: Antonius, qui ætate major Ducatum patris accepit. Joannes, qui commendatione Franciſci Regis Galliæ Cardinalis creatus, aliquandiu in Romana Aulà, & favore Regis, & opibus quas ampliſſimas habebat, & magni ac liberalis animi fama explenduit; & Carolus, qui & ipſe ab eodem Franciſco in amicorum cohortem eſt adſcitus, & ſua virtute, & Joannis Cardinalis gratia ad magnas pervenit opes, & Guiſiæ Urbe à Rege donatus, familiam de nomine Ducatûs, qui mos eſt Gallis, condidit. Hic egregiam ſex filiorum ſobolem habuit, quorum omnium ea indoles fuit, ut nemo non ad amplam fortunam pervenerit, & à patre patruoque conſtitutas familiæ opes honoribus, affinitatibus, amicitiis, clientelis magnopere auxerit. Nam Carolus & Aloyſius, alter à Paulo, alter à Julio tertiis Pontificibus Maximis Cardinales ſunt creati, quæ Romæ rari exempli res habetur, ut in illum ordinem duo eodem tempore

fra-

fratres cooptentur. Franciſcus natu maximus Guiſiæ, proximus Aumaliæ Duces ſunt appellati, alter Ælbufii Marchio, & alter Præfecturã Hieroſolymitanorum in Gallia Equitum inſignem, & uberrimi vectigalis tulit. Singulorum forma ac dignitas corporis animi indoli reſpondit. Pacis artibus Carolus Cardinalis excelluit, in quo maximarum rerum uſum æquabat ingenii vis & eloquentia, & multæ ac minimè vulgares literæ, & ad id major quam pro gentis more gravitas & Sacerdotalis vitæ ac diſciplinæ ſpecies: quæ ornamenta eò admirabiliora fuiſſent, quo rarius Principibus viris accidunt, niſi ea haud minora vitia deformaſſent ambitionis, ſuperbiæ, avaritiæ & fidei nunquam ſincero animo cultæ. Militiæ honores, maximè penes Franciſcum & Aumalium fuerunt. Hi adoleſcentes adhuc cùm a Rege nobile ac munitum oppidum in Belgarum finibus oppugnaretur, perfractaque tormentorum ictibus mœnium parte, acies quæ prælium inciperet, dirigeretur tum Franciſcus Aumalium appellans, Age, inquit, frater, pro Regis & Gallici nominis gloria, primi muros illos aſcendamus, atque hoc gregariis militibus præreptum decus, noſtrum & familiæ noſtræ faciamus. His dictis, duo nobiliſſimi adoleſcentes Rege exercituque inſpectante, ſtrictis gladiis & ferreis tecti ſcutis contento curſu per ipſum murorum ſtragem, ne quicquam arcentibus defenſoribus, atque telis unos omnibus undique petentibus, in interna evaſere,

occiſisque ac dejectis hoſtibus locum tenuêre, atque incitati eorum exemplo milites oppidum impetu cœpêre. Præclaris igitur audaciæ ac fortitudinis initiis orſi tot inde egregiis facinoribus claruêre, ut brevi ſummos militiæ honores ſint adepti. Et Aumalius quidem ad Præfecturam Gallici Equitatus pervenit, multaque multis bellis ſtrenuè ac feliciter geſſit, dum Gallia externis excita armis & inexhauſtis validiſſimi Regni viribus, magnis alienis imminens imperiis quàm ſuo timens, famâ belli floruit. Inteſtino demum Hugonottorum bello, Rupellam cum Henrico Regis fratre obſidens, dum ad explorandas hoſtium munitiones audacius ad mœnia ſubit, ferrei globi tormento excuſſi ictu eſt interfectus. Franciſci nomen (Dux Guiſiæ eſt dictus,) externis quoque bellis clarius illuſtriusque fuit, ac ſæpè magnis exercitibus præpoſitus ſemper egregia virtus ejus, tum ſpei de ſe hominum, tum gratiæ qua apud Regem pollebat, cumulatè reſpondit. Cùm aliquot Germaniæ Principes Duce Mauritio Saxone à Carolo V. Cæſare defeciſſent, quòd Philippum Haſſiæ Lantgravium bello captum contrà quàm Germani promiſſum ſibi ajebant, differret dimittere, ſumptis armis eum exigere Germania ſunt conati, ac repentino impetu ad Oenipontem imparatem aggreſſi, tantùm non intercepêre, vix fugâ per noctem præreptâ, cum ſoluto ac deformi inermium amicorum ac Regiam ſequentium agmine, evaſit Villacum, alpinum oppidum Venetis fini-

finitimum, quà Germani à Carnis & Foro-Julii dirimuntur. Cujus fugæ ignominia Cæſaris animum eò atrocius uſſit, quod pudoris ſocium Ferdinandum fratrem Romanum Regem habuit, & ipſe cum maxime podagræ doloribus afflictaretur, nocturno itinere per aſpera & montoſa loca vexatione ingenti eam capere fugam eſt coactus. Hujus belli ſocium Germani Henricum II. Regem Galliæ adſciverant, inſigni titulo Germanicæ libertatis vindicem appellantes: qui magnis coactis copiis valido cum exercitu Germaniam ingreſſus, & Argentoratum usque provectus, magnopere omnes Rheni incolas exterruit. Quâ expeditione præter famam acti in fugam Cæſaris, & magni injecti terroris iis populis qui in ejus fide permanſerunt, etiam tres nobiles Urbes in Mediomatricibus, quæ juris Imperii erant, & ut pleræque in ea gente liberæ ſuis legibus utebantur, in poteſtatem ſuam redegit; & quia finibus Galliæ junguntur, Regno ſuo adjecit, Tullum, Verdunum & Metim; Cæſar dedecus ſuum apud omnem poſteritatem ratus, ſi Germanici Imperii jura ſe potiunte rerum diminuta eſſent, ad abolendam tantam ignominiam quinquaginta millibus peditum, decem equitum, ex Italia, Germania atque Hiſpania comparatis, & pace cum Mauritio & ſociis compoſita, ad oppugnandum Metim, Ferdinandum Toletum Albæ Ducem cum omnibus copiis miſit. Ejus defendendi oppidi negotium Rex Galliæ Gui-

ſio mandavit, attributis ei decem millibus delectorum militum, quibus ultro ſe ſocios militiæ adjunxere Alfonſius Eſtius Ferrariæ Princeps, cujus ſoror in Guiſii matrimonio erat, & Horatius Farneſius Caſtri Dux, & multi præterea è Galliæ Principibus, quibus mos belli diſcrimina vel per ambitionem & preces appetere. Guiſius, amotis quos è civibus ſuſpectos habebat, reliquis abire volentibus facultatem permiſit: manentes pari cum reliquis Gallis caritate habuit. Inde refectis ſumma celeritate ubi res poſcere viſa eſt, urbis mœnibus, & aliquot munitionibus ex præſenti uſu bellandi excitatis, adeo ſtrenuè ſe omnibus hoſtium conatibus objecit, ut Cæſar, qui ut gerendis rebus intereſſet, & præſens vim ſuis adderet, ad exercitum venerat, & pertinaciter ſpei incumbens negaverat ſe inde niſi capto oppido abſceſſurum, fractâ tandem pertinaciâ mittere incœptum ſit coactus majori militum parte, ſupra viginti quinque millia fuiſſe dicuntur, deſiderata; quos partím morbi ex ſævitia hyemis, partim prælia abſumpſere. Qua quidem ex re infeliciter geſta tantum animi dolorem cepiſſe Cæſarem ferunt, ut ex eo tempore de ſtudio bellandi plurimùm remiſerit, nec unquam poſtea quantus antea apparuerit. At Guiſio ea victoria ingentem addidit fortis & experientis Ducis famam. Exortum non multò pòſt inter Cæſarem ipſum & Paulum IV. Pontificem Maximum, propter Colonniorum contumaciam adverſus Paulum,

lum, novum eſt bellum; de quo paulò ſuperiùs à nobis in Carolo Carafa, quantum inſtituta brevitas patitur, abundè traditum eſt. Cùm enim Cæſar Colonnios veteres clientes ſuos tuendos ſibi ſtatuiſſet, & Paulus ferox animi, & ab veteribus cauſis infenſus Cæſari, ſe in ſuo jure impediri non ferret, itum ad arma eſt; occupavêre Hiſpani imparatum Pontificem aggredi, & eodem Ferdinando Toleto Duce, qui cum Imperio Italicis rebus à Cæſare præpoſitus fuerat, Neapoli moventes in Romanos fines impetum facere: & capta Oſtiâ atque aliquot præterea oppidis in poteſtatem redactis, ipſi jam Romanæ urbi imminebant, Pontifice ſe magis conſtantiâ quàm viribus tutante, cùm repentino oppreſſus bello ad ſe comparandum tempus non habuiſſet. Sed cùm ab Urbis mœnibus hoſtem nocturnâ vi admoventem ſcalas repuliſſet, inito cum Rege Galliæ fœdere, non ſolùm ab ſe oppugnando averterat Hiſpanos, ſed in magnum metum Neapolitani Regni amittendi conjecerat, niſi fortia indomiti ſenis conſilia fratris filii, quos adminiſtrandis rebus præfecerat, per ſuperbiam & ſocordiam corrupiſſent. Nam Rex hunc ipſum Guiſium cum validis equitum ac peditum copiis tranſcendere Alpes, & exempto periculis Pontifice Maximo, protinus Neapolitanum Regnum invadere juſſerat. Et tranſitus in Italiam Guiſii tantum terrorem injecerat Hiſpanis, ut recipere in loca munita copias, & bellum mœnibus

arcere, non vi repellere cogitarent; niſi eos à conſilio formidinis & deſperationis pleno Ferdinandus Gonzaga revocaſſet; & Bona Sfortia Poloniæ Regina, quæ tum apud Barium ſuæ ditionis oppidum fortè morabatur, quingenta nummûm aureorum millia ad milites ſcribendos, Cæſarianis Ducibus commodaſſet. Sed ne ſic quidem pares Gallis futuri putabantur, ſi Pontificis fratris filii, ut convenerat, vires hoſtium diſtinuiſſent. Sed illi dum ſe ante bellum pro victoribus gerunt, conſiliorum apparatum omnem evertêre. Et hinc Hiſpanis Guiſio, qui per agrum Picenum trajecto Truento in eorum fines irruperat, omnibus viribus ſe objicientibus: hinc Carafiis incurioſè ac negligenter omnia adminiſtrantibus, & commeatu eum, & promiſſis auxiliis fruſtrantibus, conatus eſt Guiſius ſuos ex hoſtium agro in pacatum recipere, & iter Romam avertere. Nec multò poſt acceptis nuntiis, Gallos apud Fanum Quintini in Belgis adverſo prælio graviter ictos, cùm pax inter Pontificem & Cæſarem conveniſſet, exercitum in Galliam reduxit, feliciori omnino fortunâ in Gallia defendenda, quàm in invadenda Italia uſus. Nam ſtatim Caletem nobilem urbem in ultimis Belgarum littoribus, qua breviſſimus eſt in Britanniam trajectus, & egregio opere munitam, quam Britanni de Gallis captam dùcentos ampliùs annos poſſederant, necopinato bello aggreſſus, ante in poteſtatem redegit quàm aut à Britannis, aut à Philippo Cæſaris filio

filio, cujus in matrimonio Britanniæ Regina erat, auxilium ferri poſſet. Qua in victoria non ſolùm prædâ ingenti armorum æneorumque tormentorum atque omnium rerum Guiſius eſt potitus, ſed gloriam Regi & Gallico nomini & ſibi ipſi maximam peperit: qui non ſolùm id oppidum Britannis eripuit, quòd illi Galliæ frenum haud ineptè appellare conſueverant; verum quod iidem diuturnâ undecim menſium expugnatione magis pertinacia quàm vi ceperant, ipſe perpaucis diebus armis ſubactum ad deditionis neceſſitatem compulit: Et receptis eodem victoriæ impetu reliquis quoque Guineæ oppidis, toto continente Britannicum nomen expulit: & quod præſentium rerum magnopere interfuit, acceptum ad Quintini Fanum incommodum opportunè ſarcivit. Sed Henricus Rex Galliæ ſucceſſu tam properè geſtæ rei elatus, nec jam contentus parem cladem hoſti reddidiſſe, & ſuis ſpem animosque ab adverſo prælio reſtituiſſe, ad aliud atque magnum, nec minùs gloriæ habiturum negotium animum adjecit. Guiſium, exercitumque ejus fiducia recentis victoriæ alacrem, protinus ad Theonvillam oppugnandum miſit. Id eſt oppidum in Lucemburgenſi tractu Metenſibus oppoſitum; quod quia ab illa parte Belgiæ clauſtrum habebatur, & firmo præſidio tenebant Hiſpani, & magnis muniverant operibus; & ad id ingenio loci tutum ab omni vi putabatur. Quò majorem Guiſius famam tulit, qui

qui pari ac ad Caletem erat uſus fortunâ, perpaucis diebus Urbem magna vi tormentorum perfractis ac dejectis munimentis cepit: quanquam fortunæ defuiſſe eum quidam tradidêre, & potuiſſe, ſi ſtrenuè ſecundarum rerum curſum fuiſſet ſecutus, exterritis populis, & Philippo haud ſatis tum ad arcendum victorem parato, magnam Belgarum partem armis percurrere. Compoſita inde pax eſt inter Reges (nam Cæſar paulò ante morbis & corporis doloribus feſſus, tradiderat filio Regnum, & in ſolitudinem, depoſitis humanarum rerum curis, ſeceſſerat,) Guiſius cum Carolo Cardinale fratre ad firmanda pacis fœdera, exigendumque à Philippo jusjurandum eſt miſſus; fuitque apud Belgas propter famam bellicæ virtutis in ſummo honore. Sed optatæ pacis lætitia Gallos brevi deſtituit, Henrico Rege (ut ſuo loco tradidimus,) in equeſtri ludo miſerabili & Gallico nomini maximè luctuoſo caſu interfecto: cui ſucceſſerat Franciſcus filius, apud quem, & merito virtutis, & paternæ gratiæ commendatione, & quia ei matrimonio juncta erat Maria Scotiæ Regina, Guiſiorum ſororis filia, ambo fratres omnia poterant: eorum maximè conſilio & auctoritate Rex regebatur; erantque eorum ob id ſummæ, atque invidioſæ in Gallia opes: Nam Carolus Cardinalis uni ſibi vindicare vim Regni videbatur, cœperatque ipſam quoque ſpernere Regis matrem, haud ſanè muliebri ingenio feminam, quæ libidine dominandi viros ipſos

ante

anteiret, & ne filium quidem, niſi auctoritati & conſiliis ſuis parentem facilè toleratura eſſet, nedum ſibi alienum præferri paſſura. Atque hoc inter Reginam quæ pro filio rebus præſidebat, & Cardinalem, diſſidium in occulto gliſcens, pene exitioſum Gallico nomini fuit, dum Regina ad Cardinalis minuendam potentiam, etiam Condeium & alios adverſarum partium Principes alit; ignara prorſus ab his ſe, domumque ſuam mox hoſtiliter oppugnatum iri. Laborabat tum Gallia inteſtina lue peſtiferarum opinionum, quibus agitatæ tenuiorum mentes paſſim à Catholicæ pietatis fide deſciſcebant: invexerant id malum commercia Germanorum Helvetiorumque, quorum per bellum magna ſemper auxilia in Gallorum caſtris fuerant; adhæſerantque multorum animis turbulentiſſimi errores à Luthero, Calvino, aliisque impietatis magiſtris inventi. Nec Epiſcoporum cura ingruenti malo obviam ierat; neque enim hi ut antea ex eo genere hominum ad id munus aſſumebantur, qui Religionis, doctrinæ, induſtriæ laude commendarentur: nec jam ut cuſtodes ſacrorum & Religionis vindices, & quod ipſa ſonat Epiſcopi vox, ſpeculatores morum ac vitæ populorum deligebantur; ſed nullo diſcrimine, cujuſcunque navatæ operæ præmium Epiſcopatus dabatur; & ut quiſque in Regia vel per humilia, & interdum etiam turpia officia in gratioſorum, & quod fœdius erat, in feminarum quo-

Legatus Romæ apud Pontificem Maximum Aloyſii pietatem, & eximium Catholicæ Religionis ſtudium laudibus ferens, in eum jus deligendi per omnem Galliam Epiſcopos, & alia quoque Sacerdotia, quibus vellet tribuendi, ut transferret, impetravit, optime poſitam apud tam pium Regem ejus rei facultatem Pontifice exiſtimante. Hoc autem privilegium Legatus tanti duxit, ut ipſe cum ejus Diplomate in Galliam ſit profectus, ut quod pene alterius Regni inſtar futurum Regi arbitrabatur, id non ab alio quàm ab ſe ipſo, qui auctor & confector negotii fuerat, acciperet. Lætus igitur & ſpei plenus obtulit Diploma Regi; qui re perceptâ quæſivit de Legato, ecquis ei, ut tantæ facultatis jus à Pontifice Maximo auferret, mandaſſet? Reſpondente Legato, nullius ſe auctoritatem mandatumque deſiderare, in quo tanta Regis ſui utilitas ageretur: Tuam quidem, inquit Aloyſius, damnare fidem conſiliumq; non poſſum, qui quod dignitati meæ amplificandæ eſſe viſum eſt, ſedulò atque induſtrie curaſti; ſed rem ipſam ego verò penitus rejicio: ſatis enim mihi fuerit repoſcenti Deo Regii muneris rationem reddere; Sacerdotalis rei officiique curam Pontifex Maximus habeat ſibi, cui mandata à Deo eſt. Simul hæc dicens, Diploma ipſum in ignem conjecit. Franciſcus quoque primus Rex Galliæ, cùm idem jus à Leone X. Pontifice rerum omnium largitore maximo abſtuliſſet, reddenti ſibi ejus rei Diploma Cardinali Rhoto-

mageñſi

qui Religionis prætextu magnæ invadendæ potentiæ, atque adeo Regnum ipſum ſi cœpta progrederentur, occupandi ſpem vovebant, omni conatu occurrendum audaciæ, & imbutam peſtiferis conſiliis conjurationem vi ac ſeveritate opprimendam ſtatuerunt. Ita ex auctoritate Regis & conſentiente matre, Aloyſium Borbonium Condei Principem, qui audacia ingenti in Regiam venerat, & ſeditioſorum agmine ſuccinctus contemptum Regis Legumque, & maxime Guiſiorum, præferebat, immiſſis armatis capiunt, & in vincula conjiciunt: & Regem Navarræ, Condei fratrem ejusdem noxæ affinem, Rex cuſtodia & ipſum circumdatum, ſequi Regiam, & penes ſe eſſe juſſit: hi enim novam hæreſin fovere, & magna ſeditionum ſemina tota Gallia jeciſſe arguebantur; & Condeius etiam capiendi Regis, & cuncta juris atque arbitrii ſui faciendi conſilia agitaſſe convincebatur. Eratque opinio, eum aliosque nonnullos e conjuratorum Principibus pœnas offenſæ Majeſtatis capite daturos, quo tum ingentium reorum ſuppliciis territi, alii ad obſequia Legum Regisque redirent. Verùm id dum agitur, Franciſcus ipſe Rex nec opinato morbo opprimitur; cujus morte cum Regnum ad Carolum fratrem ejus nondum undecimum annum egreſſum perveniſſet, Legibus Regni tutela pueri ad Antonium Regem Navarræ defertur. Ita ille ex reo capitis repente Arbiter Regni efficitur, ſtatimque Aloyſium

 fra-

fratrem vinculis liberat: & præcipitaſſet ad hæreſim omnia,niſi arte Reginæ injecta ſpes illi eſſet Navarræ Regnum, quod Hiſpani occupant, per Pontificem Maximum recuperandi, aut pro eo Inſulam Sardiniæ à Philippo recipiendi. Hac ſpe lactatus; dimiſſis Hæreticis junxit ſe bonorum partibus. Ac protinus in voluptates eſt lapſus, & veluti hunc ſolum magnarum opum fructum duceret,omnes huc curas intendit: quibus mollitus effeminatusque facilè Reginam,quæ callide materiam cupiditati ac ſtudio ejus ſubjiciebat, vim omnem occupare potentiæ patitur. Sic velut commutatâ inter eos ſexûs naturâ; & in mulier virilis animus; & in viro muliebris mollities eſt reperta. At Condeius non mutatus, ſed irritatus contumelia carceris ſeditioſiſſimum & audaciſſimum quemque maximè amplectens, & alios metu, alios ſpe illiciens, adeo multos ad ſe traxerat, ut alteram pene Regiam Lutetiæ haberet, tantumque virus novæ ſuperſtitionis diffuderat, ut jam præter Lutetiam nulla tota Gallia civitas ab ea labe intacta inveniretur. Primum egregiæ diſciplinæ opus erat, Legum ac Magiſtratuum, id eſt Regis obſequium exuere, & arreptis armis omnia humana ac divina jura confundere; unde Sacerdotum cædes, ſacrarum ædium direptiones, Virginum Monialium inceſta ſtupra, ſacra profanaque ubique polluta audiebantur. Et Regina,nota eorum arte qui nequaquam propria virtute nituntur, æquare opes factionum ſtude-

bat

bat, quo ipſa ab utriſque culta in utroſque dominaretur. Sed Hugonotios dum demulcere humanitate, & ſedare conceſſa impunitatis ſperat, audaciores, quæ natura hæreticorum eſt, ad omnia fecit. Id cum Guiſii ſenſiſſent, non diſſimulata indignatione, ab Regia domum ſuam diſceſſere, & ſecum Henricum, alterum Regis fratrem abducere conati ſunt, ſpecie quidem cautionis, quo puer impendenti univerſæ Regiæ domui ab hæreticorum factione, & matris in eos indulgentiâ diſcrimini eriperetur; ſed occultiori conſilio, ut eo partium Catholicorum Duce uterentur, adverſariisque cum uſus poſceret, objicerent; quæ res Reginam moleſtiſſimam habuerat. Annæus quoque Momorantius domum abiit, vir ſummæ auctoritatis, qui virtutis merito a ſuperioribus Regibus fuerat Magiſter Equitum creatus, cujus Magiſtratus poteſtas ac dignitas apud Gallos longe maxima habetur. Is quanquam æmulatione potentiæ multos annos diſceſſerat a Guiſiis, & Gaſparem Colinium, fratreſque ejus ſorore ſua genitos aluerat, & ad magnos honores præfecturaſque provexerat; tamen cum eorum maxime conſilio Condeium uti, & Condeii conatum ad evertendam Catholicam Religionem ac Regnum Galliæ convellendum ſpectare ſatis perſpiceret, reconciliata cum Guiſiis gratia, ac cum bonis ſocieta juncta, utrique armati Lutetiam redeunt, Reginamque omittere ambitionis artes, & cum cura Regni filiorum quoque

ſaluti, quæ paucorum ſcelere ac perfidia in di[illegible] crimen adduceretur, intendere hortantur: qu[illegible] partim verita talium virorum conſenſionem & auctoritatem, quam ipſe quoque Navarrus, n[illegible] ſpem ſuam de Sardinia corrumperet, ſequebatu[illegible] partim prætenſa jam audacia atque inſolenti[illegible] Hugonottorum, quanquam promiſſis eoru[illegible] magnopere ſollicitaretur; tamen Catholicis ſe tradidit, qui & ipſi ſuam illi auctoritatem poteſtatemque conſervare ſunt polliciti. Tu[illegible] Condeius ſuâ ſpe dejectus trahendi in parte[illegible] Reginam, & Regiam occupandi, & inimicoru[illegible] arma, & Pariſiorum Hugonottis ſemper infenſorum vim metuens, Lutetia ceſſit, & cum ſu[illegible] Aurelianum abiit; atque hinc accitis e Germania Britanniaque auxiliis, aperta defectione bellum eſt exortum; & ut honeſtis titulis perfidi[illegible] turpitudinem tegeret, arma ſe liberandi Reg[illegible] cauſa à Guiſiis atque Annæo circumventi ca[illegible] que ſumpſiſſe edixit. Quod cùm per Galli[illegible] crebuiſſet, veluti ad eripiendum è cuſtodia R[illegible] gem matremque, magnus eſt ad Condeium co[illegible] curſus factus: cùm ab his quos antea ſuperb[illegible] Lotharingi Cardinalis & invidia Guiſiorum po[illegible] tentiæ ſub proximo Rege abalienaverat: tu[illegible] multò magis à militaribus hominibus, qui [illegible] continentia ſuperiorum annorum bella licentia rapinisque efferati, & omnium Legum hoſtes, nacti ſeditionis atque impunitatis Ducem ex Regio Sanguine, avide ad ſpem novaru[illegible]

pr[illegible]

præclarum arma ceperunt. Catholicorum Duces, pulſo Condæo cum cura Lutetiam ab omni contagione hæreticorum purgarunt, maximum in ea civitate retinenda momentum ad ſummam belli ſitum exiſtimantes: cujus excellens & erga Deum & erga Regem fides & conſtantia, cum Ducum ſtudio induſtriaque certavit. Ea firmata urbe cum Guiſius ſumma animi contentione totis viribus in Condæum ferretur, quo oppreſſo reliqua proclivia fore ſperabat, novum ab Anglis exortum negotium alio avertit. Nam Hugonotti non imploraverunt modò auxilium ab Eliſabetha Regina Angliæ, (nam & ipſa ex Calvini inventis ſacrorum jura in ſuo Regno conſtituerat, illiusque ſectæ Principem ſe ac ſummam Antiſtitem ferebat,) ſed cum Britannici littoris Oceano Angliam contra, duas urbes ſitu ac portu opportunas, Havredegratiã & Dieppam, fidei pignus tradiderunt, iterumq; Galliam Anglis patefecerunt, unde paulo ante Guiſii virtute Calete & Guinea expugnatis pulſi excluſique fuerant. Et Catholici Duces, ne Rhotomagum quoque urbem inprimis nobilem, & caput regionis ejus in Sequanæ fluminis ripa, quam Hugonotti occuparunt, pari perfidia iisdem Anglis proderent, magnopere timebant. Id ne fieret, omni conatu providendum ſibi ſtatuerunt. Omiſſo igitur in præſentia Condæo, ad recipiendum Rhotomagum contendunt, in cujus cuſtodia Mongomerius erat, ille qui haſta occurſu in equeſtri ludo Henricum Regem occiderat,

qui veniæ ab ipſo Henrico antequam expiraret, impetratæ, hanc filiis ejus mercedem retulerat, ut ſe cum hoſtibus eorum conjungeret. Is ultro oblatas à Catholicis qui civitatem ſervare cupiebant, deditionis conditiones, cum ſuperbe reſpuiſſet, urbs vi capta atque eodem impetu a militibus magna ex parte direpta eſt. In ejus oppugnatione Rex Navarræ, dum incautiùs in negotio verſaretur, ſclopeti glande fortè è mœnibus adactâ vulneratus paucos poſt dies interiit: cujus mortem ſocii quàm hoſtes lætius accepere; plus enim negotii, quam præſidii ad res è commodo Reipublicæ gerendas in eo habebant. Verſi inde iterum in Condeium cum omnibus copiis Guiſius & Annæus: & quanquam Regina utriusque partis victoriam æque minuendæ ſibi potentiæ fore exiſtimans, ad ſuas redierat artes, & rem pactione aliquâ componi quàm prælio decerni præoptabat, nec audierat ſolùm miſſos à Condeio, ſed ipſa coram cum eo congreſſa fuerat, tamen Annæo & Guiſio conſenſu reſpuentibus pacem, in cujus ficto nomine internecini & execrabilis belli ſemina latere intelligerent, exercitus in hoſtes eſt ductus. Nec Condeius ferociâ ingenii elatus, & fiducia virium, quam recepta jam Germanorum peditum equitumque auxilia faciebant, detrectavit certamen. Primo congreſſu ab equitatu Germanorum acri impreſſione pulſi Catholici ab ea parte in qua Annæus curabat, & Annæus ipſe equo dejectus

jectus in poteſtatem hoſtium pervenit: non tam calamitate ſua fractus, quàm filii ſtrenuè pugnantis eodem impetu ab hoſtibus interfecti dolore concuſſus. Caſu Ducis perturbati, ut fit, milites ægrè hoſtes ſuſtinebant, & aliquot locis initium fugæ fecerant: Guiſio parte alia pugnam adverſus Condeum ipſum atrociùs cienti trepidus nuntius affertur, captum Annæum, ejus aciem inclinatam, & rem in arctum redactam eſſe: qua re vehementi dolore perculſus Guiſius, quod eo fugato exercitu omnia inde ad Hæreticos verſura proſpiciebat, propere quos circa ſe habebat Præfectos militeſque convocat: iis cùm oſtendiſſet, quanto res in diſcrimine verſaretur; Mihi vero, inquit, ſtat hoſtium victoriæ non ſupereſſe, quæ non ſolum everſura Galliæ ſtatum, ſed ſacrorum jus fidemque abolitura ſit. An ergo viſuri paſſurique ſumus eam Religionem, eam ſacrorum Fidem, in Gallorum animis extingui, quam ut propagarent majores noſtri in ultimum ſæpe Orientem exercitus duxerunt; pro qua ſanguinem ſuum profundentes Gallicum nomen Regnumque, Deo duce, cujus majeſtatem ritè colebant, tot inſignibus victoriis illuſtrarunt? Ipſorum majorum ſepulcra cum monumentis decoribusque ſuis, divorum reliquias ſimulacraque, ipſum denique divinæ Hoſtiæ præſens in Chriſtianorum Templis Numen, cum Templis ipſis dirui, minui, confringi, pollui, & ſacrilegis contaminari manibus tere-

feremus ? Per hæc ego omnia vos , per conju-
gum liberorumque veſtrorum ſalutem oro obte-
ſtorque, viri fortes, ut animos & corpora veſtra
mecum Deo patriæque devoveatis; ut aut mor-
tem honeſtam pro Religione, pro Rege, pro Gal-
lico nomine oppetamus, aut ereptâ ex impiorum
manibus victoria, hæc omnia virtute noſtra ſer-
vemus. Atque his dictis cùm omnes ſe alacri
aſſenſu ei obtuliſſent, tanto impetu cum illo di-
lectorum globo in hoſtes eſt invectus, ut nulla
vi ſuſtineri potuerit. Et Ducis impetum ſecutæ
acies impulêre primò, & mox terga dare hoſt
coëgere, & Condeium ipſum ſuorum ſiſtere fu
gam, & rem reſtituere conantem vivum cepêr
Guiſius ab fuſo hoſte protinus ad opem feren
dam laborantibus in altera acie ſuis in tempore
occurrit: jam enim & Aumalius frater ab equi-
tibus Germanis circumventus vehementer pre-
mebatur, & ſola ferme Helvetiorum legio
magis morabatur hoſtes, quàm ſuſtinebat. Sed
adventu Guiſii mutata omnis fortuna eſt pugn
qui modò victis inſtabant Germani, ab novo ho-
ſte repulſi perfractique fugam cepere ; qui ter-
riti ægrè repugnabant, receptis repente anim
in hoſtes abolendæ ignominiæ avidi invaser
Sed ad octingenti equites Germani cùm ce-
dentes pugna ſe recepiſſent, Annæum captivum
ſecum abduxêre. Hæc victoria non gloriam
modò Guiſio ingentem attulerat, ſed rerum arbi
trum fecerat, eò magis, quòd cùm ſe hoſtium
reli-

reliquiæ Aurelianum recepiſſent, & bellum inde haud dubiè renovaturi eſſent, conatus eorum Guiſii virtus & celeritas prævertit, ſpatio ad colligendas vires non dato Aurelianum exercitum duxit, captoque ſuburbio, munitionibusque aliquot ex uſu excitatis urgebat magnopere incluſos mœnibus hoſtes; videbaturque non pactionibus, ut antea inſidiarum fraude ſemper imbutis, quod Regina Guiſii gloriâ & ſecundis rebus territa voluiſſet, ſed integrâ victoriâ de hoſtibus partâ veram ac ſtabilem pacem ex ſuo maximè arbitrio Galliæ redditurus. Quod cum hoſtes nequicquam ejus animo tentato ſenſiſſent, quam in vi atque armis jam nullam habebant, ad dolum atque inſidiam ſpem convertere. Gaſpar erat Colinius, qui à Præfectura maris Ammiralius dicebatur, ad quem capto Condeio ſummam rerum Hugonotti detulerant, vir ingenii conſiliique magni, & ſummæ calliditatis, qui poſtea Galliæ malis valde inclaruit. In hominem nactus audacem, & animo ad quodvis ſcelus parato, cum eo de Guiſio ipſo aliqua fraude tollendo agit; aliter haud dubiam inſtare ruinam partium, & communi ſaluti ultimum impendere diſcrimen oſtendit. Operam pollicentem promiſſis ingentibus onerat, & quoad omne periculum Religione adjectâ magis firmaret, Theodorum quoq; Bezam, doctum ac diſertum hominem hortatorē adhibet. Is erat Beza maximus novorum ſacrorum Antiſtes, qui ipſi Calvino diſciplinæ auctori

apud Genevenſes ſucceſſerat. Qui quantam DEO gratiam eſſet initurus, quantum de communi piorum ſalute fortunaque meriturus, ſi Guiſium veræ pietatis hoſtem occidiſſet, eamque victimam DEO gratiſſimam quâvis fraude mactâſſet, multâ adhortatione diſſeruit. Igitur hinc ſpe præmiorum illectus, hinc factionis ſtudio & auctoritate Bezæ, quæ apud illam ſectam ſequentes ſumma erat, incitatus, rem ſuſcipit. Equo inſignis pernicitatis ab Ammiralio donatus ſimulatâ pœnitentia transfugit ad Catholicos, & quo fidem mutati animi faceret, arcana quædam de Ammiralii conſiliis, de obſeſſorum difficultatibus, deque munitionum vitiis enunciat Guiſio; qui nihil ſuſpicans ſubeſſe fraudis, hominem manu promptum, & inter milites haud inertis ingenii habitum, ut ſolebat, excepit humaniter, & præbito ſtipendio in caſtris ſuis militare juſſit: qui ſpecie officii inter aſſectatores Guiſii aſſiduè verſans, aditus, egreſſus, itinera ejus obſervabat, locumque inſidiis quærebat. Guiſius quod facere navi atque intenti Duces ſolent, ſæpè inſtitutas ab ſe munitiones interviſere, munientibusque hortator ac monitor, ut omnia ex uſu fierent, adeſſe, atque inde ſe in caſtra plerumque incomitatus, ut in nulla ſuſpicione recipere, in more habebat. In inſidiator cùm animadvertiſſet; luſtratis circa omnibus, atque apte ubi deliteſceret, loco delecto

Gu-

Guiſio ſub noctem cum tribus comitibus rede- unrem, & amnem intra ſua caſtra parva cymba tranſmittentem ex occulto collineans plum- beâ glande valida ſclopi fiſtulâ excuſſâ trajecit, & protinus antequam inſequi quiſquam poſſet, pernicitate equi e conſpectu eſt abreptus. Ve- rùm etſi ad oppidum curſum direxiſſet, tamen, quod ſæpe uſu venire in magnis facinoribus ſo- let, metu ac diſcrimine mente turbata totam continenti prope curſu vagatus noctem, manè intra eadem caſtra unde aufugerat, eſt reper- tus: cum enectum ſudore ac laſſitudine equum in cauponam induxiſſet, à quibusdam qui fu- gientem viderant, agnito equo capitur, & ad Aumalium Guiſii fratrem perducitur. Ab eo tortoribus traditus nihil magnopere cunctatus, Amnmirali & Bezæ impulſu id ſe facinus admi- ſiſſe, atque ordine omnia ut inter eos acta erant, primus exercitus eorum eſt confeſſus: & ab illis Lutetiam ad Regem miſſus, in ipſius & Reginæ matri, multorumque præterea Princi- pum conſpectu eadem repetiit. Tum jubente Regina, ſævum de eo ſupplicium eſt ſumptum. At Guiſius à ſuis in tentorium cum eſſet ſubla- tus, acciti Medici nullam vitæ ſpem eſſe pro- nunciarunt. Accurrerat ad primos rei Nuntios cum Guiſii uxore ac parvis liberis Regina, quæ cum in occulto cæde ejus quàm victoria magis lætaretur, quod illum nimis jam opibus fultum gravem potentiæ ſuæ æmulum verebatur; ta-

men,

men adeò feminarum ingenia occultare affectus ſuos norunt, cum ipſa Guiſii uxore muliebribus lamentis lacrimisque certabat. Et jacentis aſſidens lecto nullum erga eum caritatis & diligentiæ officium prætermittebat. Guiſius cùm adeſſe mortem ſenſiſſet, oſculatus parvos filios amoveri indè nec amplius in conſpectum ſuum adduci juſſit. Deinde conjugem (ea erat Herculis Ferrarienſium Ducis filia, juventa & forma inſignis) afflictam fractamque conſolatus, communes liberos ita inſtitueret monuit, ut ſecundùm DEI Majeſtatem, Regem maximè venerarentur. Converſa inde ad Reginam oratione magnopere eam eſt adhortatus, ut Regis filii curam gereret, cujus vitæ Regnoque per ſpeciem tuendi jura novorum ſacrorum hos novæ ſuperſtitionis auctores inſidiari non dubium eſſet, & e ſuo caſu nefariaque fraude, qua ſe occidiſſent, utile ſibi ſuisque ad cavendum documentum caperet. Nullas verò cum iis pacis conditiones auribus admitteret, niſi quibus peregrinæ Religionis cultus e Gallia penitus exterminaretur; nunquam enim ſanum atque integrum habituram Regnum, nunquam ſeditioſis defuturam materiam, dum ea peſtis in viſceribus hæſeret. Et quando victoria in manibus eſſet, inſteret obſidioni, nec bellum niſi redactis in poteſtatem perduellibus omitteret; & cum eorum capita unius oppidi incluſa muris teneret, uteretur fortuna, meminiſſetque nullum bel-

lum

lum atrocius eſſe, quam quod in inſidioſæ pacis nomine deliteſceret. Hæc cum dixiſſet, & Reginæ filios conjugemque commendaſſet, animam ſumma cum religione omnibus quæ Catholica Ecaleſia morituris adhibet, ſacris expiatam edidit. Vir non belli artibus, quibus omnes ejus ætatis Duces Galliæ anteiſſe exiſtimatur, clarior quam humanitate, liberalitate, omnibus communis vitæ officiis in vulgus gratior optatiorque. Itaque ejus mortem omnes boni haud minus quàm paulo ante Henrici Regis deflevere; utra certè luctuoſior Galliæ fuerit, non facilè ſtatueris: adeo illo Catholicæ Religionis vindice ſublato, omnis inde ad Hugonottos fortuna vertit: quorum ſcelere, lacerato diſtractoque Galliæ Regno ſupremum jam inſtare fatum videtur. Dicerem hujus viri caſum, quo tantæ virtutis tantarumque rerum curſus eſt interciſus, maxime omnium miſerabilem, niſi filiorum ejus exitus, qui a nobis loco ſuo tradetur, multo miſerabilior, & haud ſcio, an Galliæ calamitoſior extitiſſet.

DE

DE
Henrico Tertio
Rege Galliæ.

EX omnis vetuſtatis memoriâ perpauca numerantur exempla eorum qui odio aut vindictæ ſtimulis acti, ſe ipſos in dubiæ morti deſtinarunt; ut alteri vitam ereptum irent. Natura enim conſervatio humanæ ſocietatis hunc furori atque audaciæ frenum injecit; & neminem uſque adeo rabie & cupidine opprimendi alterum efferri atque exardeſcere patitur; ut periculi ſui obliviſcatur; qui enim aliis perniciem moliri in animum inducimus; ut prius ſaluti noſtræ conſultum velimus nec facile quiſquam tanta dementia occupatur, ut quod ab ira atque impetu inimico inferre exitium parat; in id ipſe ſe certius præcipitet; ſed quis ad hanc vecordiam efferavit animum, ab eo nullius vita ſatis tecta munitaque fuerit. At hujus quoque facinoris documenta ætas noſtra dedit, & deteſtabiliora, quo in clarioribus capitibus graſſata inſania eſt. Quippe Henricus Rex Galliæ valētiſſimi Regni ſuccinctus opibus, nuper imbellis fratriculi cultro ſuccubuit. Mahometum apud Turcas Purpuratorum Principem, virum ſiuis

ſummæ potentiæ: & Wilhelmum Naſſaum, cognomento Aurangium, tantis Belgarum ſtudiis, tot armatorum millibus ad ejus cuſtodiam excubantibus eadem oppreſſos vi cecidiſſe, ſuo loco oſtendimus. Henricus II. Henrici hujus pater, ſuperioribus annis, ut ſupra a nobis demonſtratum eſt, in filiæ nuptiis non minus Galliæ, quàm ſuo fato interfectus, egregiam quatuor filiorum ſobolem haud mediocre immaturæ atque infelicis mortis ſolatium reliquit, quà regnum a Franciſco patre, cui Galli ob excellentē virtutem Magni cognomentum tribuunt, in domum illatum, ſatis poſteritati firmaſſe videbatur. Sed ut pleraque mortalium, magnopere eum hæc ſpes fefellit, cùm nec ſtirpem nec regnum propagare contigerit, utriſque intra paucos annos, raro humanæ infirmitatis exemplo, extinctis. Franciſcus, qui maximus natu filiorum patri primus in regnum ſucceſſit, cum captas novæ ſuperſtitionis amore popularium mentes, & paſſim a fide Chriſtianæ diſciplinæ deſciſcentes revocare ad ſanitatem, atque illa lue purgare Regnum cuperet, in eamq; curam maximè intenderet, repente in ipſo adoleſcentiæ flore, atque in ipſo pii conſilii apparatu, importuna vi morbi interiit. Carolum puerum admodum; ad quem ætate proximum hereditas rediit, hæ Galliæ turbæ tumultusque excepere, ut ſæpe in magno amittendæ dignitatis vitæque diſcrimine ſit verſatus. Adoleſcentiam tandem transgreſſus, ætate ingenioque firmari,

& ſui

& ſui & imperii potens fieri cum cœpiſſet, intentum & ipſum ſanandis Regni vulneribus, ſuorumque animis à pravis erroribus ad veræ pietatis cultum reducendis, vita per labores & pericula acta deſtituit; nec ipſum quidem compotem liberorum. Franciſcus quartus fratrum, cui Alenſonio cognomentum fuit, uxore non ductâ, adoleſcens deceſſit. Henrico autem, de quo nobis nunc ſermo eſt, naſcenti nomen Alexandro parentes indidere. Sed Henrici patris tanta apud Gallos caritas fuit, ut poſt ejus caſum, hunc puerum, Alexandri abjecto, Henrici referre nomen optarint: quæ res eò majorem illi ad vulgus gratiam conciliavit, quòd ingenium quoque & mores patris elucere in ejus indole videbantur. Ergo proximæ regiæ potentiæ opes ejus ſemper fuêre. Pene puer adhuc bellicis rebus toto Regno cum ſummo imperio præficitur, eidem exercitus, eidem bella mandantur, quibus tum ab inteſtinis tumultibus, quos exitiabile de Religione diſſidium, conciverat, Gallia lacerabatur. Atque Henricus quidem in ipſa pueritia, priusquam militiam noſſet, Imperator belli effectus, adeo feliciter arma tractavit, ut quanquam adverſarum partium Duces, & Regii Sanguinis dignitate ipſum pene æquarent, & diuturno bellorum uſu famaque longe anteïrent; tamen nunquam cum eo congreſſi acie ſint, quin magna cum clade victi fuſique abierint: quorum Condeius, qui regiâ ſtirpe ortus, obtentu novorum ſacrorum, quorum ſe vin-

ſe vindicem ferebat, & factionis opibus, & exter-
nis Germanorum Anglorumque auxiliis fretus, ipſum affectare regnum credebatur, etiam occiſus eſt eo prælio quod circa Cognacum eſt commiſſum; in quo cùm equo dejectus captusque, primò à militibus quis eſſet ignoraretur, mox ingentem pecuniæ vim, ſi incolumis dimitteretur, pollicentem detracta galea agnitum, unus militum cum exprobratione cladium impietatisque, qua patriam involverat, ſclopeti glande in caput incuſſa, interfecit. Nec ei regiæ ſtirpis ſanguine, quod atrox in Gallia habetur, imbuiſſe manus fraudi fuit; quin collaudatum ab Henrico, præmiisque auctum ferunt, cui eo hoſte extincto potius quam captivo opus erat. Et Gaſpar Colinius, quem Ammiralium dixêre, de quo ſuprà ſuo loco diſſeruimus, magis ſolertia & calliditate, quâ omnes ætatis ſuæ Duces anteiſſe eſt creditus, adoleſcentis vim victoriasque eluſit, quam vi atque armis par fuit: quamquam is quoque ipſe ſuis aliquando captus & circumventus artibus, operam hoc eodem Henrico maximè navante, cum omnibus factionis ejusdem Principibus, miſerabilem vitæ finem eſt nactus: Lutetiam enim per ſpeciem nuptiarum, quibus Regis ſoror Navarro jungebatur, pellectum, domi ſuæ immiſſi percuſſores trucidarunt, & excito ad arma populo, ſævâ paſſim cæde totâ urbe eſt graſſatum. Qua trucidatione peractâ, cùm Hugonottorum reliquiæ, (hoc nomine Galliæ

Cc hære-

hæretici nominantur,) Rupellam in validum ac permunitum oppidum, ac nobilem in Oceani littore portum confugiſſent, atque inde veluti ex tuto receptis à terrore animis, pleni irarum Regis imperium ſpernerent, & ultro ulturos ſe indignam ſuorum cædem minarentur, ad domandam armis contumaciam urbemque imperio parêre cogendam Henricus mittitur. Tantam gloriam victis profligatisque hoſtibus, ex patriæ calamitatibus traxerat, ut quicquid armis decernendum gerendumque eſſet, haud alterius quàm ejus ſeu virtuti, ſeu felicitati curæque mandandum Galli cenſerent. Et cùm apud ſuos magnus clarusque haberi, tum ab exteris gentibus, ut omnium rerum major ex longinquo fama ſummis ejus nomen laudibus celebrari cœpit; unusque ætatis ejus Imperator omnium ſermone ferri. Rupellam igitur obſidenti & terrâ marique prementi; nuntii à Polonis ultimisque Europæ nationibus eum ſibi Regem depoſcentibus venere. Nam Poloni morte Sigiſmundi Auguſti; Rege orbati, quanquam & aliis permultis, & ante alios Maximiliano Cæſare, Erneſto filio Regnum petente, & ſummis ſtudiis nitente, ut finitimorum Regnorum opes utrisque firmatæ ac præſidio futuræ jungerentur; tamen apud gentem ad arma natam admiratio virtutis Henrici longè gentium abſentis, vicini ac prope præſentis Cæſaris ambitione ac prenſatione potentior fuit. Et ignotum ac ne viſum quidem eorum cuiquam

ne-

nec alia re quam opinione bellicæ diſciplinæ, eaque non tam ex vero hauſta, quam inani rumore atque auditione accepta, commendatum Regem, ei quem in limine ipſo Regni ſui habebant, finitimorum familiæ ſuæ Regnorum opportunitate maxime repetendum, genere, ætate, indole cuivis honori parem prætulerunt. Magnifica ſane res, & haud ſcio an novi exempli, nec Henrico ſolùm, ſed Gallico nomini maximè decora, à tam longinqua gente ad Regnum vocari. Et Galli haudquaquam ſuarum laudum contemptores gloriabantur, Henricum ſuum fidem aſſe mafle Poetarum fabulis, qui advenille olim in Regiam Galliæ à Bulgarorum gente miſſos Legatos, Rugerium quemdam equitem & bellatorem inſignem, Regem ſibi dari poſtulantes, finxere. Et auxit admirationem rei numerus & dignitas Legatorum, & inſuetus Gallorum oculis cultus. Erant enim ipſi comitesque eorum plerique ferarum pellibus, quas ingenti parant pretio, contecti, & omnes purpura auroque & gemmis non homines ſolùm, ſed etiam equi fulgebant. Sed de his, ac de Polonorum comitiis quibus ipſi interfuimus, alibi a nobis fuſius memoratum eſt. Adventu Legatorum omiſſum bellum, & compoſitis ad Rupellam rebus, Lutetiam eſt reditum; atque inde ornata profectione Henricus Rege fratre, matreque & omnibus Galliæ Principibus ad ultimos usque fines Regni proſequentibus, è Gallia diſceſſit, ac per inte-

Cc 2 riora

riora Germaniæ, acceptâ prius à Cæſare atque ab ſingulis Regulis fide, tutum per fines eorum tranſitum fore, fluminibus Rheno, Albique & Oderâ ſuperatis, in Poloniam exiit, tantis ſtudiis ab ea gente acceptus cultusque, quantis paulò ante eum Regem ſibi delegerant. Et ipſe juvenis, quod ſalutare illi genti futurum fuit, cum vitæ inſtitutis & divinarum ceremoniarum cultu, pii & Catholici animi ſpecimina dedit; tum procerus corpore, promptus aditu, tractatu comis, facundus alloquio, quia alio experimentp probandi ſui tempus non fuit expectationi ac ſpei, quæ de illo erat, egregiè reſpondit. Sed ea res longè alium exitum quam utrique ſperaverant, habuit: Nam Carolus Rex Galliæ, Henrici frater, tabifico morbo intra juventam conſumptus, quinto poſt menſe quàm Henricus in Poloniam venerat, vita exceſſit, cujus morte Regnum Galliæ hæreditario jure ad Henricum ipſum redibat: qui ſimul & de fratris exitu certior eſt factus, & novi quotidie alii ſuper aliis nuntii ad eum à matre, amicisque & maximè à Guiſiis fratribus miſſi veniebant, maturaret reditum, omniaque poſthaberet, monentes; Alonçonium fratrem jam ante ab ſe æmulatione potentiæ tantùm non palàm diſcordem, imminere occaſioni; Regem Navarræ cum eo aſſiduè & conſilia miſcere, & apud utrumque adoleſcentem præſtò eſſe corruptores, & à matre ægrè eos, nec diu contineri poſſe, maximè illâ opinione ſpem eorum fir-

firmante, retentum iri in Polonia eum, nec liberam diſcedendi facultatem habiturum. His concitus Henricus, cùm Poloni ab ſe de abeundi neceſſitate appellati, rem ad concilium gentis rejeciſſent, quod nec citò cogi, nec ſatis quid decreturum eſſet ſtatui poterat, veritus, ne qua longior mora deceſſui ſuo objiceretur, fugæ conſilium cepit, ac nocte intempeſta, cum paucis conſilii conſciis Regiâ egreſſus, incitatis equis antè finibus Regni evaſit, quam eum Poloni, qui re cognita ſtatim pro ſe quisque perſequi fugientem Regem contenderunt, retracturi haud dubiè ſi in ſua terra deprehendiſſent, adipiſci poſſent. Nam Cracovia, regia civitas, unde Henricus fugam ceperat, in aditu ſita eſt Regni, nec longius unius diei itinere à Sileſiæ finibus abeſt, quæ gens Bohemiæ adjuncta, Maximiliani juris eſt: qui pergentem porrò iter ſubinde aſſecuti ſunt, eos excuſata maturandi neceſſitate, nec minori curæ Poloniam ſibi quàm Galliam ipſam fore, pollicitus, benignè allocutus cum honore dimiſit. Ipſe continenti curſu in Italiam per Carnos & Julias Alpes tranſcendit, nec antè de celeritate remiſit, quàm Venetias appulit. Maximilianus Cæſar per cujus Regnum iter habuit, non ſolùm tutè pertranſiſſe eum eſt paſſus, ſed hoſpitalibus officiis, & maximis honoribus cultum dimiſit: quippe ex ejus diſceſſu novæ illi ſpes potiundi Poloniæ Regno renaſcebantur, cum abſentem Regem non diu paſſuri Poloni viderētur.

At Henrico adventus Venetias, & itineris curſum finiit, & gloriæ; totamque illam militaris & magnarum rerum cupidi animi opinionem non amiſit ſolùm, ſed prorſus in contrariam famam vertit; effecitque, ut crederent homines, nec veris eam laudibus antea nixam, nec ſua illum, ſed aliena induſtria claruiſſe, alienaque virtute res benè geſtas non tam ſuo merito illi, quàm quia penes ipſum imperii nomen fuit, in gloriam ceſſiſſe; & effeminatum ac mollem fortium virorum famam traxiſſe. Veneti eum non magnificè ſolùm, ſed lætis ac libentibus animis venientem accepere; ab recenti enim initæ cum Turcarum Rege pacis invidia, qua ſe flagrare intelligebant, peropportunam ſuæ Reipublicæ rebantur facultatem, magnum Regem officiis promerendi devinciendique ſibi. Ergo nihil prætermiſſum quod fieri in honorem ejus anguſtia temporis eſt paſſa, cùm feſtis, epulis, ludisque & nobilium matronarum cœtibus, & ſpectaculis omnis generis detinuerunt: tum pecunia, cujus æquè indigus ſemper & prodigus fuit, juverunt & bonis etiam conſiliis, ad ſananda Regni ſui vulnera, ſi uti iis ſciviſſet, inſtruxerunt. Idem præter Gallos, qui gregatim quotidie affluebant, alii quoque Italiæ Principes fecêre, qui & ipſi frequentes ad colendum eum concurrerunt: nam Sabaudiæ, Ferrariæ, Mantuæ, Parmæ, Urbini Duces illi præſtò officii cauſa fuerunt: ſed ipſe omiſſis aliis unas voluptates amplexus, dies con-
vivii

viis ludicriſque, noctes libidinibus tranſigebat: quæ eò plus dedecoris habere videbantur, quò minus famæ quæ de illo fuerat, congruebant. Nec ejus Venetiis mora, quàm reliquum iter, deformior fuit. Nihil cultum in comitatu ejus, nihil militare, nihil ſeverum, remiſſa, ſoluta, neglecta omnia. Sequebantur impuræ mulieres, ſaltatrices, mimæ, mimique & ſcenicus apparatus, ſcurræ & fidicines, tibicineſque, turpis vel Bacchantibus grex. Atque hoc agmine Galliam eſt ingreſſus, quam ut armatus iniret, omnes amici ſuadebant, ut præſentis terrore exercitûs contumaces, & imperio minus parentes in fidem obſequiumque redire ſubigeret, & maximè fratrem Navarrumque contineret. Quod conſilium non tam ſpretum ab ipſo eſt, quàm per ſegnitiem omiſſum. In Galliam cùm veniſſet, Lugduni, ubi matrem fratremque & Navarrum obviam habuit, ut omnes intelligerent qualem Regem eſſent habituri, quibuſque cogitationibus occuparetur ejus animus, prima cura fuit, catellos aliquot parvitate ac ſpecie inſignes, immani pretio ſex millium aureorum parare, quos inde nobilibus feminis dono daret. Atque has quidem undique concurrentes, (nam pro more Gallorum in Regia ſæpè feminarum haud minor quàm virorum authoritas eſt,) comiùs lætiusque quam militares homines accipiebat: cum iiſdem omne tempus terebat, curâ Regni matri ferè permiſſa, quæ non ſolum non revoca-

bat à libidinibus filium, ſed etiam materiam præbebat, quo ipſa potentia potiretur. Et Rex tanquam vereretur, ne ſatis abolere bellicoſi opinionem non poſſet, capillum unguentis cincinnisque muliebriter componebat, auribus annuli, annulis margaritæ ingentis pretii pendebant, item collo diſtincta gemmis monilia, & brachia armillis, lapillis digiti nitebant. Huic tam effeminato cultui reliquus quoque ornatus congruebat, prorſus ut muliere corruptior videri velle videretur. Atque hæc non bonis in rebus & in Regno pacato, & juſſa Regis haud ſecus quàm cœleſtis Numinis capeſſente, quale pater ejus avusque habuerant: ſed hinc graviſſimarum Religionum contagione ægro, hinc inteſtinis diſſidiis, quà multitudinis contumacia, quà Principum ambitione laborante. Et ad id ſuſpecta Navarri fides, & frater malis conſiliis imbutus; & quod maximè metuendum providendumque illi fuerat, alendis aſtu diſcordiis & premendæ Galliæ, ne priſtinas reſumeret vires, ab veteri æmulatione Hiſpania imminens. Hæc novi regni initia, quod fieri neceſſe erat, brevi in Regis contemptum vertêre. Quod unum temperandæ libidini remedium exiſtimabatur, multorum hortatu, & maximè ejus Sacerdotis, cui delicta vel mente agitata aperire & confiteri catholico ritu conſueverat, (nam Dei metum non exuit unquam, & catholicorũ inſtitutorũ cultu adeo non abſtitit, ut ſæpè nimius in ſacrorum ſtudio viſus ſit,) ducendæ

uxori

uxori animum adjecit. Sed ne hoc quidem conſilium tam ex regni uſu, quam ex ſuo ſenſu & cupiditate menſus eſt. Et quia affinitate munire res ſuas potuit, privatam quamvis claro genere, quia forma placuerat, prætulit. Ea fuit Claudia Lotharingi cognomento, Vademontii filia. Hujus puellæ Rex in Poloniam proficiſcens, cùm in Lotharingiam divertiſſet, apud ſororem ſuam quæ in matrimonio Ducis erat, conſpectæ ita ſpecie & humanitate eſt captus, ut ex eo tempore illam conjugio ſuo deſtinaſſe credatur. Cum igitur amicorum conſilia matrimonium urgerent, & alii aliam pro cujusque ſtudio ingererent, ipſe diſſimulato conſilio acciri ab domo Lutetiam Vademontium juſſit. Advenientem, miſſis qui in Regiam deducerent, hoſpitio accepit, ignarus omnibus, & ipſo inprimis Vademontio mirante, eo ſe honore dignari. Poſterâ die ſalutato Rege, ecquid ſe velit, exquirit. Rex filiam, ut Lutetiam adduci jubeat, monet; cauſam cur ea accerſeretur, reticet. Nec ille cunctanter paret; nam mos Galliæ Principibus, tam filias in Aulam ad Reginarum cultum mittere, quàm filios in diſciplinam miniſteriaque Regibus tradere. Adventanti Rex ipſe cum patre magno comitatu occurrit. Novitas rei præbuit materiam ſermonibus, haud ſanè puellæ famæ ſecundis, cùm nemo adhuc de conjugio ſuſpicaretur. Eâ in Regiam perducta, ſevocat patrem Rex, & filiam poſtera die nupturam ſibi, Reginamque Galliæ futuram

nunciat. Manare tum ſeni gaudio lacrymæ, ſuamque fortunam longè infra id faſtigium ferens, Regis dexteram oſculis fatigat: & mederi quidem viſa eſt incontinentiæ Regis novæ nuptæ conſuetudo. Nec dubium quin ſi ſecuta liberorum procreatio fuiſſet, ſanitatem Regno allatura, aut certè impendentia mala averſura fuerit, niſi maximum malorum omnium ſterilitas ipſa Reginæ fuiſſet, quæ virum ſexdecim ferme annos paſſa, nunquam concepit. Huc acceſſit non multò pôſt Franciſci fratris mors, qui quanquam ſeceſſerat ab eo, & Catholicis adverſas partes tueri videbatur, Belgisque Hiſpanorum imperium detrectantibus ſe accommodaverat; tamen & permanſerat ipſe cunctanter in Catholicæ Religionis fide, & ſtirpis domûsque in Henrico deficientis ſpem ſuſtentabat, quam inde illo intra pubertatem extincto, ultima ſolitudo inceſſit. Atque hac Regis Regnique orbitate vel accuratus & intentus ſperni Henricus potuiſſet; incurioſum ac negligentem contemptui inde ſuis eſſe cœpiſſe, nemo miretur. Multi Provinciarum Præfecti miſſos à Rege ſucceſſores repulerunt, & verbis fidem obſequiumque præferentes, imperium ab eo adeptum, eo invito retinuerunt, nec ipſi juſſa detrectantes coërcendi magna cura fuit. Henricus Borbonius Navarræ Rex, quem Amiralio, & factionis ejus principibus occiſis, metu ad pœnitentiam præteritorum, aut pœnitentiæ ſimulationem adegerant, in ſuum Regnum profugit,

fugit, ac repetitis Hugonottorum ſacris quæ juraverat, eorum ſe vindicem ut antea ferens, arma quibus partium jura tueretur, parare cœpit. Franciſcus frater item ab Rege ſeceſſerat, & Navarro ipſo ſibi certis amicitiæ fœderibus adjuncto, Gallorum haud parvam manum trahens, cum Aurangio Belgisque conſilia miſcebat, Rege lentè omnia ferente. Ad hæc quibus convelli haud dubiè Regnum apparebat, adjecit aliud gravius capitaliusque erratum, quod inde & ipſi & Regno interitum attulit. Nam qui propter ſegnitiem & luxuriam a ſuis contemneretur, contemnere ipſe veteres amicos cœpit, & præmia fidei & navatæ operæ, quæ illis debebantur, Adoleſcentibus non ullius virtutis merito, ſed novorum obſequiorum commendatione, in ſummum gratiæ & potentiæ locum adſcitis, tribuere. Id verò adeo quorundam indignationem commovit, ut ab hac irarum flamma illa incendia extiterint, quæ utinam non ſupremo Galliæ ſanguine extinguenda ſint! Vivo adhuc Carolo Rege, Henricus longè conjunctiſſimos habuerat Guiſios fratres, de quibus ſupra diximus: qui cùm ejus eſſent æquales, usque ab ineunte ætate una educati, una domi, unà in bellis, unà in ludis ſeriisque aſſidua conſuetudine adeo in omnia jura familiaritatis pervenerant, ut non cibum ſolum eadem plerumque menſa, ſed ſæpe eodem quoque lecto ſomnum caperent. Hi ſuam domusque fortunam uni Henrico applicaverant, ei nobilitatem,

ei milites adjungere, denique ad illius amplitudinem ac potentiam omnia conferre. Quæ ſanè horum maximè ſtudiis eò exceſſerat, ut invidioſæ gravesque jam Carolo ipſi Henrici opes eſſent, duæque jam Regiæ in Gallia, ac duo prope Reges conſpicerentur; majorque militarium hominum ad Henricum, quàm ad Regem concurſus eſſet: quæ cauſa fuerat Carolo, Legatos in Poloniam mittendi ad regnum fratri petendum, quando Gallia duos jam Reges capere non poſſet. Qua in petitione cùm ſuperatis competitoribus honorem tenuiſſet, & poſt receptam adventu Legatorum Regis appellationem, poſt primam illius gloriæ, qua Gallia ipſa efferebatur, voluptatem celebritatemque urgeretur diſceſſus, Catholici, qui omnibus bellis quæ cum Hugonottis geſſerant, eo Duce feliciter uſi fuerant, & ante omnes Guiſii fratres providentes, ſummoto Henrico, quo ipſorum fortuna maximè niteretur, valde in arctum redigi familiæ ſuæ opes, ipſum à Poloniæ conditione revocare, atque in Gallia retinere ſunt conati. Primùm quidem deterrebant à ſuſcipiendo eo Regno, quòd per ferociſſimas & ejus nomini, propter recentem cædem Ammiralii infenſiſſimas nationes, eſſet petendum; quodque inane modò nomen Regis illi tribueret, poteſtatem ac vim Regni Senatui relinqueret. Quò ut incolumis perveniret, quid tandem aliud quàm procul à ſuis, procul à patria, procul à tot fidelibus amicis, alio prope in orbe non Regem, ſed regnan-

gnantis Senatus ludibrium futurum ; ubi non publicæ pecuniæ, non belli pacisque, non denique ſui ipſius jus arbitriumque eſſet habiturus? Quid vero ſi Regem fratrem carentem liberis, nec firmiſſima valetudine utentem, fato ſuo defungi contingeret? An expectaturos crederet reditum ejus, qui novis rebus ſtuderent, qui Alenſonium fratrem jam ante æmulatione in præſentem eum ſollicitare atque incitare eſſent ſoliti? An ergo barbarum Regnum, quod glorioſius repudiaturus quàm habiturus eſſet, ſpei prope non dubiæ ſuccedendi in patrium Regnum anteferret? Ad hæc proprias quoque preces adjungebant, ne ſe, ne tot præſtantes viros qui ſecuti fortunam ejus eſſent, quorum res omnes ab ipſo penderent, deſtitueret: quibus propter firmam adverſus ipſum fidem nec Rex ſatis propitius, & frater etiam infenſus eſſet futurus. Moverant & conſilium, & conſilii authores juvenis animum, penitusque jam à profectione alienaverant, ni præſentium Legatorum pudor, & Rex & mater, qua precibus, quà authoritate tenuiſſent, ut porro iretur. Nec tamen iisdem monentibus Guiſiis, antè Lutetiâ movit, quàm in publico Principum ac Pariſiorum Concilio ad ipſum id coacto, Legatis Poloniæ, Rege ac matre coram, Henrico ſucceſſio in Regnum Galliæ, ſi fratrem ſine filiis decedere contingeret, decreta eſt. Proficiſcentem Carolus Umenæ Dux, unus è Guiſiis fratribus, officii cauſa in Poloniam eſt ſecutus;

prin-

principiisque ejus apud illam gentem adfuit. Poſt quæ rediturus in Galliam, interfuimus ipſi cum à Rege dimitteretur, adeo ſæpè repetiti inter eos amplexus ſunt; adeò uberes oculis utrique manabant lacrymæ; adeò hærebant oculis, ut commoverentur magnopere illâ tam arcti amoris ſpecie omnes qui aderant. Quibus ægre tandem divulſis, cùm aſcenſurus equos Umenius eſſet, revocatus à Rege eſt, & iterùm ſpectaculo iidem amplexus, eadem oſcula, eædem lacrymæ fuêre. Hæc eadem factitata Galli memorabant, cùm è Gallia proficiſcens ab Duce Guiſiæ, trium fratrùm natu maximo, digrederetur. Quæ nos ideo retulimus, ut intelligatur, ex quanta conjunctione ac benevolentia, in quàm hoſtilia atque atrocia odia mox proruperint. Hi igitur qui nuper longè gentium abductum veluti amiſſum Henricum doluerant, cum jam Poloniâ Germaniaque elapſum, non reducem modò atque incolumem, ſed Galliæ quoque Regem accipere inſperatè lætabantur; tandemque & profuſi à patre patruisque pro ſalute Galliæ ſanguinis & ſuorum in Henricum ipſum officiorum præmia capturos ſe non ſolùm ipſi ſperabant, ſed Galli, vel conſortes Regni futuros ex ſuperioris temporis gratia opinabantur; opinionemque confirmarat ducta ex eorum potiſſimùm domo conjux: ignari prorſus, Henrici reditum utrique domui calamitoſum futurum. Nam meritorum ratio fortaſſe inter privatos jus obtinet, Regibus omnia ex libidine ſunt.

ſunt: nec ullos plerumque acriùs oderunt, quàm quorum beneficia diſſimulare non poſſunt. His enim neque reponere, quia grave, volunt, neque pati poſſunt, quia ut exprobratores aſpiciunt. Verùm quod fateri neceſſe eſt, non hæc ſemper in dominantibus reſidet culpa: ſæpe haud minùs ab his peccatur, qui gratiam promeruerunt, dùm non expectare, ſed occupare præmia; nec ea danti accepta referre, ſed ut debita exigere properant: modum ſcilicet neutri tenent, neque illi reddere, neque hi recipere beneficia norunt, cujus rei nusquam alibi quàm Romæ frequentiora exempla reperies; ubi & eligitur Princeps, & ob ſenium ſæpè mutatur. Henricus ergo primò ſenſim, mox apertiùs à priſtina amicitia recedere; utique poſtquam gemina veluti face amoris & gratiæ occupatus, incenſusque ejus animus eſt: Nam Adoleſcentes duo & voluntatem Regis & potentiam Regni inter ſe diviſerant. Natos equeſtri loco, ex humili fortuna eò indulgentia atque amore provexerat Rex, ut non contentus honorum titulis Principibus Galliæ æquaſſe, etiam divitiis antecellere voluerit, ſolos geſtiens non plus poſſe tantùm, ſed etiam plus habere. Horum poteſtati valentiſſimæ Regni partes ſunt traditæ. His exercitus, his imperia mandabantur, hos ut quisque aut neceſſitudine aut gratia attingebat, ita potentiæ proximus habebatur. Rex cùm Galliam tributis & collationibus fatigaret, ſæpè bella, ſæpè neceſſaria Regni munia, inopiâ omiſit; nam

nam & Regni opes duorum gratia trahebat. Sæpe à populis, ſepè à Sacerdotum ordine detracta col tui & neceſſitatibus ſuis, pecunia collata eſt, magnitudine æris alieni, quâ premebatur Re levaretur; ea pecunia ſtatim iisdem gratioſ quos Galli ſua lingua *Mignones* appellabant, v luti geminæ implendæ voragini, ingerebatur quæ res Gallis ipſo pecuniæ damno gravior erat. His denique duobus Rex ita ſe abutendum per miſerat, ut matris quoque, quam antea revereri, cui tribuere plurimum erat ſolitus, propter eo reſpectum exueret. Hi, ut nulla potentiæ fi ſocietas, & diſſidebant inter ſe, & diverſis ſtudi Regem diſtrahebant. Sed Epernonius, non qu carior, ſed quia plus audebat malis artibus, pr pollere videbatur; eoque majori apud om odio erat. At Rex abjecta Regni curâ interd à voluptatibus ad ſtudium Religionis verſus, a dere ſe Monaſteriorum ſeptis, Sacerdotum e cere carmina, divinisque officiis perinde ope ri, maximè Capucinorum familiæ adhærere, q rum eſt vivendi ratio inprimis dura atque hor da. Cum his vini, cibi, ſomni abſtinentiâ ce re, eadem obire precandi, vigilandi, ſilendi te pora; denique etiam loris & diſciplinâ eor corpus cædere. Adeuntes interim foribus ar cebantur, reſponſa per eosdem Capucinos, h mines plerumque talium rerum imperitos daba tur. Per hæc ruere res Gallica, & cuncta in abire in deterius. Guiſii fratres ubi non pro ſ

ip

ſpe & priſtinæ familiaritatis jure patêre ſibi Regem, & mox etiam refugere colloquia, declinare congreſſus; & haud dubie odium ſibi pro gratiâ reddere ſensere, quæ prima diſſidentium irritatio eſt, querelis rem celebrant, ſua prædicant merita, Regem ut ingratum incuſant; & inde ex diſſidio ejus, & gratioſorum invidia quæ maximè apud omnes ordines erat, creſcere ipſi, & captare vulgi ſtudia intendunt. Ex his, auctis exulceratisque utrinque odiis, cùm neque Rex præſcribi ſibi ab his qui imperio ſuo continerentur, pateretur, & ſuum jus ſuum judicium eſſe diceret, quos præferre, quos præterire, quorum operâ, quorum conſilio uti vellet, & pertinax propoſiti, quæ inde ſecutura eſſent, aut parvipenderet, aut parum proſpiceret; & Guiſii, quibus initio ab priſtinæ gratiæ fiduciâ non dominari, ſervitutis inſtar fuerat, cùm inſuper pręmiis ſuis inflatos & ſubnixos inimicos aſpicerent, ad eum furorem irâ atque æmulatione exarſerunt, ut juvenes alioquin omnibus corporis atque animi ornamentis inclyti, & ſtirpe longè nobiliſſima geniti, ne dignitatem amitterent, fidem deſerere ſuſtinuerint, ſine qua ne dignitas quidem ipſa conſtare poteſt, Ducesque & Authores ejus conjurationis extiterint, quæ Hiſpanicis inſtructa conſiliis, & novis ſubinde Indici auri nutrimentis valeſcens, ne morte quidem eorum finem habuit, aut omnino habitura, niſi fortiſſimæ gentis indies ſe mutuis cladibus

 con-

conficientis, excidio videtur. De qua hîc plura dicere omittimus, quia fuſius in Guiſiis ipſis à nobis tradita eſt. Tantâ quidem arte atque eo titulo tecta inſignitaque eſt, ut Rex ipſe caput ſe ei præbere ſit coactus, & quæ ſuæ potentiæ minuendæ, ac Regni ſui diſtrahendis viribus ſocietas inita erat, ejus participem ipſum ac Principem fieri neceſſe habûerit. Quâ neceſſitate tandem expeŕrectus (&erat cùm animum intendiſſet; quantumvis magnæ rei par,) capeſſere Regni curas & quod antea fatebatur, non fuiſſe Regem ſe ac imperii ſui potentem oſtendere; ſed ſerò, cum pene jam circumventus eſſet inſtitit. Et cum Helvetiorum & Germanorum ingentes copiæ (ad triginta millia fuiſſe dicuntur,) trajecto Rheno auxilium Navarræ Regi hoſti tum judicato ferentes, in mediam Galliam penetrâſſent, quæ copiæ ſi ſe ad Havam junxiſſent, haud dubie arbitrium rerum in Gallia ad Hæreticos perventurum erat; celeriter comparato exercitu, adeo ſtrenuam repellendis hoſtibus operam navavit, ut hinc objiciens ſe eorum itineri; hinc Guiſius cum expeditis equitum turmis poſtremum agmen carpentibus vexatos, commeatu prohibitos, ad eam inopiam neceſſitatemque omnium rerum compulerit, ut paciſci ſecum, ac impetratâ ſalute retrò quà venerant, abire coacti ſint; tam crebris afflicti cladibus, ut ex tanto numero vix quinta pars domum redierit. Videbaturque egregie Barbaros ab Gallicis rebus deterruiſſe, ſuorum

qui

que animos ad ſpem novorum morum, ac melioris fortunæ erexiſſe, niſi ſuſceptum aliquando Regium animum paulò poſt præcipiti irâ ſævitiaque corrupiſſet. Nam majores Guiſiorum prope quàm ſuas jam eſſe opes cernens, & ſe in ſuo Regno pro Rege non haberi, & nuper Lutetiæ tantum non captum ab iis, & vix per indignæ fugæ dedecus dolum inſidiarum evitaſſe, mox etiam conventum Nobilitatis habere, & in eo omnia ex eorum ſtatuere atque ordinare libidine coactum fuiſſe reputans moleſtè tulerat. Id etiam vehementer animum ejus perſtrinxerat, Ducem Sabaudiæ per contemptum ſui, Salutios, Cremomiolos, aliosque Subalpinos populos qui Gallici juris ſunt, eorum oppidis partim vi, partim proditione captis, recepiſſe: quod non fuiſſet auſurus niſi occulto cum Guiſiis fœdere eſſet junctus: ut fere Reges contemptum ſui, quem ſegnitie contraxêre, crudelitate ultum ire properant, non aliter ſe majeſtatem Regii nominis vindicare, & ereptum jus imperii reſtituere ac ſancire ſibi ſtatuit poſſe, quàm auctoribus nefariæ defectionis opprimendis; ſtatuendoque inſigni aliquo documento, ne quis poſthac talia auderet. Et cùm validiores eos eſſe intelligeret, quàm ut legibus aggrederetur; animum irâ atque odio æſtuantem, ad vim, ad fraudem, ad inſidias adjecit, & injurias publice regio nomini illatas, privato ulciſci jure doloque elegit, virum potiùs in eo, quàm Regem imitatus. Quò ſecuriores ſui

 red-

redderet, ſeque omnem ex animo depoſuiſſe præteritarum offenſarum memoriam perſuaderet, & eò certiùs falleret, omnia pro priſtina familiaritate cum iis agere, Guiſiæ Ducem nunquam a latere ſuo dimittere, nihil publicè, nihil privatim, ſine opera & conſilio ejus incipere, Tribunatus, Præfecturas, pecunias ipſi amicisque ejus, quantas & quas vellet, tribuere. Scilicet, facilè largiebatur, quæ mox omnia cum vita ſimul ei erepturus erat. Ad avertendam omnem ſuſpicionem fecerat ſibi morem evocandi è Curia ubi Concilium agebatur (ea juncta regiis ædibus erat,) in conclavia ſua Guiſium, atque ei aliquid de publicis rebus mandandi. Cùm ergo tempus eſt viſum, inſtructis inſidiis, & idoneis hominibus dato negotio, acciri Guiſium jubet, qui nihil ſuſpicans doli, quod idem ſæpè factitaret, ſolus poſtica viâ, ut ſolebat, ingreſſus, antequam ad Regem perveniret, interficitur, atque eodem tempore Franciſcus filius, Aloyſius frater Cardinalis, materque, & unà Lugdunenſis Epiſcopus, & Pariſiorum Magiſtratus, & Namurii Dux qui erat eadem quâ Guiſius matre natus, & alii præterea aliquot capiuntur, & arctiſſimæ cuſtodiæ ſtatim mandantur; & paulò poſt Cardinalis, nihil eum ſacroſanctæ dignitatis honore protegente, necatur. Umeniæ Dux, tertius fratrum, ad quem occidendum Rex celeriter Alfonſum Corſi Sampetri filium, audacem ac ſtrenuum hominem miſerat, parvo momento percuſſorem declinavit.

Patra-

Patratâ cæde tantus cepit omnes pavor, & Rex nuper blandus & comis omnibus, tam adeo truci vultu omnes aſpiciebat, ut alloqui eum homines plures inde per dies non auderent. Regina mater cùm Rex ad ipſam adiiſſet, gratulatusque ei eſſet quod proditorum perfidiam aliquando vindicaſſet, profudiſſe lacrymas; Atque *utinam, fili, tam præceps ac tam crudele conſilium non in caput tuum ac Regni tui exitium recidat!* dixiſſe fertur; nec multo pòſt morbum contraxit qui illi ſupremus fuit. At Pariſiis ad primum cædis nuntium haud ſecus quàm in capta Urbe eſt trepidatum; & erat Guiſius ſummâ apud multitudinem gratiâ, & quisque in eadem cauſa eadem ſibi metuenda eſſe reputabat. Sponte ſuâ commotos, conſpectâ Guiſii uxore quæ cum parvis liberis in publicum prodierat, tanta miſeratio inceſſit, ut non aliter quàm ſi ſingulos privatim ea clades attingeret, omnes complorarent; & mulier virilis animi totam pervadens urbem omittere fletus, & animos vindictæ firmare hortabatur; adeoque iras incendit, ut Rege atrocibus decretis proſciſſo, Ducem ſibi Umenium Guiſii fratrem eligerent, portas clauderent, & bellum ſtrenuè atque enixe pararent: & Umenius ea ſpecimina ſui dederat, ut nulla Imperatoriâ laude fratre inferior haberetur. Rex ubi evaſiſſe Umenium, & in armis tumultuq; eſſe Pariſios, multasq; prætereà civitates horum exemplo, & tam indignæ cædis

facinore alienatas ab ſe eſſe intellexit, & furentibus faces ſubdituros Hiſpanos, animos addituros, & aurum etiam, ſi res poſceret, ſuppeditaturos non dubitaret: & ipſe à pecunia, à militibus, à rebus omnibus eſſet imparatus: ex quo credi poteſt, eum potius impotenti animi impetu quàm certo ac deliberato conſilio, ad Guiſios occidendos, impulſum eſſe. Navarrum exercitumque ejus ultro fidem operamque pollicentem ad ſe recepit, & quem nuper hoſtem judicatum proſcriptumque bello perſequebatur, eum defenſorem dignitatis ſuæ adſcivit. Tanto tum odio Guiſiorum Henricus ferebatur, ut qui ab ineunte ætate internecinũ ſe hoſtem hæreticorum exhibuerat, decretis, ſuppliciis, armis denique bello proſecutus fuerat, quos ſæpè vitæ ſuæ inſidiatos, quorum ſcelere & Gallia tot cladibus eſſet attrita, & ipſe in ſummum ſæpè diſcrimen vitæ Regnique veniſſet, eorum ſe fidei committeret, nec aliter tutum ſe in ſuo Regno fore exiſtimaret. At paulatim redeunte in Gallorum & maximè equitum animos reverentia Regis, Nobilitatis concurſus ad eum fieri eſt cœptus, & ipſe, ut erat in dicendo copioſus & prudens, non crudelitatem illam, (quippe cui non perſpectam clementiam ſuam eſſe?) ſed neceſſitatem vindicandi jus Regiæ Majeſtatis ab his qui obliti fidei, obliti beneficiorum, quibus ab ſe domoque ſua ipſi parentesque eorum cumulati eſſent, fœdere cum Galliæ hoſtibus inito, atque eorum pecuniis conſiliisque in-

inſtructi, Regem ſuum nefaria conjuratione circumvenerant, & pene ut captum atque obnoxium, nihil niſi ex ipſorum libidine ſtatuere atque agere paterentur, apud omnes diſſerebat. Fatebatur ſe ad eam diem negligentem rerum ſuarum fuiſſe, ſi appellari negligentia poſſet quædam remiſſio curarum, ex nimia fiducia firmi atque conſtantis ſuorum erga ſe obſequii caritatiſque. Alios nunc mores, aliam vitam tempus poſcere; nec ſe tempori defuturum, & brevi effecturum, ut intelligant homines Regem ſe Galliæ eſſe, & qui in ſuo Regno ad meliorem fortunam aſpirarent, eam ab ſe per bonas artes promerendam, non ſeceſſionibus, & exterorum Regum opibus, & ſollicitandis captandiſque vulgi ſtudiis parandam eſſe. Aliquot dici in armis eſſe civitates, ab iiſdem illis fraude & fictis in ſe criminibus depravatas inductaſque; iis ſe pœnitentiæ ſpatium dare, dum ex unius Lutetiæ exitu, pœniſque quas ſeveriſſimè eſſet exacturus, cæteræ, quid ſibi ſperandum eſſet, ſtatuere poſſent. Nec minacius loquebatur quàm ſtrenuæ obſidioni urbis intendebat. Jamque tantum terroris incuſſerat omnibus, atque adeo præſidiis idoneis locis diſpoſitis, fame armiſque premebat obſeſſos, ut magis, quia deſperarent veniam quam certa ſpe reſiſtendi, bellum tolerarent. Interea Romæ cognitâ Cardinalis cæde, cum læſa in eo Pontificis Maximi Majeſtas, violatumque fas ſacerdotalis ſanctitatis plerisque videretur, & Rex

jure cæſum ab ſe, quem Regno ac vitæ ſuæ inſidiatum comperiſſet, contenderet, Sixtus V. Pontifex nunquam modicè ſua poteſtate uſus, & quamcunque in partem tuliſſet animus, ſemper nimius, Regi per edictum tempus præfinivit, ultra quod niſi ſibi ſatisfeciſſet, diris eum devovebat. Ea res in Galliam perlata, Navarro quidem, cæteriſque qui doctrinam contemnentem Catholicæ Eccleſiæ jura ſequebantur, ridiculo fuit: ab Henrico hactenus ſpreta eſt, ut injuria tortum in ſe eo tempore id telum quereretur, illaque ſe teneri culpa negaret. Lutetiæ eo magis incendit ea res multitudinis adverſus Regem odium, quò juſtiùs fecit. Sed urgebantur nihilominus obſidione, nec ipſi ad reſiſtendum ob id validiores erant, nec Henricus ſegniùs oppugnationi inſiſtebat; omniaque indies illis arctiora fiebant, ancipitique cura inter odium metumque torquebantur. Si portas aperuiſſent, iratum inſenſumque Regem metuebant, palam minas & ſupplicia intentantem; ſi ultimam vim expectarent, incendia, cædes, direptiones, excidium Urbis proſpiciebant, & Hugonottorum furorem in Templa, in ſacra, & profana omnia debachantium horrebant. Cùm hæc mala omnium ſermonibus celebrarentur, & in omnium verſarentur oculis, extitit unde minimè credi poſſet, ex diſciplina pietatis & Religionis, qui novi & vix fidem habituri exempli facinus non agitare ſolum animo, quod ſatis audax videri poterat,

terat, ſed etiam palam ferre, ac deniq; exequi auderet: ſive ea turbatio mentis, ſive patriæ liberandæ ardor fuerit. Dominicanæ familiæ adoleſcentem inceſſit impetus occidendi Regis, à quo tantũ civitati periculũ inſtaret. Vigeſimum vix annum exceſſerat, idque ætatis puerilibus miniſteriis, addiſcendæq; intra ſepta diſciplinæ procul cœtibus congreſſibusque hominum, egerat, expers earum rerum cogitationumq;, quibus animus ad facinus audaciamque firmari ſolet. Quo magis mirari licet, unde illi ſontium virorum ſpiritus, & tanta aut gloriæ affectatio, aut odii iræque agitatio fuerit. Id ipſe primò ſecum voluit, mox etiam amicis aperuit; & ut magnæ rei ſemel concepta imago penitus animo inſidet, etiam in ſomniis viſisq; invitari ſe ajebat. Ubi his quibuscũ locutus fuerat, ſatis inſanus eſt viſus, & captum errore, ac ſpe gloriæ deluſum animum nihil magnitudine periculi moveri, & prorſus morti obfirmatũ conſtitit: tum Guiſii uxor ad quam adductus a conſciis fuerat, aliique quibus id commendatum erat, domitorem Tyranni, liberatorem Galliæ, unicum Catholicæ Religionis vindicẽ appellantes, Deumque ipſum tam piis auſis adfuturum, vim aditumque daturum, aliaque quæ inflandæ intendendæque vanitati eſſent jactantes, perpulêre juvenem ut rem penitus ſuſciperet. Et ne, non dubia propoſita morte, interdum ad vitæ deſiderium revocaretur, territusq; periculo, conſilio abſiſteret, etiam evadendi opem illi faciunt, futurosq; ajunt in

ipſo cubiculo Regis inter intimos amicorum qui conatui ejus faverent, & in temporee opem afferrent: & præter gloriam, quæ æterna longè præclariſſimũ facinus audentem maneret, etiam præmia ingentia illi pollicentur, quæ ſecutura domum ejus eſſent, ſi quid ei ſecus accidiſſet. His promiſſis hortationibusque inſtinctus, cùm præceptæ jam animo gloriæ nullam ferret moram, maturando conſilio dolus atque ordo rei inſtruitur. Ante omnia ſicam aptam intra veſtes abdi parant; & ne petitio falleret, & quantumvis leve vulnus mors ſequeretur, ferrum veneno inficiunt. Dominicanus inde ſimulatâ in Regem fide, clam cum quodam colloquitur qui Lutetiæ Henrici partes fovebat, & quantum tempus patiebatur, auctor reconciliandæ cum Rege gratiæ & clémentiæ implorandæ erat: huic compertas ſibi inſidias quæ Regis vitæ pararentur, aperuit. Sed quia res ad plures & præpotentes viros, de quibus nemo ſuſpicaretur, pertineret, non alteri ſe indicium rei nominaque conjuratorum quàm Regi ipſi editurum. Rex ab illo quicum locutus fuerat Dominicanus, certior factus, etſi magnitudinem rei indicis levabat humilitas, tamen venire ipſum ad ſe jubet. Nec ille ſibi moram facit. Profectus Lutetia in caſtra admittitur, & quæ afferret uni ex amicis Regis enunciare jubetur; ſed ille negat cum alio quàm cum Rege ſe colloqui velle. Diu ſpretus, tandem, ne quid neglectum videri poſſet quod ad ſalutem Regis pertineret,

vin-

vincente fato, quod divino conſilio omnibus ſtatutum minime humana vitari induſtriâ poteſt, ad eum perducitur, ac remotis arbitris, quæ magis in rem eſſe viſa ſunt, orditur, intento Rege, quia vero ſimilia aptaq; loquebatur; donec obſervato tempore ſtricta repente ſicâ, quam veſte tegebat, inguina Regis hauſit; qui vulnere accepto impetum in ſicarium dedit, reluctantique & ictum repetere conanti, ferrum manu extorſit, eodem illi ferro duo vulnera retulit. Sed audito ſtrepitu cum accurriſſent qui proximi aderant, ira & rabie adverſus inſidiatorem conſilium eripiente, antè eum confecerunt trucidaruntque quam, quod Rex jubebat, capi vivusque aſſervari poſſet. Vocati Medici cùm vulnus Regis inſpexiſſent, eo religato, minimè lethale eſſe pronunciarunt, ignari ſcilicet fraudis venenique quo illitum ferrum erat. Sed infeſto mox viru in viſcera graſſante, & remedia prævertente, poſtera die certum inſtare exitum intellexêre. Et Rex ubi idem ſenſit, fertur fortunam Galliæ miſeratus, haudquaquam Dominicanum hominem in tantam malorum molem ſtrinxiſſe ferrum, quanta Gallicum nomen ex ſuo caſu maneret, dixiſſe: Ac ſe quidem indignis ſuorum inſidiis exceptum erratis ſuis fortaſſe dignas pœnas ſuſtinere; cæterùm, falſus utinam vates eſſet! multo ſibi ſanguine Galliam, ipſoque inimicos ſuos parentaturos. Vocatum inde ad ſe Navarræ Regem, per omnia jura quæ ſibi cum illo eſſent, per ſpem ejus, per ſalutem Galliæ, in cujus

Re-

Regnum, ſi ſibi paruiſſet, ſucceſſurus eſſet, obteſtatus eſt, ut abjecta hæreſi qua hactenes captam mentẽ habuiſſet, tandem veræ, id eſt, Catholicæ Religionis, fidem amplecteretur, ejusque rei pignus ſibi dexteram daret. Qua accepta, veluti prece expugnaſſet, quod antea ne bello quidem atque armis aſſequi potuerat, lætus acciri Sacerdotes juſſit, ac placato per omnia piacula quæ morituris Catholica inſtituit Eccleſia, Deo, omnibusque quæ Chriſtianum & Catholicæ fidei clientem decent, ritè ac piè peractis, animam egit, ætatis ſuæ anno trigeſimo ſeptimo: Vir ſeu regiæ ſtirpis dignitate, ex qua ortus erat; ſive indole, qua ſtirpem æquabat, Regno habitus dignisſimus, niſi regnare ipſe noluiſſet; egregiè certè animi atque ingenii virtutes, verasque conſilii, eloquentiæ, humanitatis, liberalitatis, religionis laudes, mollium primò voluptatum ſordibus, deinde ſegni curarũ declinatione, poſtremò effuſo erga parum dignos ſtudio, & injuſta ab his qui de ſe, de Regno, de Republica, tum ſuis, tum parentum ſuorum officiis optimè eſſent meriti, alienatione corrupit. Quæ errata in eas illum anguſtias compulere, ut ea fraudis & crudelitatis infamia corrigere neceſſe habuerit: quod, ſi exitum ſpectes, erratorum omnium longè graviſſimum atque maximum fuit.

DE

DE

Henrico & Aloyſio

Lotharingis, Fratribus, Franciſci Filiis.

AB hac nefaria opinionum ac errorum pravitate, qua hujus ſeculi impietatis Magiſtri, aliique ſeditionum & novarum rerum architecti Galliam opplevere, ſi ſingulas clades, quà Principum, quà populorum; ſi prælia, cædes, incendia, rapinas, direptiones urbium, excidia templorum, ſepulcrorum, reliquiarum, ſimulacrorum diſturbationes, ſi ſacrilegia, ſi inceſta ſtupra ſacratis virginibus illata, ſi Sacerdotum omnis generis fœdas trucidationes, ſi denique ſacrarum rerum omnium, atque adeo ipſius divinæ Hoſtiæ ludibria, quibus nobiliſſimum & nuper florentiſſimum Regnum obſtrictum temeratumque, ac tandem labefactatum atque convulſum eſt, enarrare velim, operoſum negotium ſuſcipere, aut certè juſtam multorum voluminum hiſtoriam texere neceſſe habeam. Adeo multa furoris & crudelitatis exempla unius gentis paucorum annorum agitata hæreſi diſſidia

ſup-

ſuppeditarunt. Sed nos inſtituti noſtri memores, pauca attingemus, in quibus maximè videtur memoratu dignæ Henrici & Aloyſii fratrum alterius Ducis Guiſiæ; alterius Cardinalis necis & facinoris atrocitate; & quia eas mox Regis ipſius qui patravit, miſerandus exitus eſt ſecutus. Hi Franciſco Lotharingo, Guiſiæ Duce, quem ſuprà Gaſparis Colinii inſidiis occiſum oſtendimus, & Renatâ Herculis Ferrarienſium Ducis filia nati, non ſolùm à parentum dignitate avitaque virtute non degenerarunt, ſed præclaræ indolis gloria & ſpe amplioris fortunæ etiam anteceſſerant; niſi curſum rerum conſiliorumque ſeu fati neceſſitas omnibus divino nutu ſtatuta, ſive ipſorum juvenum in cuſtodia ſui parum cautus, & nimium ſibi fidens animus intercidiſſet. Henricus natu major patri in Ducatum Guiſiæ reliquasque præfecturas admodum puer ſucceſſit. Aloyſius & honorem Cardinalatûs, quem duo patrui tenuerant, & ſacerdotia eorum, quæ multa utrique opimi vectigalis habuerant, eſt adeptus. Acceſſit tertius Carolus Mæniæ Dux, nulla animi aut ingenii laude iis inferior. In omnibus ampliſſimi generis nobilitatem & artes nobilitate dignas decorabat eximia corporis forma, ut haud facile totâ Galliâ non ſolùm inter Principes, ſed ne inter privatos quidem, qui cum his tribus fratribus, aut proceritate corporis, aut robore ac firmitate membrorum, aut habitu, ac dignitate oris conferri poſſent, invenirentur. Formæ indolique aderat

nu-

humanitas & comitas morum, & maximè Duci Guiſiæ mirum, ad alliciendos animos gratiamque promerendam, ſive artis, ſive naturæ donum. Natandi, venandi, equitandi, jaculandi, armorumque omnis generis peritiſſimus. In bellis ne inter gregarios quidem audaciorem, pugnatioremque inveniſſes: æſtus, hiemis, inediæ, ſitis, laboris patientiſſimus. Sed manu an conſilio promptior non facilè diſcreveris. In dicenda ſententia parem modeſtiam eloquentiamque præſtabat. Ergo hi fratres à prima ætate cum Carolo Rege, Henricoque Regis fratre pariter educati, cum utroque in omnia jura familiaritatis pervenerant. Maximè tamen Henrico adhæſerant, huicque ſuam ac domus fortunam applicaverant; quantum gratia, quantum opibus valebant, ad hunc unum conferebant. Huic popularium ſtudia, huic milites, huic equites conciliabant: denique huc omnia trahebant, ut Henrici auctoritas opesque apud omnes quam valentiſſimæ eſſent; ſive Rege filios non procerante ſucceſſorem aliquando in regnum Henricum proſpiciebant, ſive eum bella atque arma, quibus ea tempeſtate Gallia inteſtinis diſcordiis, atque hæreticorum ſeditionibus agitata, vexabatur, tractantem ſequi, & ipſos armis aſſueſcere, & bellicis imbitu artibus, militaribusque rebus clareſcere, dignitatis eorum maximè intererat. Et Henricus Ducatus militarisque imperii, ac ſummi armorum atque belli juris à fratre traditi ſibi haud alios participes atq; adimi-

adminiſtros malle: ad hos equitum; ad hos peditum præfecturas, ad hos primas exercitûs ac bellorum procurationes deferre, cum his maximæ jus imperii ſui communicare; atque adeo iis ſe dedere, ut cum non multò poſt à Polonorum gente expetitus Rex, indeque pernobili Principum legatione accitus ad capeſſendum Regnum eſſet, Ducis Guiſiæ ac fratrum ſtudiis, deſeri ſe impensè lamentantium, tantum non retentus in Gallia, ſpreto longinquæ atque alio prope in orbe ſitæ nationis regno ſit. Et abjeciſſet Henricus Poloniæ conditionem, niſi verecundia tot circumſtantium Legatorum, & acribus matris hortationibus, & Regis auctoritate pene extruſus Galliâ fuiſſet. Nam Carolus Rex ſicuti initio, cum Regnum tanto inteſtini diſſidii motu concuſſum agitaretur, haud alii, quàm fratri armorum atque exercituum imperium credi tutò poſſe exiſtimavit, quod & adoleſcentia Henrici, & naturæ bonitas procul omni æmulatione atque ſuſpectione erat, ita confirmatam jam ejus ætatem, & res admirabili felicitate geſtas, & accenſa inde popularium erga juvenem ſtudia, & majorem militarium præſertim hominum ad eum, quàm ad ſe concurſum cernens, nimiis jam illius opibus angi, nec tutum rebus ſuis credere duas frequentari in Gallia Regias videbatur. Sunt qui tradunt, primum omnium hanc Regis curam Gaſparum Colinium Ammiralium rimatum eſſe, ab ipſoque clam ſubmiſſis, qui Regem, ad petendum Henrico fratri

Po-

Poloniæ Regnum adhortarentur, non ut levaretur Henrici diſceſſu Gallia, ſed ut amoto per ſpeciem honoris eo Catholicorum Duce, firmior inde Hæreticorum factio, cujus ipſe Princeps erat, fieret. Conſilium Rex nequaquam eſt aſpernatus. Prætendebatur vetus cum Auſtria familia de potentatu contentio, ne nobile Regnum ad Erneſtum Maximiliani Cæſaris filium deferretur, cui à patre magna ope, ſummisque totius familiæ ſtudiis conciliari ferebatur. Et præterea Henrici ipſius dignitas; cujus virtus ac virtutis fama, cùm privati fortunam exceſſiſſet, decoranda utique regali nomine, honoreque videbatur. Ita in petitionem eſt deſcenſum; eo quidem eventu, ut Henricus plælatus Erneſto, & adſcitus ad regnum magno gentis conſenſu fuerit: tantum gloriæ illi victi ſæpè ab ſe juſta acie adverſarum partium Duces, tantum patriæ clades pepererant. Id initio lætum Gallis omnibus, qui quem ipſi favore extulerant, quoque imperante tot victoriis potiti erant, eum Regem appellari jam & eſſe, lætè admodum ferebant. Sed ubi abeundum Henrico fuit, ſeque deſeri veteres amici ejus, & ante omnes Guiſii juvenes ſenſerant, quamquam ſublatus jam erat Colinius, & capita factionis ejus, ut ſuprà demonſtratum à nobis eſt, tamen magnopere animum ad cogitationem rerum ſuarum revocare cogebantur. Nam Alenſonius, alter Regis frater tradiderat ſe eorum inimicis, alienumque ab iis animum

palam ferebat; nec ſecuri ſatis de Regis ipſius gratia videbantur, cui ipſi, quæ in Henricum ſtudia contulerant, nimia viſa erant. Et proficiſcens Henricus, non matrem, non fratres, domumque, non denique patriam ipſam tam ægrè reliquiſſe, quàm à Ducis Guiſiæ complexu diſtrahi avellique eſt viſus. Secutus in Poloniam eum eſt Carolus Mœniæ Dux Guiſiii frater, à quo poſt ſuſceptum Cracoviæ Diadema, cum diſcederet in Galliam rediturus, ſpectavimus ipſi, in Polonio ac tum fortè in Regia eramus, quam multis utriusque lacrymis, quantæ intimæ neceſſitudinis ac benevolentiæ ſignificatione dimiſſus ſit. Fractæ magna ex parte diminutæque Guiſiorum ſpes in Gallia amoto Henrico videbantur, quanquam nec ipſi deſponderant animos, non parvis familiæ opibus & egregia virtute, qua ſinguli juvenes haud dubiè præſtabant, fidentes. Et Rex veluti in ſolatium amiſſi Henrici, benigne humaniterque eos habebat; & credebantur brevi per obſequia & præclaras artes, parem gratiæ locum apud ipſum quoque Regem adepturi, cum paucis poſt menſibus vix dum novi Regni habenas capeſſente Henrico, Carolus Rex nullius ex Iſabella conjuge, (ea erat Maximiliani Cæſaris filia,) ſuſceptis virilis ſtirpis filiis moritur. Catharina Regis mater crebris celeribusque miſſis in Poloniam nuntiis Henricum in Galliam, ad ſuſcipiendum extincti fratris Regnum revocat, & ut maturet, omniaque poſtponens reditum acceleret ſuum, etiam atque etiam hortatur. Interea, ne
qua

qua nova conſilia inirentur Alenſonium filium & Navarrum generum à latere ſuo abſcedere vetat, appoſitisque cuſtodibus, novi quicquam moliendi omnem iis facultatem præcludit, ſeque cum cæteris præſidiis, tum firmis Helvetiorum cohortibus communit, datque operam, ut integra omnia ad Henrici adventum reſerventur. Sed non mater, non quisquam alius aut majoribus obteſtationibus, frequentioribusque nuntiis reditum Henrici urgebat, aut abſenti arctiorem fideliorem que operam navabat, quàm Dux Guiſiæ fratresque. Quippe quorum ſpes lapſæ nuper non erexerant modò ſeſe, ſed non dubiè ſummos jam tum gratiæ ac potentiæ gradus eo ſub Rege perceperant. Nec Henricus in Regnum reverſus, cùm matrem Principesque alios Galliæ Lugduni obviam habuiſſet, non reſponſurus expectationi initio eſt viſus. Nam & Ducem Guiſiæ ſecum aſſiduè habebat. Verùm, ut eſt fluxa omnis Regum gratia, brevi nequaquam tam firmas in Henrici animo habere radices Guiſii ſenſere, quàm ipſi opinati fuerant. Nam Henricus qui haud dubie inflatior Polonia redierat, planè illam quâ Galli gaudent, cum ſuis Regibus familiaritatem aſpernari videbatur. Primò igitur frigeſcere priſtina benevolentia; deinde cùm duo nobiles adoleſcentes animum Regis cepiſſent, iisque ille ſe penitus dediſſet, dirempta omnis cum Guiſiis neceſſitudo eſt. Quod neque illi taciti ferebant, qui cum parentis familiæque merita in Regiam

Galliæ, tum verò ſua in ipſum Henricum prædidicantes, omnia querimoniis miſcebant. Et Henricus, pro Regum ingenio, nihil cuiquam deberi ab ſe æſtimantium, tantò longiùs à priori amicitia receſſit, quantò illos juſtiùs, liberiusque de ſe conqueri intelligebat. Auxit quoque illis & animos & dignationem ducta ab Henrico ex eorum potiſſimùm dono uxor. Fuit hæc Vademontii Lotharingi Reguli filia, nomine Claudia, virgo florentiſſimâ formâ, cujus Rex in Poloniam proficiſcens apud patrem viſæ ita amore exarſit, ut jam tum eam conjugio ſuo deſtinaſſe dicatur: Et regreſſus inde, ſtatim appellato puellæ patre, amorem ſuum eſt executus, celebratis ſolemni ritu ac regiâ opuletitiâ nuptiis. Ægreſcebant indies Regis ac Guiſiorum animi. Nam dolor atque ira, ubi in apertas querelas erumpit, facilè haud modum teneas. Nec adoleſcentes genere, ingenio, ætate feroces parum ſibi gratiæ relatum queri poterant, quin ſimul Regi turpem illiberalis atque ingrati animi notam infligerent: quibus rebus non ſolùm benevolentia omnis ex animo amittitur, ſed vehementer odium irritatur. Sic igitur exaſperatos accenſosque juvenes oblata inſuper occaſio facilè transverſos egit. Eos enim Henricus induerat mores, ut jam quis homo eſſet, non ſatis intelligeretur. Nunc pietatis ſtudio ſolitudinis appetens, in ſepta ſe Capucinorum abdebat, ubi pari cum illis diſciplinâ, religionibus, divinisque rebus operabatur. Nunc

con-

conviviis, voluptatibus, nobilium matronarum cœtibus, patrio quidem more, ſed intemperantius, quàm Regem deceret, dies noctesque tranſigebat, delegatâ amicis Regni curâ. Et cuncta duorum adoleſcentium libidini parebant. Hi, & Rex & Regni opes diviſui erant. Cæteri, niſi quos hi ipſi proveherent, negligebantur. Per hæc, quod neceſſe fuit, non Principibus ſolum, quos domeſticæ opes & præcipua nobilitas efferre ſolet, ſed ipſi quoque plebi in magnum Rex contemptum venerat, ut incertum eſſet, gratioſorum invidia, an felicitate atque inertia ſua magis premeretur. Guiſii certè utramque inſectantes, ad ſuam occaſionem trahebant, & alienum odium in ſuam gratiam cùm apud multitudinem, tum apud ipſam quoque nobilitatem vertebant. Et ut cuique, aut mala in Rege ſpes, aut præſentium tædium erat, Guiſii ſe applicabant. Accedebat ad hæc Regis ſolitudo, mortuo nuper fratre, & uxore ſterili; nam bonorum quoque ac præſtantium Regum opes, auctoritatemque amiſſa ſpes liberorum frangere ac minuere ſolet, dum quisque animum ad ſucceſſorem adjicit, majori ſæpè futurorum, quàm præſentium cura. Et præter cæteros Guiſii fratres eam rem ad ſe domumque ſuam magnopere pertinere arbitrabantur, quibus veteres & à parentibus traditæ cum Borbonia familia, ad quam extincto Henrico proxima in Regnum ſucceſſio legibus Galliæ redibat, ſimultates intercedebant.

INDEX HISTORIARVM.

DE Roderico & Caſare Borgiis. fol.3

De Arragonis Regibus Neapolis. 20

De Ludouico Sfortia, Duce Mediolanenſium. 45

De Petro Medice Florentinorum Principe. 91

De Hieronymo Savonarola Dominicano. 136

De Ioanne Leidenſe, Anabaptiſtarum Rege. 151

De Henrico Octavo, Rege Britanniæ. 177

De Thoma Volſæo Cardinale Eboracenſe. 196

De Ioanne Fishero, & Thoma Moro. 205

De Reginaldo Polo Cardinale Britanno. 222

De Maria Britanniæ Regina. 243

De Ioanne Dudleio Duce Nortumbriæ. 264

De quatuor Britanniæ Reginis. 279

De Alexandro Medice Florentinorum Duce. 294

De Henrico Secundo Galliæ Rege. 315

De Carolo Caraſa Cardinale, & Io. Paliani Duce. 333

De Franciſco Lotharingo Guiſiæ Duce. 371

De Henrico Tertio Rege Galliæ. 398

De Henrico & Aloyſio Lotharingis, fratribus. 429

INDEX
RERUM MEMORABILIUM.

A.

ALexander Medicæus, quo patre, & quomodo ortus. pag. [illegible] 298. A Clemente VII. educatus. Ibid. Duxit uxorem Margaretam Cæſaris filiam. Ibid. Arce præmunita Florentinos refrænat. Ibid. Aliisque dominationis artibus. Ibid. Ejus in omnimoda voluptate licentia. p. 299. A Laurentio Medice propinquo ſuo variis artibus proditus. p. 302. & 303. Variæ de hoc parricidio ſententiæ. Ibid. Variæ hujus Conſilii diu meditati Indicia. Ibid. & p. 394. Fraudis admonitus non credit, nec cavit. Ibid. Prætextu novi & percupiti amoris apud Laurentium dormiens crudeliter interficitur. Ibid. p. 305. & 306. Poſtera die ejus corpus inventum. Ibid.

Alexander VI. unde oriundus. p. 3. Unde Borgia dictus Ib. Ejus vitia Ib. Quibus artibus creatus Pontifex. p. 5. Ejus varia Fœdera. Ibid. p. 6. & 11. Ejus filii. p. 6. Ut, & quandiu regnavit. p. 7. Ejus mors. Ibid.

Alexander Sfortia duas trimeres Gallicas apud Centumcellas intercipit, p. 341. Paulus IV. Summus Pontifex eas intra triduum reduci imperat. p. 344.

Antonius Borbonius Rex Navarræ hereticorum fautor in carcerem mittitur. p. 385. Poſt Franciſci ſecundi mortem carcere liberatur, & fit tutor regni ob infantiam Caroli ſucceſſoris. Ibid. A Regina matre lactatur ſpe recuperandi regnum aut pro eo Sardiniam recipiendi. Ibid. Occiditur in obſidione Rothomagi. p. 390.

Anto-

Antonius Carafa Marhio Montibelli p.357. Ditatur ſpoliis Balnei Comitis. *Ibid.* Privatur Burgi & Palatii cuſtodia, p. 360. Ejus uxor poſt edictum avunculi Pontificis Romam veniens, & ab omnibus rejecta, poſtera die Neapolim redire cogitur. p.363. Ipſe fuga ſaluti ſuæ conſulit. pag.366.

Annæus Mommorantius Magiſter Equitum victus, captusque ad fanum Quintini, p.318. & 319. Æmulatione potentiæ multos annos diſceſſit à Guiſiis. p.387. & 388. Iisdem reconciliatur religionis tuendæ gratia. *Ibid.* Iterum capitur in pugna ad Druidarum oppidum. p.392.393.

Anna Clivenſis uxor ſeu concubina Henrici VIII. paucos poſt menſes repudiatur. p.288.

Anna Bolenia quibus parentibus orta. p.282. & 283. Ejus faba. *Ibid.* Prægnans in regiam deducitur, & Regina renunciatur. p.284. Primores curiæ à loco dejicit *Ibid.* Elizabetham parit. *Ibid.* Ejus impudicitiæ. p.285. Quomodo à rege cognitæ. *Ibid.* Ejus mæchi ſupplicio traditi. p.286. Ejus in morte conſtantia. p.287.

Aſcanius Sfortia Franciſci filius. p.51. creatur Cardinalis, p. 88. cum fratre Ludovico imperium Gallorum fugit. p. 82.83. Ejus ſumptus, p.87.88.89. Ejus in Conclavi potentia. *Ibid.* Favet Roderico Borgiæ ad Pontificatum. *Ibid.* Capto fratre ad Ripaltam Placentinorum confugit. p.89.90. Venetis proditione traditur, & à Venetis Regi Gallorum, triennio in carcere detinetur. *Ibid.* Cardinalem Ambroſium ad comitia Romam ſequitur. *Ibid.* Veneno moritur. p. 90.

Aumalius filius Caroli Ducis Guiſiæ, & Franciſci frater. p. 372. Cum fratre adhuc juvenis futuræ fortitudinis dedit ſpecimina. p. 273. In pugna ad Druidarum oppidum ab Equitibus Germanis preſſus, & pene captus liberatur à fratre. p.392. Fratris interfectorem tortoribus tradit. p. 368. Fit Præfectus Gallici Equitatus. p. 374. 375. In Rupellæ obſidione necatur. *Ibid.*

Aloyſius Andegavenſis gravi bello Joannam Neapolitanorum Reginam urget, 22. Iterum ab ipſa adoptatur rejecto Alfonſo Arrogonio, 23. E Gallia evocatus à primoribus Neapolitanis adverſus Ferdinandum, 26. 27.

Aloyſius Borbonius Condæi Princeps in vincula conjicitur 383. 384. carcere liberatur. *ib.* Ejus conatus ad evertendam religionem & regnum, 387. 388. Cum ſuis Aureliam abit, 388. 389. Ejus aperta defectione bellum oritur, *ib.* Belli prætextus, *ib.* In altera pugna capitur, 392. In altera occiditur. 400.

Aloyſius Guiſius Caroli filius Cardinalis creatus à Julio III. p. 372.

Alfonſus I. Ferdinandi Regis filius primus Arragoniorum Neapolim occupat à Joanna Regina adoptatus, 22. Ejus virtutes, 20. In obſidione Caitas pepercit vel ipſis ruinis villæ Ciceronis, 21. A Blaſio Aſſareto Genuenſium Præfecto navali prælio ſuperatus, captusque cum duobus fratribus Mediolanũ mittitur, 23. Philippus Vicecomes Dux Mediolani eum carcere liberat, & ad recuperandum regnum adjuvat. *ib.* Uxorem duxit filiam Regis Caſtellæ 26. Filias, Mariam Ferrarienſium, & Leonoram Sueſſanorum Principi in matrimonium collocat, *ibid.* Ferdinando filio licet ſpurio moriens regnum relinquit. *ibid.* Viginti ferme annos regnavit, 22.

Alfonſus II. inito regno claſſem parat adverſus Genuenſes cum Federico fratre, 29. 30. Ferdinandum filium terreſtribus copiis præficit. *ib.* Gallorum adventus, Florentinorum & Pontificis defectio, & ſuorum odia. Alfonſus Ferdinando filio coronam tradit, fugiens Siciliam petit, apud Mazaram cucullatus Monaſterio ſe abdit, p. 30. & 31.

Alfonſus Carafa Cardinalis cum Carolo Cardinale propinquo in carcerem mittitur, 365. 366. Pecunia tantum mulctatur, *ib.*

Ana-

Anabaptiſtæ unde dicti, 153. Eorum dogmata & ſordes, 154. & 155.
Athenienſium mos de æquabilitate ſervanda, 93.

B.

BOrgia Gentilium nomen Calixti III. 3.
Boſius Sfortiæ filius uxorem duxit Chryſidem Aldobrandeſcam & ab eo Romani Sfortiæ profluxere, 47.
Bracius Montorius ex Gregario milite Dux exercitus venalis factus varia oppida occupat, ipſamque Romam armis opprimit, 46. Ejus vitia, *ib* à Franciſco Sfortia occiditur, 47.
Buceri impietas, 265.
Beneficiorum collationes rejectæ à S. Ludovico, 385.

C.

CArolus Carafa in Hieroſolymitanorum equitum ſocietatem à primis annis nomen dederat, 358. Neapolitanorum Præfecturam ſeu Prioratum adoleſcens fuerat adeptus, *ib*. Sub Gallorum ſignis diu militaverat, 339. 340. Tandem ab Avunculo Paulo IV. Cardinalis creatur, & omnibus rebus cõſiliisq; præficitur, 338. Ejus vitia 339. 340. Detegit Colonniorum, Sforciarum, aliorũque factionis Hiſpanicæ nocturnos cœtus, & inſidias, 330. In eos avunculi animũ ſtimulat, 343. 344. Sub ſpecie Legationis in Galliam profectus Henricum II. Regem inducit ad recuperandum Regnum Neapolitanum, *ib*. Venetias, & Senatum in armorum ſocietatem adducere conatur, ſed fruſtra, 348. Nihil præſtat eorum quæ Gallis pollicitus fuerat, & ſic eorum conatus irritos facit, p. 349. 350. Ejus arrogantia, ſcelera, & vexationes, p. 357. 358. Quibus artibus & qua ſimulatione decipiebat Pontificem avunculum. 359. Ejus facinoribus avunculo detectis Legatione Bononiæ, & omni publica adminiſtratione removetur, p. 360. In exilium mittitur. p. 361. Ab omnibus derelinquitur, p. 362. Mortuo avun-

avunculo Romam ad Conclave accitus. 364. 365. A ſuc-ceſſore Pio IV. in cuſtodiam traditur. *Ibid.* Ab Octo Car-dinalibus cauſa ejus inquiritur. p. 367. Majeſtatis dam-tur. *Ib.* Ejus furor audita mortis ſententia. p. 367. 368. Ejus ſupplicium. *Ib.* Carmina in ejus ſupplicium. *Ibid.*

Cæſar Borgia filius Alexandri VI. minor natu. p. 5. Cardi-nalis creatur. p. 7. Ejus mores. *Ib.* & 8. Venenum cum pa-tre hauſit aliis paratum. 7. ſe Cardinalatu abdicat. p. 9. Armis præficitur. 10. Ejus ambitio. *Ibid.* Quam duxit u-xorem. 11. Quibus artibus proceres Romæ aggreditur, ut eorum oppida occupet. p. 12. 13. Totam Urſinorum familiam pene opprimit. p. 14. Ejus ſcelera & cædes. *Ibid.* & p. 15. Romæ in carcerem datus. p. 16. Bonis omnibus mulctatur. p. 17. Reliquias Guelforum & Ghibellinorum plane ſuſtulit. *Ibid.* Iterum Neapoli cuſtodiæ traditur, & in Hiſpaniam captivus mittitur. p. 19. E cuſtodia elabi-tur. *Ibid.* Ejus mors. *Ibid.*

Coſmus I. Medices opum ſuarũ beneficio Florentiæ Prin-ceps evaſit. p. 92. Ejus virtutes. *Ibid.* Ejus exilium. p. 93. Revocatur & redintegratur. *Ibid.* Moritur ſenex & in ſupremo honore. *Ibid.*

Coſmus III. Joannis Medicæi filius Majoris Coſmi fratris pronepos. 313. Studio & diligentia Cardinalis Cybo, & Vitellii Tifernatis, Alexandro ſuccedit. *Ibid.* Ejus in ju-ventute conſilium à Rupublica datum, p. 314. Ejus po-tentia, & Magni Ducis cognomen. *Ibid.* Vindex cædis Alexandri, p. 315.

Cales oppidum undecim menſium obſidione à Britannis expugnatum, paucis diebus recuperatur à Gallis. 321.

Cardinales tres eadem tempeſtate ſupremo miniſterio po-tiuntur, 98.

Carolus Lotharingus à Franciſco I. Gallorum Rege in a-micorum cohortem adſcitus, Ducatu Guiſiæ donatur. 372. Ejus filii. *Ibid.*

Caro-

Carolus GuiſiusCaroli filiusCardinalis creatur à Paulo III 351. Paeis artibus excelluit.373. Cum Franciſco Turnonio Cardinale ſocietatem ſtatuit inter Gallos & Summũ Pontificem.345. Mittitur cum Franciſco fratre ad exigendum à Philippo II. de pace juſjurandum, 380. Ejus ambitio,& ſimultates cum Regina matre,381.

Coſmus II. Coſmi I. filius impar patri,94. In eum conjuratu.*Ib.* Conjuratores damnati, & quia fugerāt proſcripti. *Ib.* Quot annos regnavit. *Ib.* Ejus mors,& filii,*ibid.*

Catharina filia Ferdinandi Regis Hiſpaniæ natu minor nupta Arthuro filio Henrici VII. Britanniæ Regi: deinde nupſit virgo adhuc Henrico Arthuri fratri,280.281.Cõditiones matrimonii cruentæ.*ib.* Viginti & octo annos poſt repudiatur à marito.*ibid.* Cauſam ſuam dicit coram Campegio & Volſello Cardinalibus ad id deputatis.282. Fruſtra tuetur eam Summus Pontifex. *ib.* Ejus filia tanquam notha publico decreto exheredatur. *ib.* Ejus mors, p. 283.

Catharina Pacia ultima Henrici VIII.uxor, ſeu concubina, illi ſuperſtes fuit. 287.288.

Cathatina Havarda uxor ſeu concubina Henrici VIII.287. Ejus ſtirps & forma.288. Ejus impudicitiæ. *ibid.* Ejus cum mœchis ſupplicium, *ibid.*

Catharina Sfortia mulier virili conſtantia. 14.

Conſalvus Cordubenſis cognomento Magnus.36. Ejus facinora bellica, 41.42.132.133.134.135.

Carloſtadius Anabaptiſtarum hereſiarcha,154.155.

Conjuratores de Petro Medicæo reſtituendo, capite plectuntur. 122.123.

Cauſæ hæreſeos progreſſus in Galla. 381.382.

Colloquium Gallici Britannique Regum in Belgarum finibus. 197.

D.

DUdleius Nortumbriæ Dux, 264. Ejus favor & authoritas apud Edoardum Regem, *ibid.* Ejus cruenta ambi-

ambi-

ambitio, 266. Ejus inſtinctu Rex ſorores ſuas exhereda 267. Joannem Suffolciam Regiæ ſtirpis & nurum ſua ipſis anteponi teſtamento curat, 268. 269. Poſt Reg mortem eam ut Regni hæredem producit. *ib.* & 270. M lites adverſus Mariam ſcribit, *ib.* Copiis Suffolcium J annæ patrem præficit, 271. Eo ad curam urbis revocato ipſe ad exercitum proficiſcitur, *ib.* Eo profecto Primores Regni, pars maxima exercitus, & naves bellicæ Mariæ ſe dedunt, *ib.* p. 272. Ejus milites eum fugam parantem detinent, & paulo poſt vinctum in poteſtatem Reginæ tradunt. *ib.* In carcere obliviſcitur ſui, prioriſque fortunæ, 273. Ad Tribunal Judicum adductus, & crimen falſus condemnatur, *ib.* Filios excuſat, pro eis Reginam precatur, hereſim abjurat, & peccata ritu catholico confitetur, 274. Ejus ſupplicium & ultima verb 275. 276. 277. 278. 279.

Dictum Florentini Legati peracutum de tabula Ludovi Sfortiæ, 74.

Dictum Laurentii Medicæi de Gallorum potentia, 107.

E.

EDoardus Britanniæ Rex Henrici VIII. filius, 264. Quomodo natus, *ibid.* Ejus dotes ſeu animi ſeu corporis, *ib.* Ejus prava educatio, 265. Ejus teſtamentum, 266 Ejus mors ſubjecta veneno, 268.

Eliſabetha Angliæ Regina Hugonottis auxilium dat, 389. Ab ipſis accipit in pignus Hauredegratiam & Diepam, p. 390.

Exempla horrenda effrænatæ audaciæ, 398. 399.

Expeditio Italica Caroli VIII. Galliarum Regis, 5. 67.

Expeditio Termii in Flandriam, 322.

Epigramma in Cæſarem Borgiam, 11.

Epigrammata in Alexandrum VI. 7. 9.

F.

FRanciſcus Dux Guiſiæ à prima juventute fortitudine & audacia commendatur, 373. Metis præficitur ab Hen- rico

tico II. 375. A Carolo V. obſeſſus eum re infecta turpiter abire cogit, 376. Ad tutandum contra Hiſpanos Pontificem in Italiam cum exercitu mittitur 377. 378. Adventans Hiſpanos reprimit, & abiens ad pacis côditiones adegit, *ib.* Revocatur in Galliam ob cladẽ Sanquintinianam, Caletem expugnat, 379. Et paulo poſt Theonvillam, 380. Pace inter Reges ſancita ad exigendum à Philippo II. jusjurandum mittitur, *ibid.* Ejus favor & authoritas ob affinitatem apud Franciſcum II. 381. Ejus inſtinctu Aloyſius Borbonius Condæi Princeps, cum Antonio fratre Navarræ Rege in vincula conjicitur 385. Rhothomagum expugnat, 390. Hereticorum Ducem cum exercitu regio irrumpit, victumque capit, 391, 392. 393. Inde Aurelianum exercitum ducit, & hoſtium reliquias obſidione urget, *ib.* Miſere & proditorie in ipſa obſidione interficitur, 394. Quam uxorem duxerat, *ib.* Ejus ultima verba, 396.

[F]isherus Epiſcopus Roffenſis, 206. Ejus virtus & doctrina *ib.* Londinum ab Henrico VIII. Britanniæ Rege vocatur, ibique præcipuo habetur honore ac dignitate 207. Deinde odio implacabili, quod & legibus ejus iniquis, & divortio adverſatus fuerat, in carcerem mittitur, 208. Cardinalitio honore à Paulo III. donatur, 209. In ſententia conſtans poſt undecim menſes ſecuri percutitur, 210. 211. Ejus ultima verba, *ib.* A multis in ipſo ſupplicii loco adoratur, *ib.*

[Fe]rdinandus Arragonius II. omnium ordinum lætitia à Neapolitanis Rex ſalutatur, 32. Paulo poſt à Gallis regno ejicitur, omnibus ab eo deficientibus, 33. Felix ejus audacia in Præfectum arcis Iſchiæ proditorem, 34. Item in recuperando regno, licet adverſa fortuna, 35. 36. Poſt exactos è regno hoſtes ſine liberis moritur, 41.

[Fr]edericus Arragonius Ferdinandi II. patruus poſt ejus mortem Rex à Neapolitanis ſalutatur, 41. Aloyſius XII. Galliæ

Galliæ Rex, & Ferdinandus Hiſpanus licet propinquus & ſocius, adverſus eum fœdus percutiunt, Regnum partiuntur, & ex eo pellunt. 41.42. Ipſe ſupplex ex Iſchia Inſula ad Aloyſium venit, nec bene acceptus, dolore interiit 43.

Franciſcus Sfortiæ filius licet ſpurius patri ſuccedit, 48. Ejus virtutes, *ib.* Unicam filiam Philippi Vicecomitis Mediolanenſium Ducis in matrimonium ducit. 49. Socero mortuo Ducatum occupat, 50. Sexdecim annos regnavit, *ib.* Arcem inexpugnabilem Mediolani conſtruxit. *ib.* Ejus filii degeneres, *ib.* Moritur ſenex, *ib.*

Ferdinando Arragonio I. initia Regni aſpera, 24. Quadraginta annos varia fortuna regnavit, *ib.* Ejus mors. 28.

Federici Arragonis Neapolitanorum Regis filius à Ferdinando uſurpatore in Hiſpaniam evocatur, & cuſtodiæ traditur, 44. Ibi diuturna carceris miſeria Regium penitus exuit animum, *ib.*

Ferdinandus Hiſpanus Arragoniæ gentis ſuæ everſor à Philippo Auſtrio genero ſuo ſenex regno ejicitur, 44.

Franciſcus Borgia filius alter Alexandri VI. 5. Ejus mors, 8. Ejus cadaver inventum in Tyberi, 9.

Franciſcus Picolomineus Pontifex creatur, 16.

Fortuna varia Clementis VII. Summi Pontificis, 182. 198. & 199.

Fuga Joannis Medicæi Cardinalis cucullo purpuram tegentis, 112.

Factiones Cæſaris, & Franciſci I. Galliarum Regis de eligendo Summo Pontifice, 230. 231. 232. 233.

Fœdus inter Alexandrum VI. Pontificem, Maximilianum Cæſarem, Regem Hiſpaniæ, Venetos, & Ludovicum Galeatium de Gallis ex Italia pellendis, 35. 69.

Fœdus inter Ludovicum XII. Galliæ Regem & Venetos de Mediolanenſi Ducatu occupando, 9.

Fœdus inter Sixtum IV. & Ferdinandum Arragoniū contra Laurentium Medicem, 100.

Gaſpar

G.

Gaſpar Colinius præpoſitus Fano Quintini, dum obſideretur, 317. Ab Annæo Mommorantio ex matre avunculo educatus, & ad magnos honores provectus, p. 387.388. Cum Principe Condæo hæreticos tuetur, *ibid.* Jam Ammiralius capto Condæo copiis præficitur, & Aurelianum defendit, *393.* Verbis ac promiſſis interfectorem Franciſci Guiſii ſtimulat, 394. Diu eluſit vim & victorias Henrici Ducis Andegavenſis, 401. Tandem Pariſiis ad nuptias Navarræi occiditur, *Ibid.*

Galeatius Sfortia Joannis filius ſub tutela patrui molliter educatur, *60.* Adultus uxorem ducit Iſabellam Alfonſi Arrogoniam filiam, *62.* Dum contra patruum uſurpatorem auxilia expectat, Galli impulſu patrui Italiam invadunt. *66.67.* Supremo morbo decumbit, *Ib.* Viſitur à Carolo VIII. Gallorum Rege, *Ibid.* Ejus mors ſuſpecta veneno *68.*

Guiſii Principes unde orti, 372.

Guiſii fratres vulgi ſtudia captant, 417. Fidem Regi debitam deſerunt, 418. Eorum ambitio, 437.438.

Gotifridus Borgia Alexandri VI. filius major natu, 5. Quam uxorem duxit, *ibid.*

Genealogia Lotharingiæ Principum, 371.

Germaniæ circuli quid & quot. 156.

H.

Henricus VIII. Britanniæ Rex. 177. Ejus virtutes, *Ibid* Ejus facinora bellica, 178. Ejus pietas & zelus pro fide Catholica, *Ib.* Nomen ei illuſtre datum à ſummo Pontifice, 179. Ejus immutatio, *ib.* Catharinam uxorem repudiat, & quo prætextu, 180. Vindicta cælitus immiſſa cædis Arthuri Principis, *ib.* Tentat per legatos connubium cum ſorore conjugis Franciſci I. Gallorum Regis, 181. Magnificis promiſſis tentat extorquere à Clemente VII. primi matrimonii diſſolutionem, 182. Nominantur à Clemente Legati Campegius & Volſæus Cardinales

les ad audiendum Regem Reginamque Britanniæ ea de cauſa,189. Regina conſtanter relu&ante cognitionẽ rei Pontifex Romam ad ſe evocat,184.185. Henricus abrepto omni legum reſpectu Annam Boleniam uxorem ducit, *Ib.* Excommunicatur à ſummo Pontifice, 186. à Põtifice deſciſcit,& ſeipſum Eccleſiæ caput in Britannia appellat,187. Atrocibus pœnis ſævit in reluctantes. 188. 189.190. Cromvelius præficitur tribunali.*ib.* Ipſe paulo poſt pœnas luit,191. Rex ſæviebat etiam in Lutheranos 192. Sibi & Fiſco adjudicat bona Eccleſiaſtica,*ib.* Variæ Henrici nuptiæ,& varii Reginarum exitus,193. Seditioſos compeſcit triginta eorum ducibus enecatis, 194. 195. Ejus teſtamentum & mors, *ibid.*

Henricus II Galliæ Rex, 316. Ejus cum Philippo II. Hiſpaniarum Rege æmulatio, *ib.* Utriusque Regis fortuna quæ initio belli.317.Poſt cladem Sanquintinianam & amiſſum oppidum Franciſcum Guiſium cum exercitu ex Italia revocat,319. Poſt varios utrinque eventus Reges copias validiſſimas ducunt quaſi de ſumma belli decreturi. 325.326. Pax ſubſequuta exercitus diſſipat.*ib.* Pacis conditiones, 327. 328. In ipſis Regiarum nuptiarum ludis Henricus miſere interficitur,331. Ejus ultima verba,332.

Henricus III. Galliæ Rex,399. Naſcenti nomen Alexandro parentes indidere,400. Poſt mortem patris abjecto Alexandri nomine Henricus nuncupatur,*ib.* Ejus licet juvenis virtus & fortuna bellica, *ib.* Ad domandam Rupellam mittitur.401. Ibi à Polonis per Legatos Rex poſtulatur,402.403. Infecta re Lutetiam redit, *Ibid..* Accepta prius à Cæſare atque à ſingulis Regulis fide tutum per fines eorum tranſitũ fore, in Poloniam tranſit. *ib.* Ingenti lætitia accipitur coliturque,*ib.* Ejus mores,*ibid.* Quinto poſt menſe accepta Caroli fratris morte , clam evadit, 404. Poloni inſequentes non aſſequuntur niſi extra fines Regni, 405.406. Benigne & cum promiſſis dimittit.*ib.* Venetiis magnifice accipitur, *ibid.* Totus immutatur.*Ib.*

Ejusin Galliam tranſitus pluribus Principus obviam ei euntibus celebratur,407 Ejus comitatus, cultuſque effeminatus, *ibid.* & 408. Claudiam Vademontiam ducit uxorem,409. Franciſci Alenſonii fratris mors,410. Ejus uxoris ſterilitas,*Ibid.* Ipſe ſuis contemptui eſſe cœpit, *Ibid.* Ejus nimia in duos gratioſos propenſio & prodigalitas Guiſios veteres amicos abalienat, cæteriſque indignationem parit, 411.415.416. Quæ cauſa fuerit Carolo IX. pro fratre Poloniæ Regnum petendi,412. Quibus Guiſii rationibus illum ab ea corona accipienda deterrebant, *Ibid.* & 413. Umænæ Dux unus ex Guiſiis fratribus, eum in Poloniam ſequitur,*ibid.* Intimæ in eum amicitiæ teſtimonia,*ibid.* Guiſiorum amicitia in odium vertitur, 414.415.416. Interdum oblitus coronæ & voluptatum abdebat ſe Monaſteriorum ſeptis, 417. Triginta millia Helvetiorum Germanorumque in Regnum irruentium ad reditum compulit, 419. Guiſium à ſe accitum occidi imperat,& paulo poſt Aloyſium fratrem Cardinalem,p. 420. Franciſcum filium, matrem, Lugdunenſem Epiſcopum, Pariſiorum Magiſtratum, & Namurii Ducem cuſtodiæ tradit,*ib.* Umæniæ Dux percuſſorem declinat, 421. Funeſti hujus cædis effectus,*ibid.* Rex reconciliatur Navarro,& Hugonottorum ope utitur ad obſidendam Lutetiam,422.423.425.à fratre Dominicano interficitur 427. Ejus ultima verba ad Regem Navarræ,428.

Hugonottorum maxima cædes Pariſiis, 401. Eorum flagitia, 389.

Hæreſis Lutheranæ initium ſub quo Pontifice,151.

Hiſtoriæ utilitates, 1. & 2.

I.

JUlianus Rovereus Pontifex creatur, p.16.

Julius Medicæus Cardinalis, p. 295. Creatur Summus Pontifex & nominatur Clemens VII.296. Eo imperante Roma bis capta & direpta, *Ibid.* Florentini ab ipſo deficiunt, *Ibid.* Capitur ipſe, *Ibid.* Pecunia redimitur, *Ibid.*

Carolum V. Imperatorem coronat, *ibid.* Mediolanum Gallis Hiſpaniſque ablatum Franciſco Sfortiæ tradit. *ib.* Florentinos domat, p. 297. Alexandrum, nepotem ipſis Ducem imponit, *Ibid.*

Joannes Galeatius Sfortia Franciſco patri ſucceſſit, 51. Ad prodigalitatem ſumptuoſus, 52. 53. Dat exempla ſeveritatis crudelitatem redolentis, 54. Mutata veſte noctu diuque explorat famam ſui, *ib.* Ejus effrenata libido conjuratores in ſe excitat, 55. Ab ipſis in templo interficitur, licet militum ſtipatorumque turba circumdatus, 56.

Joannes Leidenſis quis & unde oriundus, 153. 159. Monaſterium venit, *ib.* Quibus artibus ignarum vulgus decipit, & auctoritatem invadit, 160. Ejus ſocii, *ib.* Plebs pro eo arma capit adverſus Magiſtratus, illos urbe pellit, & omnia tum ſacra, tum profana diripit, 161. Ejus juſſu libri omnes cujuſcumque doctrinæ comburuntur, præter Bibliam, 162. Supplicium de juvene ſumit parum noxio ad exemplum, *Ibid.* Novos Magiſtratus creat & tres ſimul puellas uxores ducit, *Ibid.* Supplicium aliud ſumptum de quinquaginta ſeditioſis, 163. Impoſtorem introducit qui Regnum ei DEI juſſu capeſſere imperat, *ibid.* Rex ſalutatur, p. 164. Miniſtros Regios deſignat, *ib.* Quo apparatu & pompa prodit in publicum, 165. Reginas uxores quindecim ſimul habuit, *ib.* Ab Epiſcopo Monaſterii obſidetur, 166. Conditiones omnes rejicit, *ibid.* Obſidio diuturna, 167. Triginta quos ad commeatum ultra citraq; miſerat ab obſidentibus comprehenſi, omnes ſtrangulantur, 168. Conjuratores quadraginta & ſeptem in medio foro jugulari jubet, 169. 170. Unam ex Reginis uxoribus ſe inſpectãte capite plecti imperat, *ib.* Famem extremã patiuntur obſeſſi ob ejus vana promiſſa, 171. Variæ ſubſidiariæ naves ex Holandia profectæ ab obſidentibus demerguntur, 172. Proditione Langhenſtrati urbs capitur, 174. Magna ſtrages, 175. Supplicium Joannis Leidenſis & duorum ſociorum, 176.

Joannes Petrus Carafa quo tempore & quibus parentibus natus.324. A quo educatus. *Ib.* Ejus virtus. 334. Summo honore habitus apud Ferdinandum Hiſpaniæ Regem.*Ib.* Non par ei gratia apud Carolum V. ejus ſucceſſorem, *Ib.* Archiepiſcopatu Theatinorum ſe abdicat, *Ib.* In ſolitudinem conceſſit, & Congregationem Sacerdotum inſtituit. *Ib.* à Paulo III. creatur Cardinalis, *Ib.* Ejus in ſententia inconcuſſa tenacitas.335. Inquiſitioni præficitur.336. Sui oblitus ſuffragatur Marcello Cervino ut Pontifex fieret, *Ib.* Ejus vitia. *Ib.* Ejus odium contra Hiſpanos, & cur, *Ibid.* Septuaginta & novem annos natus creatur Pontifex, & vocatur Paulus IV.338. Multiplici prætextu in Hiſpanos & eorum fautores ſævit.339.340.341.342.343.344. Fœdus init cum Gallis.345. Galli adventantes Ferdinandum Toletum Neapolitanorum Proregem omnia circa Romam vaſtantem reprimunt.347.348.349. Gallis à Rege revocatis pax ſancitur. 352. Conditiones pacis.353. Inundatio ſubſequuta, belli clades, caritas annonæ, & tributorum gravia onera ab eo alienant populorum animos. 354.355. Salutares edit leges de reformatione. *Ib.* Inquiſitioni præficit Michaëlem Ghiſilerium Alexandrinum Cardinalem.356. In apoſtatas cucullatos ſævit. *Ib.* Ferdinandi Cæſaris Legatos recipere noluit, quod ſe inconſulto creatus fuerat.357. Auditis nepotum facinoribus ita excanduit, ut ſtatim omnes propinquos expulerit.360. Convocato Senatu nepotes omni dignitate privavit, eosque ante noctem urbe excedere juſſit. *Ib.* Nemo intercedere audet, 361. Mirus apud omnes terror hujus ſeveritatis.362. Ejus mors.363. Ejus ultima verba. *Ibid.* Populi lætitia, & vel in ejus ſtatuas furor. *Ibid.*

Joannes Carafa.333. Factus Paliani Dux, & ſpoliis Colonniorum prædives 344. Ejus vitia. 357. cum fratre ſimultates. *Ibid.* Privatur militari imperio & præfectura claſſis.360. Galeſii exular.361. Capitur Romæ cum Comite Aliſe, & Leonardo Comite flagitiorum ſociis, 365.

In Hadriani arcem conjicitur, *Ib.* Ejus crimina. 366. Ante mortem pias & vere paternas litteras ſcribit ad adoleſcentem filium quem unicũ habebat. 368. Ejus in ſupplicio conſtantia. *Ibid.* Ejus cadaver truncum & caput ut & ſociorum expoſitum in aditu pontis Ælii. 369.

Joannes Medices Cardinalis. 294. Ejus captivitas. *Ibid.* Ejus evaſio. 295. Ejus in Etruriam expeditio. *Ibid.* Medicæos Florentiæ reſtituit. *Ibid.* Summus Pontifex creatur. *Ibid.*

Innocentius Cybo Cardinalis Alexandri Medicæi ex matre propinquis præcipuis ejus rebus præficitur. 298. Poſt ejus mortem quam aliquandiu celavit omnibus prudenter diſpoſitis ſine ſeditione Rempublicam in Medicæorum ditione ſervavit. 308. 309. 310 311. 312. 313.

Julianus Cardinalis in Galliam profugis Alfonſi Arragonii & Pontificis conſilia detegit. p. 29.

Iſabella Alfonſi II. Arragonii filia & vidua Joannis Galeatii Sfortiæ auxilium petit à parte adverſus Ludovicum Galeatium patruum filii & Regni uſurpatorem. 27. Ejus ſimultates cum Beatrice Ludovici Sfortiæ conjuge, 63. Suis precibus ac lachrymis Regem Carolum movet, & ab incepto pene deterret. p. 68.

Joanna filia Ferdinandi Regis Hiſpaniæ natu major, deſipiens, & domi cuſtodita nubit Philippo Maximiliani Cæſaris filio. p. 279.

Joanna Arragonia Colonniorum mater, mulier virilis animi, & quomodo Roma aufugit. p. 343.

Joanna Suffolcia Regiæ ex matre ſtirpis. 290. Ejus educatio. 291. 292. Ejus carcer & judicium. 293. Ejus in morte conſtantia. *Ibid.* & p. 294.

Joanna Semeria Henrici VIII. Britanniæ Regis uxor ſeu concubina crudeliter eo imperante diſcerpitur in ipſo partu. 287.

Inquiſitio quando inſtituta. 336.

Interdictum Sixti IV. contra Florentinos. 100.

Inundatio Tyberis ſtupenda Romæ. 354.

Inſana dominandi cupido. 32.
Inſigne Alfonſi I. Arragonii Regis Neapolitani. 21.
Inſigne Ludovici Sfortiæ Ducis Mediolanenſis. 73.

L.

LUdovicus Sfortia Franciſci frater ejus pupilli regnique procurationem invadit dejecta matre 58. Ejus prætextus ducatum occupandi. 59. Quibus ſuam artibus auctoritatem firmavit. 60. 61. Quam uxorem duxit. 63. Legatos ab Alfonſo Neapolitano Principe miſſos diu eluſit 64. 65. Adverſus Arragonios ſibi minantes, Gallos in Italiam vocat. *Ib.* Ejus jactantia. 72. Ejus virtutes. 73. 74. Ejus Mori cognomen. *Ib.* Aloyſium Aureliani Ducem defectione tentat. 70. Ejus fallaciæ. 69. 76. 77. Gallos iterum in Italiam evocat contra Venetos. 78. Ab omnibus derelictus ad Turcarum Regem confugit. 79. Univerſo Ducatu ad Aloyſium Galliæ Regem deficiente, ipſe cum familia & fratre Aſcanio Cardinale fugiens Venetos primo, deinde Maximilianum Cæſarem adit. 84. Exercitu apud Helvetios conducto Ducatum recuperat. 85. Tandem ab Helvetiis derelictus, proditusque, à Gallis capitur, qui eum ad Regem Lugdunum mittunt. 86. 87. Decem annos in Locenſi turri obſervatus ſtricte, miſere moritur 88.

Laurentius Medices patri ſuccedit. 94. Ejus virtutes. 95. Ejus Bibliotheca. *Ib.* In eum conjuratur, & cur. 96. In Templo Julianus frater occiditur, ipſe vulneratur. 97. Conjuratores licet civitatis primores omnes laqueo ſuſpenſi, ne ipſo quidem Archiepiſcopo Piſano excepto. *Ibid.* Bandinus qui ad Turcas profugerat, capitur, tetro ſupplicio afficitur. 98. 99. Medicæus inermis, clā proficiſcitur Neapolim ad Ferdinandum Arragonium, licet hoſtem, & ſua eloquentia ita pervicit, ut ſtatim Alfonſum filium cum exercitu revocaverit ex Etruria. 101. Moritur quadraginta & tres annos natus. *Ibid.*

Laurentius Medices Alexandri interfector, filius Laurentii fra-

fratris Majoris Coſmi,299.300.Ejus mores, vitia, & ſimulatio.301. Alexandri amorum miniſter,302. Poſt patratum parricidum cum duobus Miniſtris fugam capeſſit.307.308.Parricidii reus damnatur.313. Poſt varias fugas Veneriis capitur.315.
Laurentius & Julius fratres Medicæi uterque filium Summum Pontificem genuit. 94.
Lamponius interfector Ducis Galeatii interficitur,& ipſe ab Æthiope Satellite.56.
Lutherus ubi,& quibus parentibus ortus. 151. Fit Auguſtinianus.152.Ejus ambitio & impudentia.*Ibid.*
Lucretia Borgia filia Alexandri VI.5. Cui nupſit.*Ibid.*
Lotharingia unde dicta.371.

M.

Maria Britanniæ Regina, quo tempore, ubi, & qua matre orta.244. A pueritia Regio cultu inſtituitur ut hæres Regni.*Ib.* Poſt repudiatam matrem Henricus eam notham declarat,& Regno privat.265. Patre mortuo indignius habetur à fratre Edoardo. *Ib.* Ejus virtus. 246.Fratre mortuo adoleſcente,ipſa triginta & octo annos nata Regina proclamatur. 247. Spernit Regis teſtamentum, quo Nortumbrii Ducis inſtinctu exheredatis ſororibus Regnum Joannæ conſobrinæ ſuæ Nortumbrii ipſius nurui relinquebat.*Ib.*Ipſa Joanna & Nortumbrius in ejus poteſtatem traditi.248. Varii in eam motus & ſeditiones.*Ib.*Seditionum Duces capti profligatis eorum copiis Londini plus ducenti ſtrangulati ſunt, in quibus præcipui fuere Huniatus,Suffolcius,Nortumbrius,Dudlejus filius,& uxor Joanna249.250.251.252. Vix abſtinuit à cæde ſororis Elizabeth, varias ob cauſas: ſed hoc dedit Philippo cõjugi pro ea intercedenti.253.Comparatio Elizabeth & Mariæ.254.255.256.257. Inſignis Mariæ pietas & zelus. 258. Reſtituit Eccleſiæ omnia quæ à patrè direpta fuerãt 259.Nubit Philippo Caroli V.Imperatoris & Hiſpaniarum Regis filio.260.Nuptiarum conditiones. *Ib.* Anno poſt Philipus in continentem trajicit
ad po-

ad propulſanda Gallorum arma. 261. Maria mœrore occumbit. 263. Quot annos regnavit. *Ib.*

Medicæorum origo. 90.

Morus. 210. 211. 212. Ejus ingenium, virtus, & doctrina. 199 Ejus opus Utopia inſcriptum. *Ib.* A juris civilis ſtudio ad dignitatem Cancellarii aſſumitur. *Ib.* Quis hic Magiſtratus apud Britannos. 213. Regi inviſus quod legibus ejus iniquis & divortio adverſatus fuerat, ſponte Magiſtratu ſe abdicat. *Ib.* In carcerem detruditur. 214. Multa ei & atrocia objiciuntur coram judicibus. *Ib.* Ejus conſtantia & reſponſum. 215. 216. 217. 218. Condemnatur. 219. Ad ſupplicium cum ducitur occurrit filia. 220. Ejus mors & ultima verba. 221.

Mutius Avendolus, origo gentis Sfortiæ quis. 45. Ubi natus. *Ibid.* Ejus virtutes militares. 46. Balbiano mortuo ex cujus diſciplina prodierat, Dux exercitus venalis factus, varia oppida occupat, & Magiſter equitum apud Neapolitanos creatur. *Ib.* Ejus mors 47. Ejus filii ex variis uxoribus & concubinis. *Ib.*

Muntzerus Anabaptiſtarum propagator. 154. Populos à principum obedientia removet. 155. Innumeros ſectatores adciſcit. *Ib.* Sectatorum variæ ſtrages. 156. 157. 158. Ipſe abditus capitur & punitur. *Ib.* Ejus confeſſio. *Ib.*

Mongomerius interfector Henrici II. quis. 331. Venia donatur ab ipſo Rege. 332.

Monaſterium urbs a quo condita. 159.

Maximilianus Cæſar cur Gallis infenſus. 75.

Mos inaugurandi Reges apud Britannos. 269. 270.

N.

Neapolitanum Regnum penes Arragonios. 44.

Natura ſui conſervatrix. 398.

Nemo ſatis tutus eſt adverſus eum qui ſuã vitam ſpernit. 398

O.

Olgiatus adoleſcens unus ex Galeatii interfectoribus, miræ in ſupplicio conſtantiæ, Carolum vicecomitem con-

conjurationis ſocium hortatur. 57. Carmina. in ejus laudem ſcripta *Ib.*

Octoviri Florentiæ judices. 124. 125. 141.

Origo hæreſis & tot tantorumq; malorũ in Britannia. 200.

P.

PEtrus Medices patri ſuccedit. 101. Patris degener. 102. Ejus conjunctio cum Ferdinando Arragonio ſuſpecta Ludovico Sfortiæ. 103. Aliæ ejusdem ſuſpicionis cauſæ. 104. Immemor patris inſtituti. 105. Mittit Legatos ad Carolum VIII. Gallorum Regem bellum imminens avertendi gratia. *Ib.* Duræ conditiones allatæ. *Ib.* Laurentius & Joannes duo Medicæi juvenes à Petro deficiunt inſtinctu Ludovici Sfortiæ 108. Venit ipſe ſupplex in Caſtra Regis Galli. 109. Conditionibus licet duris annuit. *Ib.* Indignati Florentini in eum fremunt. 110. 111. Saluti ſuæ timens Bononiam evadit, & inde Venetias 177. Ejus opes Florentini diripiunt. 113. 114. Piſæ eodem die ab ipſo deficiunt, 115. Carolus Rex & lachrymis Alfonſinæ Petri conjugis, & monitis ſuorum commotus cogitat de eo reſtituendo, ſed non invenitur. 116. Male conſultus à Venetis. 119. Male acceptus à Bentivolio Bononiæ regulo. 118. Erravit exul decem annos. *Ib.* Quatuor ejus conatus de recuperanda Florentia irriti. 119. 122. 126. 128. 132. Tãdem ad Aloyſium Gallorum Regem licet alias infenſiſſimũm confugit, ut in ejus fidem ac clientelam acciperetur. 132. Sub eo militat adverſus Ferdinandum Regem Hiſpaniæ in Neapolitano Regno. *Ib.* Gallis ad Gharilianum devictis ænea tormenta in navigia imponit, & Cayetam, quæ a Gallis tenebatur, tendit. 135. Orta tempeſtate ipſe cum navigiis demergitur. *Ib.* Ejus corpus inventum ſepelitur in Templo Caſſinenſi *Ib.*

Polus, quibus parentibus ortus. 222. 223. Ejus pater Eques, Arthuro Principi datur ætatis rector. 224. Polus in Italiam adoleſcens profectus Patavii conſedit ſtudiorum gratia. *Ib.* Septimo poſt anno in Britannium redit. *Ib.* Ob Henri-

HenriciVIII.perſecutionem in Galliam tranſit.225. Anno poſt Patavium redit.Ib.Iniquo Regis Edicto quatuor libris reſpondet.226.A Paulo III.Summo Pontifice cretur Cardinalis.Ib.Abſens damnatur Majeſtatis à Rege, & præmium ſtatutum ejus interfectoribus.Ib.Legatus mittitur in Galliam à Summo Pontifice.Ib. Inde clam Cameracum ſe recipit Franciſci Gallorum Regis hortatu, & Cameraco Leodium.227.Variæ ei poſitæ inſidiæ.228. Ejus frater Major natu materq; à Rege interficiuntur, ejus conſtantia in accipiendis ea de morte litteris.229. In Conclavi tantum non fuit creatus Summus Pontifex. 230.231. Poſt Conclave abdit ſe Monaſterio quod eſt ad ripam Benaci lacus.234.Mortuo Eduardo Rege, & Maria ejus ſorore Regina à Britannis ſalutata in patriam Legatus à Summo Pontifice mittitur.235.Adventanti Londinum obviam undequaq; itur.23.Abrogantur Henrici atq; Edoardi leges 237. Auctoritate Apoſtolica veniam dat Britannis in publico Concilio omnium retrofactorũ 238. Regina non Sacrorum modo arbitrium illi, ſed Regni quoq; permiſit.239. Fit Archiepiſcopus Cantuarienſis.Ib.Apud Paulum,IV.in gravem ſuſpicionem ejus fides eſt vocata.Ib.Ab eodem privatur Legatione, & Romam citatur.240.Precibus Reginæ cauſa ejus differtur, ſed non conceditur abſolutio.441.242.Ejus mors. Ib.

Pugna ad Tarũ flumen.5.70. Pugna ad Litim amnem.145.

Pugna ad Gravelingam.323.324.

Pugna ad Druidarum oppidum.391.392.

Pugna ad Cognacum.403.

Pugna ad Fanum Quintini.318.

Pugna ad Atellam.39.40.

R.

ROtmanni Lutherani apud Monaſterienſes progreſſus, 159.

S.

SAvonarola Dominicanus ubi natus, & quibus parentibus.138.Ejus virtutes.Ib. Ejus ambitio & auctoritas 139. Quibus artibus favorẽ populi ſibi cõciliat.140.Supplicũ

de aliquot optimatibus ſumptum ejus inſtinctu 141. Seditionis & impietatis clam accuſatur apud Summum Pontificem. 142. Pontifici illum Romam vocanti non paret. *Ib.* Invehitur concionando in Medicæos,& in ipſum Pontificem. 143. Urget Florentinos Pontifex ut ſibi dedatur. 144. Interdicitur ſacris. *Ib.* Contentio inter Franciſcanos & Dominicanos de Savonarola. 145. Quo pacto diſſolvitur. 146. Ipſe cœpit contemni. 147. In Carcerem cum duobus ſodalibus mittitur. *Ib.* Judicantur & condemnantur. 148 149. Carmina in ejus mortem. 150.
Sexti cognomentum fatale. 7.
Sixtus V. Henricum III. ut ſibi ſatisfaciat ob mortem Guiſii Cardinalis diris devovet. 424.
Scoruncunculus & Freccia Laurentio Medicæo cædis & fugæ Comites 306. 307.
Sepulcrum D. Thomæ Cantuarienſis Archiepiſcopi violatum ab Henrico VIII. Britanniæ Rege. 192.
Sfortiæ cognomen unde deſumptum. 45.

T.

Terror Turcarum ex adventu Gallorum in Italiam. 35.
Tretania concubina Sfortiarum mater. 48.

V.

Volſæus quibus parentibus ortus. 196. Ejus ingenium, & fortunæ iuitia. *Ib.* Creatur Archiepiſcopus, & paulo poſt Cardinalis. 197. Ejus favor & auctoritas apud Henricum VIII. Britanniæ Regem *Ib* Ejus ambitio. 198. 199. Ejus ſimultates cum Regina 200. Auctor habetur divortii. 201. Boleniæ Reginæ artibus dignitate & bonis omnibus ſpoliatur. 202. 203. 204. Ejus mors. (*Ib.*
Valentina Vicecomes Ludovici XII. avia. 79.
Vitellus Tifernas quis, & cur Florentinis infenſus. 298. Dum occiſus fuit Alexander Medices, aberat. 304. Poſt ejus mortem diligenter revocatus Florentinos variis præſidiis refrænat. 311. 312.
Variæ Principes feminæ Regii Arragoniorum ſanguinis æque infelices in arce Iſchiæ inventæ. 43.
Uſurpationes variæ in Britannia, & cædes Regiæ ſtirpis. 222. 223.
Vexillifer, quis apud Florentinos Magiſtratus, & quandiu imperitabat. 238.
Vanotia concubina Borgiarum mater. 3.
Verba miræ audaciæ Capponii Florentini Senatoris coram Gallorum Rege. 117.
Verba peracuta Ludovici Sfortiæ Petro Medicæo ſibi ex Gallorum caſtris obviam venienti. 113. 114.

FINIS INDICIS RERUM MEMORABILIUM.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE